
10052142

10052142

Stal. 300 g (I, 14a

Monumenta



E

10052142

<36628090960014

<36628090960014

Bayer. Staatsbibliothek

10052142

Ital. 300

MONUMENTA HISTORICA

AD PROVINCIAS

PARMENSEM ET PLACENTINAM

PERTINENTIA

Vol. I, 4

STATUTA PLACENTINA

1-

VOL. I. FASC. VIII.

PARMAE

EX OFFICINA PETRI FIACCADORI

A. MDCCCLX.

6.

10052142

STATUTA VARIA
CIVITATIS PLACENTIAE

PARMAE
EX OFFICINA PETRI FIACCADORII
A. MDCCCLX.

10052142

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

10052142

TABULA EORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

EDITORIS MONITUM. . . . . pag. 1

STATUTA ANTIQUA MERCATORUM an. circ. MCC. . . . . » 3

STATUTA MERCATORUM RECENTIORA an. MCCCXXIII. . . . . » 185

STATUTA ANTIQUA COMMUNIS an. MCCCXCI. . . . . » 215

STATUTA JURISCONSULTORUM an. MCCCXXXV. . . . . » 467

STATUTA NOTARIORUM an. MCCCLIV. . . . . » 489

STATUTA CLERICORUM ab anno MCCXCVII. ad MCCCXXXVII. . . . . » 529

STATUTA MEDICORUM an. MDLXVIII. . . . . » 559

INDEX CAPITULORUM. . . . . » 581

10052142

10052142

AVVERTIMENTO

È da credersi che lo Statuto de' Mercanti Piacentini che quì si pubblica giacesse sino al presente inonorato perchè ignoto. Gli storici passati poco occuparonsi delle condizioni economiche della Piacentina regione nel medio evo, e chi ne scrisse di recente non vi attinse (1). Nè tenue è il vantaggio che chi sa addentro in tali studii potrebbe ritrarne; e molta luce potrebbe venirne su tutto ciò che riguarda il commercio di moneta, di manifatture, di prodotti del suolo d' Italia all' epoca famosa della pace di Costanza. La origine infatti di tale Statuto pare doversi riferire alla metà del secolo XII. quando non vogliasi far risalire ad epoca ancor più lontana, giacchè è noto che sino dal nono secolo avevano i Piacentini una rinomata fiera. Ma corpo di leggi commerciali forse allora non esisteva, e Muratori, fissa alla metà del XII., le origini delle leggi di Municipio e di Mercatura altresì (2). Ciò è tanto vero, che chi percorrerà le seguenti Rubriche, vi troverà date del secolo XII. e del principio del XIII., ne' quali tempi le relazioni commerciali de' Piacentini erano assai estese, e la fiera era giunta al massimo grado di floridezza. In progresso di tempo lo Statuto ebbe modificazioni; e molto differiscono dall' originario qui pubblicato due altri statuti de' Mercanti di Piacenza uno esistente presso il Conte Bernardo Pallastrelli, l' altro nell' antico Archivio del Comune, e precisamente nel volume membranaceo noto e citato dagli Istorici Piacentini sotto la indicazione di *Liber Dominici.*

Il Codice qui edito sta in originale autentico nella Biblioteca Piacentina Comunitativa ove pervenne forse all' epoca della soppressione del Collegio de' Mercanti. È un volume in foglio grande, membranaceo, coperto di cuojo grossolano, e munito di grosse e rozze borchie e cinghie. E puossi presumere con molta verosimiglianza che sia lo identico che è descritto in un inventario del Collegio de' Mercanti di Piacenza esistente nel Parmense Archivio di Stato (3). Dopo gli Statuti

---

(1) L. Scarabelli pubblicò in diversi tempi e luoghi scritti storici in cui stanno indagini sul commercio Piacentino ne' tempi di mezzo, ma non vide il presente Statuto. Presentemente se ne valse il Conte Bernardo Pallastrelli, che sta maturando una Storia Nummaria del Piacentino.

(2) Potissimum vero ad fovendum ac amplificandum mercium ac rerum venalium commercium exarsere Italicorum animi postquam complures e civitatibus Saeculo XII. in libertatem se se vindicarunt; nusquam enim melius est mercaturae quam in civitatibus liberis et Reipublicae formam custodientibus. Tunc ergo multis in locis invaluit mos creandi *Consules Mercatorum* etc. (Muratori. Antiq. Med. Aevi Tom. 2. pag. 887.

(3) *Uno libro antiquo et grande de li Statuti Antichi d' esso Collegio, et Mercantia in carta pecora coperto d' asse et staffe di mascadizzo.* Così il Cav. Amadio Ronchini ragguagliava chi scrive questa nota con sua lettera 4. Dicembre 1854.

antichi succedono nel volume altre disposizioni nuove, o modificazioni di vetuste. Le quali nel **1346** pare abbondassero siffattamente che fu sentita la necessità di una rifusione, e seguono infatti datati da quest' anno gli statuti che diconsi riordinati, abbreviati, ed in miglior forma ridotti. Il volume comprende **146** carte di grossa membrana, e quelle particolarmente che recano gli Statuti antichi sono rozze affatto, portano ne' margini molte irregolarità, e talora qualche foro anteriore però alla scritturazione. Le rubriche non sono contrassegnate da verun numero progressivo, nè havvi divisione alcuna in *libri* o *parti*. Solo sta in principio una tavola che richiama le rubriche con numeri Romani posti in testa a ciascheduna facciata. Si è creduto però conveniente l' apporre un numero progressivo onde facilitare la ricerca delle Rubriche stesse.

G. Bonora.

10052142

STATUTA ANTIQUA

MERCATORUM PLACENTIAE

In nomine Sancte et individue Trinitatis amen (1).

Hec sunt statuta et ordinamenta comunitatis et universitatis Mercatorum placentie et paraticorum subpositorum Jurisdictioni dicte comunitatis mercatorum placentie. Corecta et emendata per Sapientes et discretos viros dominos Lanxalotum cucherlam, Manfredum speltam, ronzonum Burgaronum de Burgaronis, Rufinum de puteo, et Frederichum de lando. Consules comunitatis et universitatis predicte, et providum virum Robertum cebulam filium quondam Alberti notarium ipsius societatis, una cum multis sapientibus supradicte comunitatis et universitatis. Et vissa etiam, et approbata, et confirmata per venerabiles viros dominos Jacobum de metalis jurisperitum Vicarium magnifici et potentis millitis domini Galeaz Vicecomitis civitatis et districtus placentie domini generalis; Antonium surdum, Plaxium coruum, Fulchinum strictum jurisperitos; Franciscum ferrarium de stractaleuata, et Johannem cagnolum de cur-

(1) Il presente proemio è scritto in caratteri rossi sulla prima pagina del Codice, ed è notabile che vi fu scritto dopo aver abraso dalla pergamena altro preambolo certamente di data più antica. Ciò apparirà in progresso da Rubriche dello Statuto che portan date anteriori al 1321.

temajori statutarios electos per dictum dominum et comune placentie, ac etiam approbata et confirmata in plena concione et conscilio generali comunis placentie in palacio ipsius comunis more solito solemniter congregato de mandato honorabilis viri domini Paganini de toculis (1) civis parme utriusque iuris professoris potestatis placentiae iuxta reformacionem super hoc edictam in generali conscilio supradicto scriptam per Michaelem de muzzis notarium et dictatorem comunis. MCCCXXj. Inditione quarta die octavo mensis Aprilis facta ad honorem dei omnipotentis et Beate virginis Marie. Beati Antonini martyris vocabuli civitatis placentie, tocius celestis Curie Sacre Romane, ac universalis ecclesie et Sacri Romani Imperii, et ad implicationem et statum pacificum dicti domini Galeacii et civitatis predicte cupientis fidelem comunitatem et universitatem predictam in bono regimine et in suo honore et jurisdicione deo propicio perpetuo conservari . cujus reformationis predicte in fine hujus voluminis tenor scriptus est.

1. Ego per bonam fidem sine fraude et malo ingenio regam et gubernabo comune nuxii (2) placentie ab isto proximo festo sancti Andree usque ad unum annum, et res ipsius comunis custodiam et salvabo et honeste in quantum potero augebo.

Ne quis faciat sacramentum contra Rectores nuxii.

2. Et si aliquis de negotiatione fecerit sacramentum contra me et socios meos rectores comunis nuxii, aut aliquod capitulum nuxii rumpere conatus fuerit aut operam dederit ad rumpendum, eum casabo ab

---

(1) È questi il Paganino de Toccoli che l' Affò chiama *eccellente Giureconsulto,* e che fu dopo Podestà di Modena nel 1323, e nel 1327 (Affò Storia di Parma Tomo IV pag. 238, 252). Egli era stato (1314) Professore di Diritto Civile in Treviso (Affò. Memorie degli Scritt. Parm. T. 1. pag. 278). Erronei furono gli Storici e Cronisti Piacentini che il chiamarono *de Zochis, de Tuoni, de Tocchi.* Qui la lezione *de Toculis* è nitida ed irrecusabile.

(2) *Nuxium.* Voce usata qui mille volte come sinonimo di *Mercatura.* In più luoghi leggesi *Statuta Mercadandie sive Nuxii.* Era ancora usata nel Sec. XVII, ed hassi a stampa un documento col seguente titolo — Conflictus . . . etc. circa modum eligendi Consules Vener. Collegii *Nuxii* ac totius Universitatis DD. Mercatorum Placentiae ibid. Bazachius 1653 in fol.° Donde venga però il *Nuxium* non è facile l' indicare, e le indagini sulla derivazione del vocabolo furono sinora inutili. *Nutzen* è voce *Teutonica* che vale *profittare, fruttare.* Non sarebbe dunque il *nuxium* venuto dal *nutzen,* ed equivalente a ciò che in linguaggio odierno direbbesi *borsa*?

omni officio conversatione et usancia utilitate et comoditate nuxii, et insuper sexaginta solidos ab eo tollam.

Si quis noluerit iurare sacramentum nuxii.

3. Et si quis vel si qua operabit vel faciet aliquod misterium quod nuxio pertineat et noluerit iurare sacramentum nuxii, vel racionis sub me faciendo cuicumque de se conquerenti, interdicam ei ne aliquis vel aliqua de iurisdictione nuxii ullum mercatum cum eo vel ea faciat, et ab omni conversatione, utilitate singulorum de iurisdictione nuxii eum et eam vitabo, et omnes comoditates et utilitates negociacionis denegabo eidem, et singuli consulibus paraticorum nuxii precipiam, ut suis collegiatis et iuratis precipiant ut modo predicto vitent talem personam. Et insuper viginti solidos tollam ei qui iurare noluerit, et decem solidos qui ei dederit ad laborandum, vel utilitatem seu comoditatem dederit contra predicta. Idem observabo in eo qui recusaret facere seu observare precepta rectorum nuxii. Additum est quod istud capitulum intelligatur ubique tam extra civitatem, quam in civitate.

Ne quis vitet aliquod preceptum rectorum nuxii.

4. Et quicunque de negociacione vitaverit aliquod preceptum quod ego vel aliquis Consulum nuxii ei fecero seu fecerit pro proficuo et honore comunis nuxii, aut fecerit contra comune nuxii non permittam cum aliquod officium pro comuni nuxii usque ad decem annos habere. insuper interdicam ei omnem comoditatem et utilitatem tocius negociationis secundum formam capituli proximi, quousque integre satisfecerit michi et sociis meis.

De petendo consilio legaliter pro parte utraque.

5. Consilium legaliter pro utraque parte petam. Ita tamen quod utraque pars cum sapiente suo si voluerit suam racionem aleget. Et in quolibet facto quod per sapientes iudicare debebo suspectos recipiam. nec in aliqua questione qua testes fuerint utrinque producti absente aliqua parte aliquid coram sapientibus alegabo.

Ne placitum excedens summam XX solidorum finiatur etc.

6. Et nullum placitum pertinens negociacioni quod summam viginti solidorum excedat, quin prius consilium a sapientibus Burgi (1) habeam, iudicabo, nisi finiri debeat per sacramentum difinitivum alteri ab una parte delactum (2) vel per transactionem.

Quod consules non recipiant aliquid ultra feodum suum.

7. Nec occasione mei consulatus aliquid per me vel alium recipiam preter feodum mihi concessum: et si sciero aliquem aliud aliter recepisse, illud reddam vel reddi faciam duplicatum.

Si aliquis consulum preteritorum receperit etc.

8. Et si sciero aliquem ex consulibus nuxii preteritis aliquid ultra feodum suum retinuisse vel habuisse, illud infra mensem quo sciero recuperabo in duplum sine tenore.

Ne de banno vel laudagio fiat ulli gratia vel remissa.

9. Neque de banno seu laudagio (3) ultra unum denarium alicui gratiam faciam vel remissam per me vel per alium nisi parabola consilii nuxii ad campanam collecti.

De manutenendis bonis usanciis Burgi.

10. Et omnes bonas usancias veteres de burgo manutenebo, et retineri omnes adjuvabo. Et missam in introytu mei consulatus mihi et sociis meis in Ecclesia Sancti Andree in burgo faciam cellebrari: et ita intelligatur si misteria non fuerint interdicta (4).

---

(1) Il *palatium nuxii* di cui più volte si fa cenno in questi statuti era situato in quel luogo della città che conserva anche oggi l' appellazione di *Borgo*.

(2) *Delactum* per *delatum*.

(3) *Laudagium* usato per *multa* come qui sarebbe, manca ai Glossarii.

(4) Si allude qui manifestamente agli *interdetti Ecclesiastici* sì frequenti in que' tempi di lotte incessanti fra la Chiesa e l' Impero.

De sacramento calumnie.

11. Et a decem solidis inferius neminem facere calumpnie sacramentum compellam.

De pignoribus consignandis futuris consulibus.

12. Et omnia pignora que in exitu mei consulatus fuerint in me de illis causis que per me vel socios meos finite non fuerint, consulibus qui michi succedent consignabo et dabo. Additum est huic capitulo. M CC LXXV. de mense octubris. Infra octo dies debeat reddere rationem suis successoribus in banno viginti solidorum de suprascriptis pignoribus.

De pignoribus vendendis.

13. Et pignora michi consignata a precedentibus consulibus nusii recepta pro laudagiis causarum non finitarum in sacramentum quibus calumpnie factum fuerit, vel aliquis prohibuerit testimonium absque laudagii soluctione non reddam, et usque ad mediam Quadragesimam partes convocabo: et eis denunciabo ut cum effectu causas prosequantur. quod si non fecerint ea usque ad festum omnium sanctorum vendi faciam, et in utilitate comunis nuxii mittam, et quod ab aliquo pignore superfuerit ei cuius fuerit reddam.

Quod pignus sufficiens pro laudagio et banno tollatur.

14. Et non recipiam aliquod pignus pro laudagio aut banno nisi fuerit sufficiens ad illam quantitatem cuius fuerit laudagium seu bannum; et quod superfuerit de aliquo pignore in meo regimine vendicto (1), ei cuius fuerit reddi faciam, et quod defuerit eum supplere compellam.

De terminis statuendis debitoribus et fideiussoribus.

15. Et de aliquo debito confesso postquam lamentationem recepero

(1) *Vendicto* per *vendito*.

ab aliquo de iurisdictione nusii ultra octo dies terminum ulli de eadem iurisdictione non dabo nisi voluntate creditoris . minus vero meo arbitrio preter de debito illo quod aliquis tanquam principalis debitor pro alio alicui promiserit divissim et non simul post eum pro quo promisit, de quo debito ultra duos menses terminum illi non dabo nisi voluntate creditoris, minus vero meo arbitrio si creditor apud me conveniet illum.

De eodem.

16. Et si quis foresterius conquestus fuerit de aliquo de iurisdictione nusii, terminum octo dierum illi dabo, et voluntatem creditoris, minorem vero meo arbitrio.

De eodem.

17. Et si quis de iurisdictione nusii conquestus fuerit de aliquo foresterio, terminum octo dierum dabo eidem, et maiorem voluntatem creditoris, minorem quidem meo arbitrio.

De eodem.

18. Et si quis conquestus fuerit de aliquo de iurisdictione nusii qui intercesserit principaliter pro foresterio terminum duorum mensium dabo eidem et maiorem voluntatem creditoris.

Quod terminus non detur alicui etc.

19. Et alicui qui promisit aliquid alii dare incontinenti (1), terminum ullum non dabo.

Quod mercedes incontinenti solvantur.

20. Si quis autem pro mercede conquestus fuerit de aliquo qui sit de iurisdictione nusii, et reus convictus fuerit aut confessus ipsum cogam incontinenti mercedem solvere cum expensis.

---

(1) *Incontinenti* usato per *immediatamente*.

De soluctionibus post terminum faciendis.

21. Et si quis debitor non soluerit creditori suo aut non paratus fuerit solvere de auro vel argento aut denariis debitum confessum ante quam creditor vel alter pro eo post terminum ad lamentationem inde reddierit, infra eamdem diem qua ad lamentacionem redierit cum eo ad domum debitoris ibo, et eum pro meo posse debitum creditori, et omnes expensas quas creditor inde fecerit solvere constringam, nisi per inopiam debitoris aut parabollam creditoris remanserit. Et insuper ei tollam duodecim denarios pro banno de libra, nec inde faciam ulli remissam.

De pena suis bonis cedentis.

22. Et si quis bonis cesserit non permittam illum esse curaterium vel officialem nusii, et cridari faciam et notificari eum bonis cessisse, et quilibet caueat sibi negociari cum eo.

De ammittenda denunciatione a debentibus etc.

23. Et si quis de nusii iurisdictione intercesserit pro aliquo qui non sit de iurisdictione nusii pro debito mutui preter quam pro foresterio, et terminum inde receperit sub consulibus nusii, possit et ei liceat ante terminum vel antequam creditor inde redeat ad lamentacionem denunciare, se velle satisfactionem creditori facere de suis bonis absque banni solutione.

De eodem vel quasi.

24. Et si quis de nusii iurisdictione mutuo sumpserit pecuniam ab aliquo qui non sit de iurisdictione nusii et terminum receperit, possit denunciare pro dicto modo absque banni solucione.

De pena dicentis se nolle terminum recipere etc.

25. Et si quis de nusii iurisdictione dixerit se nolle terminum recipere a me vel sociis meis de debito mercadandie, sed velle satisfacere

de suis bonis, interdicam ei omnem consuetudinem et utilitatem ac societatem omnium mercatorum et singulorum, nisi remanserit parabola creditoris.

De illo qui pecuniam alicui extra placentiam et ejus districtum promisit.

26. Si quis vero de nusii iurisdicione promiserit solvere denarios, et dare extra placentiam et districtum alicui de eadem iurisdictione et non solverit nec paratus fuerit solvere ad terminum inter eos statutum illos denarios ipsi creditori vel infra secundum diem, tunc scilicet infra secundum diem, possit creditor illud debitum super debitore mutuo accipere ad expensam et dampnum ipsius debitoris secundum quod cureret ibi ubi eadem solucio fieri deberet.

(1) *De duobus denariis de libra soluendis pro debito cambii seu mercati.*

27. Et ego consul cogam quenlibet debentem alicui pro mercato seu cambio cum cartula vel sine cartula solvere duos denarios de libra et non ultra pro quolibet mense ab eo die quo solucio debiti mercati seu cambii fieri debuerit cum expensis; hoc intellecto si solucio facta fuerit in denario: et si in aliis facta fuerit vel fieri debuit, liceat creditori quidquid poterit petere et consequi. Et predicta locum habeant inter mercatores et paraticos qui sunt super mercatoribus, et qui sunt de iurisdicione mercadandie.

Quod non cogatur ad solvendum mutuum ad ludum factum.

28. Et mutuum ad ludum et pro ludo factum solvi non cogam.

---

(1) Nel Codice la presente rubrica sta cassata con linee trasversali forse perchè fu soppressa od emendata nel 1323, la qual data di tempo trovasi quì segnata *interlinea*.

Ne debitor artelur (1) *ad soluendum, si post terminum vel infra se concordaverit cum creditore.*

29. Et si quis debitor infra terminum sibi datum vel post concordauerit se cum creditore suo, videlicet quod det ei aliquod lucrum pro debito quod sibi debeat et creditor post terminum ad lamentactionem inde ante me reddierit, illam lamentacionem pro noua habebo et primus terminus debitori non noceat, et in isto casu banum ei non tollam.

De statuendo terminum pignori insolutum dato.

30. Et si pignus insolutum tradidero creditori pro debito cambii aut negociationis continuo cum pignus illud tradidero terminum octo dierum tantum luendi pignus debitori dabo et non ultra, et ex tunc si debitor pignus ad illum terminum non luerit, liceat creditori illud vendere. Et si quid defuerit a soluctione integri debiti, eodem modo cogam debitorem qui defuerit solvere, et quod superfuerit debitori reddi faciam. Si vero debitum fuerit causa mutui terminum quindecim dierum tantum luendi pignus debitori dabo. Et eodem modo in omnibus observabo ut supra de pignore debiti cambii continetur.

De dato facto alicui de Jurisdictione Nuxii per aliquem forensem.

31. Et neminem contra quem aliquis forensis datum fecerit alicui de iurisdictione nusii compellam dare aliquid proficui, licet infra quindecim dies ultra terminum non soluerit quod forensi promisit. Item non compellam eum solvere aliquid pro tempore preterito neque de quindecim diebus nisi facta denunciatione debitori ab eo cui dactum factum fuerit.

De sentenciis transactionibus et terminis consulum preteritorum ractis habendis.

32. Et omnes sentencias et transactiones factas, et terminos debitorum confessorum a preteritis consulibus datos attendi faciam si lamentacio

(1) *Artare* usato per *cogere*. V. Du-Cange Glossar. aila Voce *Arctare*.

fuerit michi facta. Additum est huic capitulo. Nec ab ea appellari permittam, set (1) eas exectioni mandabo cum pena statuti.

Quod Consules Nuxii ad palacium venire tenentur.

35. Et omni die in mane et post nonam ad convocandum socios meos et officiales nusii scilicet notarium et curerios campanam sonari faciam si michi videbitur de campana sonanda, et ad palacium comunis nusii ibo, excepto in festiuitatibus in quibus non est consuetum per consules nusii de causis audiri si placentie fuero nisi remanserit iusto impedimento, nec inde discedam quin unus ex consulibus ibi remaneat, et tamen cum parabolla unius eorum, et ibi bona fide omni fraude remota stabo cum uno ex sociis meis pro negociis consulatus a mane usque ad horam tercie, et a nona usque ad horam vesperarum nisi remanserit pro negociis comunis vel occasione comunis, vel pro negociatione vel occasione comunis nusii vel iusto impedimento sine fraude sine tenore. Verumtamen si venero foris in civitatem de post vesperas ad palacium venire non tenear nisi michi denunciatum fuerit per aliquem sociorum meorum.

Quod duo ex Consulibus nuxii statutis horis sint apud palacium nuxii pro causis audiendis.

34. Et infra quindecim dies post quam intravero consulatum cum sociis meis ero in concordia quod duo ex nobis statutis horis sint apud palacium nusii pro causis audiendis, et sine tenore.

Quod debent esse ad recipiendum testes unus ex consulibus nuxii in causis que summam XX solidorum excedant.

35. Et ego vel unus ex sociis meis semper ero ad testes recipiendos in causis que summam viginti solidorum excedant, et illos contra quem testes recipiam requiri faciam sine tenore.

---

(1) *Set* per *sed*.

Quod consilium nuxii per Consules teneatur privatum.

36. Et omne conscilium quod privatum esse precipiam illud privatum tenebo secundum quod credam esse maiorem utilitatem facti super quo conscilium habuero supra dictum.

Ne nulli de consilio detur parabola generalis.

37. Neque alicui parabolam conscilii nusii dábo quin aufferratur ab eo cum cridabitur habens parabolam, et non habens vadat ad conscilium.

De cogendo quempiam quodlibet consilium nuxii ratum habere.

38. Idem sacramentum consules qui michi succedent subire compellam.

Et illud conscilium quod habuero a toto conscilio nusii, vel maiore parte ad campanam sonatam firmum tenebo. Et si quis resistere voluerit, cogam illum id quod per ipsum conscilium ordinatum fuerit observare.

Quod consules in consilio denuncient id de quo parabolam petent.

39. Et id de quo parabolam petam a Conscilio nusii in eodem conscilio denunciabo.

De banno illius qui requisitus ante Consules non venerit.

40. Et si misero curerium nusii ad domum alicuius qui sit sub consulatu nusii pro una vice expensis propriis suis eum ante me venire compellam si per illam vicem requisitus non venerit. Si vero ad secundam vicem non venerit ante nos vel alius pro eo duodecim denarios pro banno ei tollam, et omnes expensas ab actore factas ei restitui faciam, et eum ad ractionem faciendam compellam.

De non recipiendo feudo plus quam aliis sociis.

41. Neque de feodo meo aliqua vice recipiam plus quam aliquis sociorum meorum.

De pena Consulis dimittentis se perdere tenutam seu possessionem comunis nuxii.

42. Et si ego consul nusii dimisero me perdere tenutam seu possessionem vel quasi quam habeam pro comuni nusii vel habebo, non sin (1) neque esse possim consul nusii usque ad quinque annos. Additum est huic capitulo. Quod si fecero, consules futuri teneantur michi tollere centum solidos placentie. Et si quem contra aliquod capitulum nusii me sciente gravabo, non sin consul nusii usque ad tres annos, et insuper a me tollantur viginti sol. placentie.

De manutenendis paraticis nuxii in suo honore.

43. Et ego consul nusii quenlibet paraticum nusii in honore suo conservando adjuvabo et manutenebo cum ratione ad posse.

De tollendis bannis per Consilium nuxii missis.

44. Et omnia banna que per conscilium nusii missa sunt aut fuerint tollam nec remissam inde ulli faciam. Et de hoc absoluctionem non accipiam.

De viaticis et ambaxatis conscilii nuxii et expensis eorum.

45. Et si fecero aliquod viaticum pro comuni nusii expensis ipsius comunis, unum hominem de negociatione ducam mecum pro socio si in eo viatico debuero socium ducere, et non ducam ad expensas nusii nisi tantum tres equos, nec socium meum qui mecum venerit permittam ducere nisi tantum tres equos, et deducendo maiorem quantitatem

---

(1) *Sin* per *sim*.

equorum pro me vel socio meo qui mecum venerit parabolam petere non possim neque recipere.

De eodem.

46. Et si ullum viaticum pro comuni nusii fecero et aliquid de expensis superfuerit camerario nusii illud dabo infra terciam diem quo venero, factis expensis sine fraude, nec per donum neque per mutuum quod supererit petam neque recipiam.

De eodem.

47. Et nullum servicium petam neque recipiam ullo modo nec peti permittam a comuni nusii pro ullo viatico quod faciam usque in Ianuam aut pisam seu veneciam, Ravenam Riminem aut citra montes. Et si aliquod viaticum fecero pro comuni nusii ultra has confines recipere possim meritum arbitrio conscilii nusii per campanam collecti me remoto ab illo conscilio et non remanente in illo usque in decem libras et non ultra, et de hoc absolucionem non recipiam.

De eodem.

48. Et contentus ero in duobus solidis placentie pro expensis cuiuslibet diei pro me et uno equo et quilibet de tanto sit contentus per se et equo qui pro comuni nusii iverit, uno die alegacionis altero adiuvante.

Quod Consules nuxii breve (1) *cuiuslibet paratici faciant in sua virtute adduci.*

49. Et breve cuiuslibet paratici (2) nusii faciam in mea virtute adduci, et cum conscilio nusii illud si videbitur emendandum, sicut conscilio placuerit emendabo. Et si quis paraticus nusii aliud breve habuerit

---

(1) Pare che qui la voce *breve* debba aversi per sinonimo di *Statutum.*

(2) *Paraticum* è voce usata sempre nel senso di *collegio, corporazione.*

nisi illud quod ita fuerit emendatum et vissum, illud pro caso (1) habebo, et generaliter precipiam ne aliquis paraticus nusii aliud breve habeat. Et si post preceptum inventum fuerit aliquem paraticum aliud breve habere, et si sciero decem libras pro banno ei tollam, et hec omnia sine tenore, et illa vissa et emendata reddi faciam singulis paraticis infra quindecim dies postquam fuerint requisita sine ullo dacito. Et si conscilio placebit ipsa emendari unum de quolibet paratico elligam ad ipsa breuia approbanda. Et teneantur futuri Consules ista breuia fecisse approbari infra unum mensem ab introytu eorum infra quindecim dies restituere breuia paraticorum.

Ne aliquis paraticus nuxii habeat Regimen vel masaricium sine parabola consulum nuxii.

50. Et nullo modo substinebo quod aliquis paraticus qui sit sub consulatu nusii ullum regimen vel masaricium habeat si non habet sine parabola mea et sociorum meorum: neque quod aliquis paraticus nusii habeat libertatem levandi masarios vel rectores nisi secundum formam capituli sui approbati et laudati.

Ne Rassa (2) seu conspiratio in placencia fiat.

51. Rasam neque conspirationem non faciam. Et si sciero aliquem de meo consulatu esse in conspirati one vel rassa aut de aliquo audiuero, veritatem dabo operam cognoscendi: quam si invenero esse destruam quam cicius (3) potero et delebo, neque amplius fieri per totum meum consulatum permittam. Et bannum quod per maiorem partem conscilii nusii inde fuerit constitutum tollam ab eo. Item si aliquis placencie in rasa fuerit, et potestas vel consul civitatis eam frangere voluerit ad eam destruendam si a me pecierit forciam et vires dabo eidem.

---

(1) *Caso* per *casso.*

(2) *Rasa* e *rassa* usati indifferentemente nel senso di *congiura* e *monopolio.*

(3) *Cicius* per *citius.*

De responsione facienda potestati placencie per Consules nuxii.

52. Quancumque responssionem facere debebo potestati aut consulibus civitatis pro comuni nusii ad voluntatem conscilii vel maioris partis faciam potestati vel consulibus: nec aliam responsionem ipsi potestati vel consulibus faciam nisi illam quam habebo maiore parte nusii. Preter si coactus fuero per sacramentum a potestate vel consulibus comunis me rendere sicut specialis persona et consiliarius et non ut consul quibus tunc respondebo tamquam consciliarius, et non ut consul nusii.

De eodem.

53. Et nullam responssionem faciam potestati vel consulibus comunis de pace vel guerra facienda sine parabola conscilii nusii ad campanam collecti.

Quod Consules nuxii non faciant mutuum neque taliam.

54. Et consules nusii qui pro tempore fuerint non possint facere mutuum nec taleam pro comuni nusii nec aliquas expensas que tangant solvende paraticos nusii, quin requirant consules paraticorum nusii, et quod ipsi consules sint ad faciendum et imponendum ipsum mutuum et predictas taleam et expensas, et sine ipsis consulibus non possint fieri nec constitui.

Ne prohibeatur merchadandia quocunque portare.

55. Et operam dabo pro posse ne potestas placencie prohibeat aliquam mercadandiam conduci placenciam undeconque, et alio a placencia portari preter victualia.

Ut civitas placencie reformetur ad pacem.

56. Et operam dabo pro posse ut civitas placencie ad concordiam veniat atque pacem.

Ut granum placencie secure ducatur.

57. Et operam dabo ut omnes homines qui venerint placenciam cum grano vel mercato veniant secure ac sine offenssione, et quod de grano quod placenciam ducetur pedagium non solvatur.

Ne impediatur caminus vel strata.

58. Et in quantum potero prohibebo quod aliquis impediat caminum vel stratam, et ulterius eum qui fecerit pro officiali nusii non habebo.

Sacramentum nuxii.

59. Iuro ego quod bona fide et sine fraude attendam et observabo omne preceptum et omnia precepta quod et que Rectores nusii mihi fecerint pro honore et utilitate negociationis. Et non ero in conscilio vel auxilio quod nusium perdat de honore suo vel statu. Et si aliquem facere vel velle facere sciero bona fide sine fraude prohibebo ad posse. Et operam dabo efficacem ut consules nusii qui sunt vel pro tempore fuerint se de sacramento sui regiminis saluent et specialiter de sacramento debiti quo pro comuni nusii tenentur, et partem me contingentem ex eo debito solvam ad terminum michi per ipsos consules datum, et hoc sine tenore. Et forciam et adiutorium dabo comuni placentie contra omnes homines, et non ero in rasa vel conspiracione seu societate neque illam iurabo, et ut comune placencie stet in bono statu concordia et pace. Societas intelligatur pro aliqua discordia seu divissione que foret vel fieri vellet in civitate vel episcopatu placencie. Item ut potestas vel consules elligatur, vel elligantur qui regat sive regant civitatem placencie. Salvo sacramento civitatis.

Quod quando sacramentum nuxii fiet consules paraticorum nuxii facient iurare suos colegiatos.

60. Et quando sacramentum nusii fieri faciam cogam consules paraticorum nusii facere quenque sui colegii iurare sequimentum consulum nusii, et michi in scriptis dare omnes quos iurare fecerint et etiam omnes qui nollent iurare.

Capitulum levandi officiales.

61. Et infra quartum diem quo intrauero consulatum faciam conscilium ad sonum campane ac vocem preconis, et tot breuia fieri faciam quot homines erunt in eodem conscilio sine fraude et machinamento inter que sint decemocto brevia scripta, videlicet quatuor pro indicatoribus peciarum scilicet duobus stazonariis et duobus masariis et quatuor pro custodibus borarum. Et illi quibus illa brevia scripta pervenerint teneantur et eos iurare faciam quod ipsi scilicet quilibet secundum breve quod habuerit elligent ipsos officiales bonos utiles et idoneos, nec aliquem elligent de quo vel pro quo sibi preces facte fuerint postquam ellectores fuerint, nec aliquem qui moretur cum aliquo disipullo, nec aliquem quem credant catarum vel credentem catarorum. Hoc intellecto quod predicti stacionarii teneant stacionem et stent ad stacionem continue et nullus sit nisi fuit stacionarius et stetit per duos annos proxime elapsos scilicet pro capite stacionis. Additum est huic capitulo MCCLXXXI. indict. x. de mense octubris, quod quando consules facient hoc conscilium officialium teneantur in dicto conscilio precipere quod omnes illi qui non sunt de conscilio predicto debeant se dividere per sacramentum de dicto conscilio et in pena viginti solidorum placencie quam auferre teneantur. Et si quis qui non fuerit de dicto conscilio habuerit aliquod breve elligendi aliquem officialem, quod illa ellectio ipso iure sit cassa exceptis consulibus paraticorum mercadandie qui bene possint et debeant stare ad dictum conscilium.

62. Et officiales predictos scilicet quenlibet suum officium iurare faciam.

63. Et nullum habebo pro officiale in eodem officio et super eodem facto quod habuerit in anno proxime preterito preter currerios et pensatores, et parabollam inde non recipiam neque petam.

De pena officialium nuxii.

64. Et si quem ex officialibus meis quicunque sit in falsitatem invenero, vel facere contra hoc quod iuraverit et sciero, quadraginta solidos pro banno ei tollam, nec remissam inde ulli faciam, et eum ab omni officio nusii usque ad tres annos removebo et expellam, nec amplius officio nusii esse permittam usque ad dictum tempus, quorum duas

partes in comune nusii mittam, et terciam dabo acusatori sine tenore. Et nomen illius intus a palacio nusii scribi faciam ad memoriam literis magnis in muro et illam manutenebo scripturam; et si fuero ad emendationem brevis civitatis operam et forciam dabo ut hoc idem observetur in officialibus civitatis, scribendo in ecclesia maiori vel palacio comunis nomina eorundem.

De mercatis in quibus palmata fuerit data, vel denarius Dei ratis habendis.

65. Et si quis de nusii iurisdicione mercatum fecerit cum aliquo de iurisdicione nusii vel cum aliquo foresterio de rebus negociationi pertinentibus aut de quacunque alia re, et palmatam (1) inde dederit vel receperit, seu denarius dei dederit vel dari fecerit, illud mercatum inter partes faciam ratum haberi si lamentacio inde fuerit michi facta, et faciam in prima concione hoc legi.

De emendatoribus brevis nusii elligendis.

66. Et pro emendatoribus breuis nuxii elligam quatuor campsores, quatuor stacionarios de quibus duo ad retaleum vendant, et quatuor mercatores ex illis qui in francia utuntur, quatuor draperios, quatuor massarios, duos tinctores, duos hosterios, duos merzarios videlicet unum de burgo et alium de puteo fulberto, duos revenditores lini, duos formaiarios, duos testores tellarum screzarum, duos carzatores, duos batitores, et duos textores pignolatorum, et duos batitores lane quos iurare faciam quod usque ad vigiliam omnium sanctorum habebunt hoc breue nusii totum emendatum, et hoc totum facient remoto odio et amore speciali proficuo et dampno, et de hoc absoluctionem alicui emendatorum non dabo ullo modo nec dari faciam, neque aliquem officialem nusii elligam emendatorem, nec aliquem de quo vel pro quo michi preces facte fuerint, neque aliquem qui sit inventus in aliqua fraude in officio quod habuit, vel sit periurius de aliquo sacramento. Et nullum elligam emendatorem qui sit de aliquo paratico qui non sit de iurisdicione nusii.

---

(1) *Palmata*, stretta di mano fra due come garanzia di contratto stipulato.

Additum est capitulo huic MCCXI. Indictione decima de mense Octubris, quod ibi ubi dicit quod debeant eligi quatuor homines de illo paratico, dicant tantum duo; et ibi ubi dicit quod debeant elligi duo, dicatur tantum unus. Et ita intelligatur de mercatoribus qui utuntur ultra montes quod sint tantum duo.

De forma consulum elligendorum.

67. Et usque ad festum omnium sanctorum faciam conscilium ad sonum campane, et tot brevia fieri faciam quot homines fuerint in eodem conscilio, inter que vigintiquinque erunt scripta pro consulibus et unum pro camarario; et vigintiquinque ex illis quibus illa vigintiquinque brevia scripta pervenerint teneantur et eos iurare faciam quod elligent quinque (1) consules nusii videlicet quinque illorum unum consulem. Et cui breve camararii pervenerit unum camararium. Camararium dico morantem ad tabullam vel stactionem sive operantem negociationem quos creddiderint meliores et utiliores et magis ydoneos, et tunc precipiam per sacramentum in eo conscilio quod si quis est in eo qui non sit de iurisdictione nusii exeat de conscilio et eos ellectos infra octo dies iurare faciam, et si quis consulum ellectorum vel camararius defuerit vel absens fuerit, vel non iuraverit infra illos octo dies, infra tercium diem postea loco eius alium elligi faciam per illos qui eum ellegerint, et hec omnia sine tenore. Additum est huic capitulo quod aliquis non possit nec debeat esse nec elligi consul nusii nisi fuerit de iurisdictione nusii et sub sacramento nusii, et hec sine tenore.

De eodem.

68. Et nullus levator (2) consulis possit levare alium levatorem consulis, consulem, neque seipsum.

---

(1) In progresso di tempo i Consoli della Mercanzia furon quattro solamente. Così hassi da aggiunta del 1346.

(2) *Levator* usato qui nel senso di *elettore*, il qual significato manca ne' Glossarii.

De eodem.

69. Et ellectoribus consulum nusii et camerarii precipiam ne elligant consules vel camararium nusii quos credant esse cataros (1) vel credentes catarorum.

Quod platea burgi non impediatur.

70. Et non permittam aliquem revenditorem carnium, piscis, fructuum vel aliarum rerum, aut albergatorem sive aliquem alium hominem tenere discum ad banchum aut scamnum, sive tinam piscium aut aliquam aliam coperturam, vel gabias ad tenendum pullos aut corbam ad tenendum panem, vel aliquam aliam corbam in platea burgi a turre Gotenteste usque ad domum castelli villani extra porticus pro revendendo carnes, pisces, granum fructus vel aliud preter die sabbati, et contrafacenti tollam pro banno duodecim denarios pro qualibet vice si sciero sine tenore et currerium nusii ad accusandum illos compellam, et dimidiam dabo ipsis curreriis, excepto quod ego et socii mei possimus dare parabollam cuique per quindecim dies ante festum nativitatis domini, et quindecim dies post, et per totidem ad pascam resurectionis domini.

De Merzariis.

71. Et si quis merzarius in hostio stacionis sue vel extra hostium sue stacionis batet burram, duos solidos pro banno ei tollam.

Quod non inchantentur banche, volte, seu domus extra civitatem placencie.

72. Et nullus mercator placentinus extra civitatem placencie in Janua nec in aliqua alia civitate vel loco in quibus utuntur vel utentur mercatores placencie, possit incantare vel incarire banchum sive voltam seu domum aliis mercatoribus qui stet Janue vel in istis civitatibus vel locis.

---

(1) *Catari.* Così denominavansi certi settarii Manichei venuti dalla Bulgaria nel Secolo XI., e che si sparsero per tutta Italia, ove venivano chiamati anche *Paterini*.

et si quis contrafecerit centum solidos qualibet vice tollam pro banno, nec inde graciam vel remissam faciam. Additum est huic capitulo MCCCV. de mense octubris quod nullus mercator possit alicui alteri mercatori aliquam stactionem vel banchum seu tabullam in pena suprascripta incantare vel facere incantari in civitate placencie.

De amitendo minorem ad agendum et conquerendum.

73. Et ego consul quemlibet minorem ad agendum et conquerendum de suo debitore pro facto negociationis vel cambij vel horum occasione admittam, et eius lamentacionem audiam, eique ractionem faciam sine curatore et eciam sine consensu patris tanquam si esset maior viginti-quinque annis, vel pater familias.

Quod filius illius qui fecerit aliquam solucionem seu donationem uxori eius in fraude creditorum non admittatur ad merchadandiam.

74. Et si quis homo solverit neque donactionem fecerit uxori sue ius suum in fraude nollendo solvere creditoribus suis quos habeat occasione merchadandie, filium eius non recipiam ad sacramentum mercatorum neque dimittam illum esse mercatorem neque de mercadandia nisi prius fuerit concors cum creditoribus.

De mercato fili quod fit in platea Sancti Andree.

75. Et operam dabo ut mercatum fili quod diebus veneris in burgo fieri consuevit fiat in platea sancti Andree in burgo, et preceptum faciam omnibus tam feminis quam masculis qui emunt filum et vendunt ne in diebus veneris emant filum vel vendant nisi in eadem platea, neque vendant extra confines obviam filum adducentibus pro vendendo, qui confines sunt sicut mirat ab una parte strata, ad aliam ab andito quondam Borgognoni de Borgognonis usque ad domum Alberti musini. Veruntamen liceat cuilibet sine fraude filum emere quod ad vendendum ante suum hostium portaretur, et si quis de iurisdictione nusii contrafecerit pro hanno ei tollam duodecim denarios quorum dimidiam dabo accusa-

tori et hoc in prima concione legi faciam et per civitatem cridari et duos acusatores elligam ad predicta quos iurare faciam, et sine tenore.

De illis qui comune creditum habent extra placentinum.

76. Et si qui sunt vel fuerint sub consulatu nuxii qui factum habeant vel fecerint aliquod creditum in denariis vel aliis rebus comuniter alicui vel aliquibus, et ex creditoribus aliquis vel alius pro eo aliquid quoquomodo recuperabit vel recuperaberit, infra octo dies a lamentatione mihi facta de illo faciam quod recuperatum fuerit dividi inter creditores per libram. si vero a debitore vel debitoribus vel suo nuncio alicui seu aliquibus creditorum aliquid datum fuerit occasione doni vel alio modo, exceptis expensis infra octo dies post lamentacionem faciam illud totum inter creditores esse comune per libram. Et si quis ipsorum creditorum suam partem alienaverit sine parabola sociorum suorum in homine non cive placencie faciam illud totum quod inde habuerit dividi inter ipsos creditores per libram.

De eodem.

77. Veruntamen si quis ex creditoribus in presencia omnium consulum vel maioris partis denunciaverit aliis creditoribus consortibus suis nolentibus ire vel non potentibus se velle ire ad recuperandum creditum et ipsi expensas illi dare noluerint de comuni, vel inde se se concordare cum eo, si iens parabola omnium consulum nuxii vel maioris partis, suam partem vel minus sua parte recuperaverit, non cogam dividere illum pro libra; et si quis qui sit de meo consulatu contra hec statuta fecerit decem libras placencie vel tantum valens ei tollam pro banno quos comuni nuxii asignabo, nec remissiam neque gratiam inde faciam per me vel alium ei vel alii pro eo aliquo modo vel ingenio, neque parabolam inde petam neque inde eciam possim absolui et predicta omnia attendam, et quemlibet atendere faciam et contentum stare.

De eodem.

78. Et si quis istius civitatis comune creditum cum aliquo extra hanc habuerit civitatem, et unus illorum partem vel totum parabola

socii sui vel sociorum recuperaverit ex eodem et de illo aliquid perdiderit, totum dampnum sit de societate.

De eodem.

79. Et si quis aliquo iverit pro aliquo debito comuni recuperando pro quo expensas a sociis suis acceperit, et aliquod suum debitum in eo viatico habuerit, si illud ipsis ad quorum expensas iverit non manifestaverit infra octo dies posquam redierit, expensas de illo suo debito si ad illud recuperandum dederit operam faciam substinere per libram, et centum solidos pro banno tollam ab eo si michi lamentacio facta fuerit et hoc capitulum in prima concione legi faciam.

De adiuvando quemlibet qui perdiderit suum avere.

80. Et id totum quod aliquis mercator placencie amisit vel amiserit bona fide quam cicius potero recuperari iuvabo sine tenore.

De eodem.

81. Et si aliquis negociator huius civitatis deinceps extra districtum placencie perdiderit et ractionem habere nequiverit, si de avere illius terre in hanc venerit civitatem, illud si lamentacio michi facta fuerit intromittam salva ractione cujusque et illud avere quod alicui foresterio in placencia vel districtu ullo modo toletur bona fide operam dabo ut recuperet in totum salva cuiuslibet ractione sine tenore.

De eodem.

82. Et si quis homo de hac civitate extra placentinum districtum a duobus annis citra accepit aliquid seu deinceps accipiet aut aliquem manulevaverit seu manulevabit, et propterea alius mercator placencie dampnum aliquod habuerit, illud dampnum totum eum qui accepit vel accipiet manulevavit seu manulevabit si inde habuerit et potero in solidum faciam resarcire, et operam dabo ut in brevi civitatis hoc capitulum emendetur, et si aliquis negociator civitatis extra hanc civitatem de suo

perdiderit pro aliquo huius civitatis extra hanc civitatem debente, et vendicio propterea de suo avere facta fuerit illam venditionem manuteneri iuvabo in persona et havere comunis nuxii, et de hoc absolucionem non petam ullo modo.

De eodem.

83. Et si aliquis de iurisdictione nuxii amiserit de suo avere alicubi pro robaria in camino facta et michi denunciatum fuerit ut ad illud recuperandum illuc vadam, infra tercium diem a denunciatione consilium nuxii ad campanam faciam congregari, et si toti conscilio vel maiori parti placuerit ad illud recuperandum ad expensas comunis nuxii cum uno socio ibo eodem.

De eodem.

84. Et si quis de iurisdictione nuxii de suo avere amiserit a Seguxio in ancona et a Bononia in ancona vel a Seguxio citra et a Bononia citra, operam dabo ut in brevi civitatis emendetur quod consul comunis teneatur ire cum uno consule nuxii illuc ad illud recuperandum ad expensas comunis; quod si ire noluerit teneatur de comuni placencie dare expensas uni consulum nuxii cum uno socio, et si neutrum fieri nequivero non ero in consilio quo emendacio brevis comunis procedat nisi parabola consilii nuxii.

De adequatione expensarum infra unum mensem.

85. Et si quis de cetero mandaverit cum conscilio consulum nuxii in aliquam partem aliquibus mercatoribus denunciando aliquid et expensas fecerit, mercatores quibus mandaverit infra unum mensem a lamentacione michi facta de ipsis expensis eum faciam adequare nisi remanserit parabola conquerentis.

De Consulibus nuxii camarario et notario indennibus conservandis.

86. Et si quis ex consulibus nuxii aut camararius vel notarius qui modo sunt aut olim fuerint in meo consulatu sub potestate vel consulibus comunis vel iusticie convictus fuerit ab aliqua persona occasione

alicuius facti, quod in suo consulatu vel officio pro comuni nuxii fecisset, et aliquod dampnum propter illud passus fuerit, illud de rebus comunis sibi restituam. Et si quis ei aliquod malum meritum propter illud in rebus rediderit vel personis, aut reddere voluerit eum deffendam et manutenebo, et ab omni dampno de comuni nuxii liberabo de quibus parabolam non petam neque acipiam. Et futuros consules ita iurare faciam et ipsi alios et sic omnes iurabunt qui pro tempore fuerint.

Ne quis pedagium vel malosum novum seu revam novam constituat.

87. Et infra octo dies postquam intravero consulatum precipiam iuramento ne ullus de iurisdictione nusii sine parabolla mea et omnium meorum sociorum aut partis maioris super se vel alium placencie constituat amodo revam novam vel eius simile aut pedagium novum seu malosium novum, nec det ullo modo, et si sciero aliquem contrafacientem quadraginta solidos placentinorum ei tollam pro banno de quo nulli graciam faciam vel remissam neque absolutionem acipiam. Et si sciero aliquem constituisse a duobus annis citra illam vel illud dari non permittam deinceps et omnes contractus inde factos destruam meo posse omnino.

Ne pedagium constituatur de novo.

88. Et non faciam coligi nec permittam aliquod pedagium super placencie mercatores nisi fuerit missum de novo in pleno conscilio per campanam colecto voluntate ipsius conscilii vel maioris partis.

Ne quis mercator placencie somam alicuius forasterii faciat suam causa excusandi pedagium.

89. Et infra quindecim dies postquam consulatum intravero preceptum faciam ne ullus mercator placencie in Janua vel placencia aut in camino faciat ullam somam alicuius foresterii suam causa excusandi ne inde pedagium marchionis aut pedagium Janue seu aliud pedagium exsolvatur. et si quis contrafecerit centum solidos pro banno ab eo tollam. insuper utrumque pedagium solvere illum constringam. Et somam amittat.

de quo dabo acusatori medietatem, et aliam medietatem in comuni nuxii mittam nec inde ei faciam graciam vel remissam. Et singulis kalendis hoc capitulum per burghum cridari faciam. et hoc capitulum carta attestata mittam et denunciabo consulibus mercatorum placencie Janue existentibus.

Ne aliquis paraticus nuxii faciat rasam etc.

90. Et proybebo ne aliquis paraticus nuxii faciat aliquod preceptum vel ordinamentum contra alium paraticum nuxii. Et si quis contrafecerit quadraginta solidos placentinorum ei tollam pro banno. Et hoc sine tenore.

De componendo pacem.

91. Et si sciero discordiam esse inter aliquos de iurisdicione nuxii, operam dabo infra quindecim dies concordiam facere. inter eos sine aliqua violencia meo posse.

De saximentis.

92. Et si quis de iurisdictione nuxii aliquod avere penes eum saxitum exire dimiserit de sua virtute sine mea parabola vel alicuius sociorum meorum, decem solidos pro banno ei tollam. Et ad satisfaciendum de ipso saximento eum compellam.

De prohibendo ne rasa seu statutum fiat super mercimoniis alicuius.

93. Ego consul nuxii proybebo ne aliquis paraticus nuxii, vel aliqui de iurisdictione nuxii faciat seu faciant rassam, conspiracionem, statutum seu emendamentum seu preceptum in scriptis super mercimoniis sive robis alicuius hominis placencie vel alterius civitatis sive loci in emendo seu vendendo. Et si quis hoc fecerit vel fecerint tollam illi paratico viginti solidos placentinorum, et cuilibet alii decem solidos pro banno qualibet vice nisi factum fuerit mei parabola et sociorum meorum.

De consulibus eligendis in Janua.

94. Et usque ad kalendas ianuarii elligam duos negociatores ex illis qui Janue commorantur occasione mercandi, sub quibus mercatores qui sunt ibi et erunt de eorum discordiis et negociis morari compellam, et omnia ordinamenta facta et banna imposita per ipsos mercatores vel maiorem partem eorum racta et firma habebo et ea tollam si michi fuerit intimatum, et ad ea denuncianda michi illos compellam. Set liceat eis si per menses sex exercuerint supradictum alios duos loco sui mercatorum conscilio suregare. Addictum est huic capitulo MCC.LXXX. de mense octubris quod consules teneantur si decem mercatores placencie fuerint in Janue vel plus elligere ex ipsis unum consulem qui nullum feodum habeat si denunciatum eis fuerit. Et sine tenore. Et si dicti consules non eum elligerint quod sindicentur in sexaginta solidos placentinorum.

De banno.

95. Et si quis mercator se noluerit distringere sub eisdem, sexaginta solidos ab eo tollam pro banno.

De consulibus eligendis ubicumque fuerint tres mercatores.

96. Si vero in Venetiis, Mediolano. montepesulano. et markia, videlicet in aliquo eorum locorum fuerint tres mercatores placencie, et si ibi habitaverint, elligam vel elligi permittam illis consulem unum ex eis. Si autem a tribus mercatoribus supra fuerint duos consules illis elligam vel elligi permittam secundum formam et modum illorum de Janua.

Quod non finiatur aliquod consilium quin intersint due partes.

97. Et non finiam aliquod conscilium pro avere mutuo acipiendo vel expendendo aut pedagio constituendo, quin intersint ad illud conscilium pro duabus partibus omnes illi paratici qui ellecti sunt ad conscilium nuxii, et non absque parabolla maioris partis ipsius conscilii.

De illo qui furtum vel dampnum fecerit alicui iurisdictionis nuxii.

98. Et si quis de iurisdicione nuxii furtum vel dampnum aliquod fecerit alicui de iurisdicione predicta, interdicam et proybebo nequis de iurisdicione iam dicta contrahat vel utatur aut mercatum faciat cum eodem, nisi prius se concordaverit cum eo cui dampnum vel furtum fecit. Item si quis de ipsa iurisdicione exierit de placencia cum avere alicuius, et michi denunciatum fuerit ad expensas denunciantis et passi dampnum ibo ad illam civitatem ubi fuerit sive locum. et operam dabo ad illud avere recuperandum pro posse ac capiendum personam eandem.

Quod aliquis mercator non debeat locare somam etc.

99. Et teneatur quilibet mercator non locare somas alicui vecturalli cui alius mercator somas locaverit, nisi ille vecturalis primo conduce-rit et portari fecerit somas ei primo locatas quo ipse promiserit, et si quis contrafecerit decem solidos ab eo tollam pro banno. Insuper pre-cipiam per sacramentum omnibus mercatoribus ne illi vecturali vel alii pro eo usque ad sex menses locent aliquam somam.

Capitula super revenditoribus lini.

100. Et ego consul nuxii quenlibet vendentem linum consuete qui non iuraverit sequimentum nuxii, et sacramentum paratici linarolorum iurare compellam. Additum est huic capitulo ut omnes homines et mu-lieres qui continue exercent officium vendendi et emendi linum compel-lantur facere sacramentum consulum linarolorum, et hys capitulis te-neantur qui alii linaroli tenentur.

De eodem.

101. Et si quis linarolus vendiderit non iustam pensam quinque li-brarum, duodecim denarios ab eo tollam pro banno.

De eodem.

102. Et pro torta (1) lini quinquaginta libras lini cum benedictione sueta dari compellam. Et si plus fuerit emptori de pluri solvi constringam, si vero minus, de precio diminui ad precii ractionem.

De eodem.

103. Et infra unum mensem ab introytu mei consulatus elligam duos bonos homines qui in placencia vel districtu circabunt pensas lini et libras linarolorum. Et si quas non iustas invenient michi consuli nunciabunt, a quo sex denarios tollam pro banno et iisdem officialibus dabo dimidiam eorundem.

De eodem.

104. Et fraudem inventam in aliquo lino que non appareret tempore emptionis conscilio sapientum emptori faciam resarciri.

De circhandis marchis campsorum et aliorum.

105. Et usque ad kalendas februarii elligam duos campsores quos circare (2) faciam omnes marchas campssorum ad marcham comunis nuxii, et libras eorum ac balancias. et quas rectas invenient reddent eis quorum fuerint sine mora. Et quas non rectas invenient drizari facient melius quam poterint, habendo dicti officiales de qualibet marcha quam drizari facient pro eorum feodo unum denarium et non ultra.

De eodem.

106. Et si sciero aliquem de predictis contrafecisse quinque solidos ab eo tollam pro banno. Item marchas specialium et merzariorum fa-

---

(1) *Torta* (fascio, fascicolo); Du-Cange vorrebbe leggere *torsa;* ma qui come nello Statuto di Vercelli da lui citato è evidente e ripetuta la prima lezione.

(2) *Circare* usato per *visitare, ispezionare.*

ciam drizari ad libram duodecim unziarum et eas faciam eodem modo circari, et si qua marcha vel libra inventa fuerit minus in fraude, duos solidos ab eo cuius fuerit tollam pro banno.

De staderiis ungendis quolibet die sabato.

107. Item iurare faciam pensatores quod quolibet die sabbati de oleo ungent stateras, et utrique statere fieri facient capelletum in ea per civitatem portari dum pluet.

Quod quilibet merces suas ad stateriam nuxii pensari faciat.

108. Et omnes merces hominum placencie qui sunt de districtu nuxii que debent vendi hac civitate ad pensum dividi et cognosci, ad stateram nuxii, a centenario supra pensari faciam dividi ac cognosci, et stamengnas ad cordam. (1) a quinquaginta brachiis supra mensurari. Et a quinquaginta brachiis infra stamengna mensuretur secundum mensuram drapporum. Et venditorem et exteros pensaturam ut superius est scriptam pensatori vel pensatoribus solvere ac dare compellam. et diem de cordatura servabo. Et si sciero aliquem contra predicta facere, a venditore quinque solidos pro banno aufferam, quorum medietas sit acusatoris. et totidem ab emptore. et hoc totum legi faciam in publica concione et eciam per civitatem cridari, quod nemo merces vendat ab uno centenario supra, quin ad stateram nuxii faciat eas pensari. et hoc sine tenore.

Ne quis teneat stateram nec operet pro emendo aut vendendo.

109. Et non permittam aliquam personam placencie habere sive tenere aut operari ullo modo in domo sua aliquam stateram pro emendo aut vendendo. et in concione precipiam vendentibus et ementibus tellas ne vitent aliquem cordatorem.

---

(1) *Corda,* misura della quale sin qui non mi venne fatto di trovar la corrispondenza col *passo* o braccio di que' tempi.

De stateriis circandis quolibet mense.

110. Et ambas staterias faciam quolibet mense circari. Et si recte non fuerint faciam illas drizari.

Quod quilibet cordator habeat unam cordam.

111. Et quenlibet cordatorem unam cordam habere compellam.

Quod consules non recipiant convivium.

112. Et convivium quod faciebant cordatores et pensatores consulibus nuxii non recipiam, neque aliquid occasione illius, nec aliquod convivium ab aliquo officiali recipiam ullo modo.

113. (1) Et totam pensaturam et cordaturam in comune nuxii mittam et camarario nuxii consignari et dari compellam, neque faciam inde ulli remissam nec inde aliquid tollam nisi parabolla conscilii ad campanam collecti.

Quod bannum quinque solidorum acipiatur si statera inventa fuerit alicubi nisi ubi posita fuerit.

114. Et si statera nuxii inventa fuerit alicubi nisi ubi portata fuerit per cordatorem vel pensatorem vel alium pro eo. quinque solidos pro banno ei tollam.

Capitula super stacionariis.

115. Et iussionem ydoneam stacionariis (2) et mercatoribus dari faciam bona fide ac dabo.

De eodem.

116. Et ego proybebo ne quis de iurisdicione nuxii vendat fustaneum

---

(1) La rubrica 113 manca di titolo nell' originale.

(2) *Stacionarii*. Pare debba intendersi de' mercanti che avevano *stazione,* o *bottega.*

ad retalium in hospicio, set liceat cuilibet persone vendere fustaneum in quaconque parte mercati voluerit, et alibi ubi voluerit preter in hospicio dum vendat bonum fustaneum et legalem et ad iustum passum atque legalem.

De eodem.

117. Neque aliquis det officium alicui pecie scavizate (1) tan tinte quam sgreze que sit scavizata pro malle testo nisi ad imblanchiendum, et si quis contra hoc fecerit quinque solidos pro banno tollam ab eo.

De eodem.

118. Et omnes stacionarios tempore ferie sub uno culmo et una tenda morari et stare constringam habendo quilibet stacionarius pro loco septem brachia et non plus. et teneantur stare retro dischum suum et aliquem a discho alterius non vocare. Et si quis contrafecerit quinque solidos ab eo tollam pro banno. et quilibet contrafacientem accuset. Cui accusatori terciam partem dabo de illis.

De eodem.

119. Et ego consul quanlibet personam de placencia vel de burghis vendentem fustaneum ad retalium in mercato vel extra cogam iurare sacramentum consullum et collegii stacionariorum.

De peciis sgreciis passandis.

120. Et omnes homines qui pecias sgrezias emunt iurare faciam quod cognitate non ement ullam peciam vellatam falsam, vel male textam, et antequam peciam dent ad candendum pasabunt vel pasari facient et vellatam cum emerint. Et si quam minorem invenient quantitate statuta michi consuli vel uni sociorum meorum portabunt. Et ego illas per scavizatores faciam mensurari et eam si minor inventa fuerit in tribus

---

(1) *Pecia scavizata* corrisponderebbe alla voce italiana *scámpolo*, *bascavëzz* in dialetto piacentino.

capiciis scavizari, et si quis contrafecerit duodecim denarios de qualibet pecia pro banno tollam ab eo et acusatori dimidiam dabo ex illis. Et si quis sit (1) aliquem facere contra in ullo michi consuli manifestet.

Quod quilibet dans pecias ad tingendum etc.

121. Et quisque faciat vel fieri faciat suam bullam in capite cuiuslibet sue pecie tingende vel candidande antequam det ad carzandum eamdem. Et si quis contrafecerit de qualibet unum denarium ab eo tollam pro banno. Addictum est huic capitullo quod quilibet tinctor teneatur facere suam bullam super qualibet pecia que sibi dacta fuerit ad candidandum sub predicto banno.

Ne quis emat peciam sgreciam aut tonsam ad suam fortunam ad uistam.

122. Et preceptum faciam ne quis emat vel vendat ullam peciam sgrezam vel tonsam ad suam fortunam ad uistam. et qui contrafecerit et sciero decem solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno et acusatori medietatem dabo illorum.

De non dando nec accipiendo aliquam peciam ad condictionem passandi

123. Et preceptum faciam per sacramentum quod nullus det vel accipiat peciam ullo modo ad condictionem passandi vel maletexte per se vel alium, et si quis contrafecerit et sciero quinque solidos ab illo toltam pro banno.

De non emendo vel vendendo peciam contrafactam.

124. Et preceptum faciam ne aliquis de civitate placencie vel districtu emat vel emi faciat vel vendat vel vendi faciat ullam peciam sgreciam

---

(1) *Sit* forse erroneamente per *scit* o *sciet*.

contrafactam peciis sgreciis de placencia, neque det neque dari faciat alicui dictarum peciarum aliquod officium ullo modo. et si quis in aliquo contrafecerit de unaquaque pecia quinque solidos ab eo tollam pro banno. et quilibet sciens contrafacientem michi vel sociis meis manifestet.

Ne quis emat seu vendat pecias nisi pro ea terra de qua fuerint.

125. Et si quis emerit vel vendiderit pecias amplas aut strictas virgatas vel euratas seu pecias albas de mediolano vel alia terra nisi pro ea terra de qua fuerint, centum solidos ab eo tollam pro banno, et quilibet sciens contrafacientem accuset. Et ego acusatori medietatem dabo illorum, singulis kalendis faciam et hoc per civitatem cridari.

Quod nullus teneat disipulum qui emat etc.

126. Et preceptum faciam quod nullus teneat disipullum qui pecias sgrecias comparet aut vendat nisi fecerit sacramentum nuxii, et qui scierit facientem seu tenentem michi consuli manifestet et si sciero aliquem tenere viginti solidos placencie ab eo tollam pro banno. et quinque solidos acusatori dabo ex illis.

De officialibus passuum.

127. Et infra quindecim dies postquam intravero consulatum unum stacionarium et unum draperium elligam, quos ad canalem (1) feram comunis nuxii habentem testas duas omnes passus civitatis drizare constringam. Et si ex tunc postea aliquem passum minorem invenient duos solidos ab eo cuius fuerit tollam pro banno de quibus sex denarios ipsis masariis dabo et sex denarios currerio nuxii. quos passus usque ad sanctam mariam candellarum circabunt. hoc intellecto quod unus currerius nuxii portet canalem predictam cum officialibus predictis exercen-

---

(1) *Ad canalem feram*, ed altrove *ferream*. Nel palazzo de' Mercanti esisteva la misura legale del *passo* o *braccio* infissa nel muro e costrutta in ferro. La quale misura normale fu poi trasportata nel secolo XVII. nel nuovo Collegio de' Mercanti ove anche oggi si vede infissa nel muro di una camera.

tibus officium istum. Et dictos officiales quolibet mense in mercato passus circare compellam.

De eodem.

128. Et omnes passus ad quos emitur et venditur ab ambobus capitibus constringam verari (1). Et si quis ad emendum vel vendendum passum fuerit operatus qui non sit a capite utroque veratus et sciero duos solidos ab eo tollam pro banno.

De eodem.

129. Et tempore ferie placencie faciam preconia voce cridari nequis foresterius utatur vel mensuret sive passet aut passari faciat nisi ad passum drizatum (2) ad canalem predictam, et ipsis foresteriis qui venerint ad feriam suprascriptam cum tellis et drappis passus faciam asignari drizatos et bollatos ad canallem predictam expensis eorum.

Ne quis det minus legali mensura.

130. Et si quis draperius et stacionarius minus iusta mensura et legalli de drappo vel fustaneo dederit in quantitate que valeat sex denarios vel ultra usque in quinque solidos, cogam illum dampnum restituere pacienti, et quinque solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno. Si vero dampnum fuerit in quantitate quinque solidorum vel ultra, decem solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno, et delinquentem ipsum dampnum restituere modo iandicto constringam.

Capitula super caricis piperis Januensibus.

131. Et si quis fecerit Carigam piperis ad modum Carice Januensis, et fraudem aliquam operabitur in eadem, quadraginta solidos pro banno tollam ab eo. Et medietatem acusatori dabo illorum. et hoc legi faciam in arengo.

---

(1) *Verari* da *vera* usato in dialetto piacentino anche oggidì, e corrisponde alla voce italiana *Ghiera*.
(2) *Drizare* per *rettificare*. Voc. che manca ai Glossarii.

De eodem.

132. Et si scivero aliquem fraudulenter diminuere de carica piperis Januensi aut aliam fraudem facere vel fieri permitere in eadem, quadraginta sol. pro banno ei tollam. et medietatem dabo acusatori ex illis.

De eodem.

133. Et si carica piperis Januensis aut carica facta ad modum illius inventa fuerit ultra duas libras minus decen octo pensis piperis mondi. Et si sciero faciam restitui dampnum emptori si a me fuerit requisitum. Set si ad piper mondum fuerit factum mercatum decen octo pensa piperis dari copellam.

De officialibus ad circandum annullos.

134. Et infra mensem postquam intravero consulatum, elligam duos campsores qui noticiam habeant de hoc facto, qui teneantur iuramento ut semel singulis mensibus cum uno ex consulibus nuxii qui consules teneantur ire ad domos sive tabullas et staciones campsorum mercatorum et fabricorum omnes annullos quos campsores mercatores et fabri tenuerint ad staciones suas ac tabulas pro vendendo facient et illos pensabunt, et diligenter inquirent et quenconque annullum quem minus sedecim caratis invenerint rumpent. et hoc sine tenore.

De pena vendentibus anullos contrafactos.

135. Et si aliquis campsor vel aliquis de iurisdictione nusii vendiderit annullum ferri ottoni rami vel peltri pro auro vel argento, decem solidos ab eo tollam pro banno et hoc sine tenore. Additum est MCCLXXXXj. de mense Octubris quod ubi dicit decem solidos, dicat decem libras placentinorum.

De recto penso tocius mercadandie manutenendo.

136. Et rectum pensum fili, bambaxii, oley, piperis et omnium aliarum rerum in suo statu manutenebo.

De libris marenchis circandis.

137. Et usque ad primam dominicam quadragesime libras marencas (1) oley faciam circari. Et si quam in falsitatem invenero ei cuius fuerit vel penes quen fuerit duodecim denarios tollam pro banno, et ipsam libram comburi faciam nec ulli inde faciam graciam vel remissam neque parabollam petam, quorum terciam dabo curreriis nusii.

De eodem.

138. Neque in ulla libra marencha pontexellum (2) medie libre marence fore permittam.

De eodem.

139. Et quilibet portans oleum marenchum (3) ad vendendum per civitatem vel eius districtum cum libra marenca portet unum cepum medie libre marence, et cazollam unius libre que sit quarta pars libre marence, ad quam vendat volentibus minus media libra marenca. Et si quis contrafecerit qualibet vice duodecim denarios ab eo tollam pro banno.

De eodem.

140. Et si quis de iurisdictione nuxii habitans in placencia vel districtu mutuabit suam cazolam alicui oleum per civitatem portanti, duodecim denarios. qualibet vice tollam pro banno.

De eodem.

141. Et si aliquis vendiderit oleum ad edendum ad cazolam aptam pro oleo comburendo, quinque sol. pro banno ei tollam.

---

(1) *Libra marenca.* Misura di capacità usata esclusivamente per l' olio. Ciò ricavasi dalle aggiunte del 1346 ove leggesi: *Mensura pro oleo que libra marencha dicitur* etc.

(2) *Pontexellum.* Presumo sia quello che dicesi in dialetto *brocca*, e in italiano *bulletta* o *chiodo* che ponesi nelle pareti delle misure di capacità onde denotare le divisioni.

(3) *Oleum marenchum.* Forse nel senso di olio proveniente dal mare onde differenziarlo dagli olii nostrali?

De eodem.

142. Et quilibet de iurisdictione nuxii in cazolla apta ad oleum marenchum vendendum quatuor signa bulle nuxii teneatur habere, et in cazolla apta ad oleum comburendum vendendum duo signa.

De restituendo damnum etc.

143. Et si quis de districtu nuxii dixerit alicui de eodem districtu ut sibi aliquod faciat servicium occasione mercadandie sive pecunie portande aut adducende seu recuperande vel alio modo, et ipse illud fecerit, et propterea dampnum passus fuerit, illum pro quo fiet servicium damnum passo integre resarcire compellam.

De pena acipientis aliquod breve etc.

144. Et si quis de iurisdictione nuxii accipiet amodo aliquod breve in quo aliquid de cambio vel negociatione legatur, quod breve sit missum per aliquem socium suum qui sit extra placenciam pro comuni negocio suo et sociorum suorum, et statim quam cicius poterit omnibus suis sociis vel maiori parti eorum pro quorum comuni negocio ille socius iverit non ostendet, centum solidos pro banno tollam ab eo, et insuper si aliquam negociacionem fecerit postquam illud breve receperit et antequam illud ostenderit ut supra dictum est, compellam eum de illa negociacione partem dare sociis suis secundum quod quilibet debet de negocio comuni si michi fuerit requisitum.

De lucro dividendo inter socios etc.

145. Et si quis negociator hujus civitatis in aliquo viatico de suo avere portaverit sine sciencia et voluntate sociorum suorum. Et emerit aliquid, id totum quod inde lucratus fuerit dividi cum sociis suis compellam et expensas solui per libram si michi fuerit requisitum.

Ne quis instrumentum vel breve alicuius sigilatum apperire presumat.

146. Et si quis breve vel instrumentum publicum alterius hominis sigillatum presumpserit fraudulenter apperire, centum solidos ab eo pro banno tollam, et hoc sine tenore.

De non peiorando rem venditam.

147. Et si quis de iurisdictione nusii in aliqua re post quam vendita fuerit fraudem fecerit vel fieri permiserit, vel eam deteriorabit seu permiserit peiorari. Centum solidos ei tollam pro banno. Et si quis aliquem scierit hoc facientem infra tercium diem michi vel meis sociis manifestet.

De manutenendo feriam placentinam.

148. Et feriam placentinam manutenebo, et omnes soluctiones conventas fieri in eadem faciam solvi in illa si potero et michi lamentacio fuerit inde facta.

Quod quisquis ligna vel assides subtus bambaxium teneat.

149. Et si quis mercator non tenuerit assides vel ligna subtus bambaxium suum in canevis. Quinque solidos si sciero ab eo tollam pro banno qualibet vice.

Ne quis emat cesalias vel retaliaturas alicuius monete.

150. Et si quis de iurisdictione nuxii per se vel alium amodo emerit vel eum emi fecerit in placencia vel districtu seu in alia civitate vel eius districtu. cesalias sive retaliaturas alicuius monete. viginti quinque libras placencie ei tollam pro banno. et quilibet hoc facientem accuset. quorum dimidiam dabo acusatori.

Quod nullus retaliet ullam monetam.

151. Et si sciero aliquem de mea iurisdicione retaliare mezanos sive

ullam monetam. decem libras ab eo tollam pro banno, et dimidiam acusatori ex illis dabo.

Quod nullus tollat mezanos retaliatos puros in fraude.

152. Et si quis de iurisdictione nuxii accipiet mezanos retaliatos puratos in fraude causa misendi (1) illos in bonis aut mezanos falsos seu tonsos aut aliquam monetam in fraude nisi in sacho causa dandi alicui homini placencie vel episcopatus, viginti solidos ab eo tollam pro banno et dimidiam dabo acusatori ex illis. Et hoc capitulum faciam singulis kalendis cridari.

Capitula ne ulla moneta falsa vel contrafacta fiat.

153. Et precipiam per sacramentum in consilio et arengo ne ullus de iurisdictione nuxii partem habeat ullo modo in aliqua moneta auri vel argenti contrafacta per se vel per alium, neque conscilium neque opem det nec dari faciat facienti vel facere volenti monetam contrafactam neque aurum nec argentum. Et si quis scierit aliquem contrafacere michi quam cicius poterit manifestet. Et ego si sciero ab eo qui partem in moneta contrafacta habebit. centum libras placencie. et ab eo qui opem seu conscilium vel aurum seu argentum dederit facienti vel facere volenti. viginti libras tollam pro banno de quibus bannis nulli graciam faciam nec remissam.

De eodem.

154. Et si quis de iurisdictione nuxii vel aliquis civitatis placencie aut districtus fecerit aut fieri fecerit seu consensum sive forciam aut auxilium prebuerit ad faciendum aliquam falsam monetam, operam dabo meo posse inveniendi eundem quo invento si fuerit de iurisdictione nuxii mille solidos ab eo tollam pro banno si tantum habuerit sui (2) avere, per comunem placentie eum in persona condempnari conabor.

---

(1) Forse erroneamente scritto per *miscendi*.
(2) Pare che dopo l' *avere* manchi qui un *et*.

Capitulum officialium candellarum cere etc.

155. Et infra mensem postquam intravero consulatum duos bonos et ydoneos elligam qui artem cognoscant. quos iurare faciam quod circabunt et diligenter inquirent omnes candellas factas de cera ad modum candellarum Januensium. et si quas invenient nisi de cera pura et puro bambaxio illas intromitent et tollent ac statim michi et sociis meis aferent et ego illas faciam in platea burgi comburi. et duodecim denarios de qualibet libra tollam pro banno ex quibus duos denarios dabo massariis infrascriptis.

Ne quis paraticus etc.

156. Et si aliquis paraticus nuxii vel consul seu masarius alicuius paratici sive aliquis pro aliquo paratico denonciaverit verbis vel scriptis emendatoribus brevis nuxii quod non habebit breve nuxii pro emendato, tollam ab eo paratico qui hoc fecerit vel pro quo factum fuerit. centum solidos placencie pro banno. et hoc sine tenore.

De eodem.

157. Et si aliquis de iurisdictione nuxii denunciaverit ipsis emendatoribus quod nunc habebit ipsum breve pro emendato. viginti solidos ab eo tollam pro banno.

Capitulum passandi pecias longas albas.

158. Et si quis de iurisdictione nuxii nunc passabit peciam longam blancam cum emerit et si minus vigintiquinque brachiis eam invenerit ipsam non scavizabit, duodecim denarios ab eo tollam pro banno quorum medietatem acusatori dabo et sine tenore.

Capitulum mercedis dande carzatoribus.

159. Et quilibet de iurisdictione nuxii teneatur dare carzatori pro carzatura pecie longe duos denarios et pecie curte unum denarium et

dimidium. Et si quis contrafecerit qualibet vice duodecim denarios ab eo tollam pro banno.

Capitula capiciorum fili.

160. Et preceptum nuxii faciam ne quis vendat vel emat capicium (1) fili qui foris placencie venerit, neque texeat nec texi faciat quin post vendicionem per custodes borearum ad orditorum nuxii faciat mensurari.

De eodem.

161. Et si quis de districtu placencie capicium ullum qui foris placencie venerit emet vendet aut adducet quin post vendicionem aut cum adduxerit ad orditorium nuxii faciat mensurari et trahi per borearum custodes, et si sciero duos solidos pro banno tollam ab eo de quolibet eorundem quorum terciam dabo custodibus.

De eodem.

162. Et si ullus capicius curtus fuerit iudicatus, ab eo cuius fuerit duodecim denarios tollam pro banno quorum terciam partem dabo custodibus memoratis, neque postea curere capicium illum permittam preter de capicio quem aliquis placencie duxerit si illum extra placenciam ducere sine vendicione debebit.

De eodem.

163. Et si quis de iurisdictione nuxii fecerit vel fieri fecerit seu orditerit capicium foresterium, neque ad modum capicii foresterii de filo placentino excepto pro laborando ipsi capicio in placencia. Quinque solidos de quolibet capicio ab eo tollam pro banno et terciam partem acusatori dabo ex illis.

---

(1) *Capicium.* Pare debba intendersi per questa voce l' insieme di que' fili paralleli che stabiliscono la lunghezza di una pezza di panno o tela. Corrisponderebbe in tale accettazione alla voce italiana *Ordito.*

Quod filum plac. non portetur extra eius dìstrictum.

164. Et si aliquis de iurisdictione predicta portabit filum placentinum extra districtum placencie. duodecim denarios de qualibet libra fili ab eo tollam pro banno et acusatori dabo medietatem illorum.

Ne pecten vel capicium ad vellatas Januam vel aliquo defferatur.

165. Et proybebo ne aliquis homo de iurisdictione nuxii portet vel portari faciat Januam capicium fili neque filum nec petinem peciarum vellatarum. neque alium petinem usque ad aliquem locum causa portandi Januam. Set non intelligatur hoc in capiciis foresteriis.

De capicio fili stupe.

166. Et si alicui de iurisdictione nuxii capicium in quo sit filum stupe invenero. Sex denarios ab eo tollam pro banno.

Capitulum vendentium Ruziam (1).

167. Et omnes de hac civitate et burgis qui ruziam vendunt quos sciam non iurasse iurare constringam quod non ement ruziam ream neque fraudulossam neque miscebunt bonam ruziam cum rea vel foliis neque misceri permittent. et postquam eam emerint illam non fraudebunt neque frauderi permittent et si scierint aliquem hoc facere michi consuli vel meis sociis infra diem tercium intimabunt. Et si aliquem vendentem ruziam in civitate vel burgis in falsitatem invenero quadraginta solidos ab eo tollam pro banno, neque absolucionem inde petam neque illum per totum meum consulatum in civitate vel burgis ruziam vendere permittam nec inde absoluctionem sibi faciam neque in conscilio ponam.

---

(1) Secondo Du-Cange la *Ruzia* sarebbe polvere di corteccia di quercia per uso de' conciatori di pelli.

De statu peciarum mercaderiarum manutenendo.

168. Et statum peciarum fustaney manutenebo de latitudine unius brachii passus et longitudine ac tintura ut est constitutum et specialiter peciam mercaderiam de viginti brachiis et quarta et tribus libris et media bambaxii et de hoc parabollam non petam neque recipiam.

De longitudine et latitudine peciarum fustanei.

169. Et non permittam fieri peciam amplam de viginti quinque brachiis et dimidio que fiat minus viginti quinque brachiis et dimidio per lungitudinem nec minus duobus brachiis passus per amplitudinem, neque peciam amplam de viginti brachiis et quarta que fiat minus viginti brachiis et quarta passus pro lungitudine nec minus duobus brachiis passus per amplitudinem, neque peciam virgatam amplam que sit minus viginti quinque brachiis et dimidio per longitudinem aut minus viginti brachiis et quarta nec minus duobus brachiis passus per amplitudinem, neque peciam ouratam strictam que sit minus viginti brachiis et quarta per longitudinem nec uno brachio passus per amplitudinem, neque peciam placentinam de viginti quinque brachiis et dimidio que fiat minus ea quantitate per lungitudinem, et per amplitudinem uno brachio passus. Et preceptum faciam quod si aliquis aliquam predictarum peciarum minus invenerit de lungitudine et amplitudine michi consuli representet. Et ego illam in tribus capiciis faciam scavizari, et sine tenore.

De quantitate filorum in capiciis ponendorum.

170. Neque amplam peciam permittam sgreciam fieri ad minus viginti duobus centenariis pro capicio, neque peciam amplam virgatam ad minus viginti centenariis pro capicio, neque peciam virgatam ad carzandum strictam ad minus decem centenariis pro capicio, neque ouratas strictas ad minus novem centenariis pro capicio, neque ouratam blancham que non carzatur ad minus decem octo centenariis pro capicio.

Capitulum factorum oselatarum et floretarum (1).

171. Et omnes factores et qui faciunt fieri floretas et oxelletas iurare constringam quod duplam facient aut fieri facient per longitudinem decem brachiorum et per amplitudinem duorum brachiorum et medie quarte ad passum, et quod non mitent in decem brachiis minus quinque libris bambaxii. Et si quis aliquem boconum minus invenerit de longitudine et amplitudine michi consuli vel meis sociis representet. et ego eum per lungum per medium dividi faciam. Et a faciente vel eo cujus fuerit sex denarios tollam pro banno.

Ne capicium vel filum ematur per foresterios.

172. Et operam dabo apud rectorem comunis placentie quod proybeatur pro comuni placencie quod nullus foresterius emat nec portet filum nec capicium placencie extra civitatem et districtum placencie et quolibet mense faciat hoc capitulum semel cridari per civitatem.

De spiis dandis etc.

173. Et teneantur consules nuxii si eis requisitum fuerit dare spias et eas mittere ubique extra districtum placencie ad circandum et inquirendum si ibi aliqua persona vendidit filum vel capicium factum de fillo placentino expensis illorum qui hoc requisierint. Et ipsas spias quando illas mittent iurare faciant hoc inquirere et circhare bona fide, et si aliquam personam invenerint vendere filum et capicium factum de filo placentino extra districtum placencie, quod ipsis consulibus manifestabunt. Et ipsi consules teneantur eorum posse auferre ab ea predictum fillum et capicium vel eorum extimacionem quam ipse spie dixerint valere ipsum filum et capicium, et insuper auffere ab ea pro banno. Centum solidos et ab officio mercadandie removeantur usque ad tres annos proximos. et hoc sine tenore et scribatur in palatio nuxii.

---

(1) *Floretae* et *oxellatae*. Specie particolari di tessuti dei quali indarno ho indagato ne' Glossarii per trovare i corrispondenti.

Quod nullus faciat fieri extra districtum pecias placentinas.

174. Statuerunt emendatores nullo discrepante quod nullus de civitate placencie faciat nec fieri faciat per se vel alium aliquo modo seu ingenio in aliqua civitate lombardie vel extra lombardiam, seu in aliquo alio loco extra placenciam vel eius districtum aliquam vel aliquas peciam vel pecias longam vel longas curtam vel curtas, vellatam seu vellatas ad modum placentinum. Et qui contrafecerit solvat bannum qualibet vice centum sol. placencie. de quibus consules non faciant nec facere possint aliquam graciam seu remissam, et medietas sit acusatoris.

Ne laborerium duplum fiat in pecia orolata.

175. Neque permittam aliquod laborerium duplum fieri in aliquo petine orolato.

De eodem.

176. Et nemo qui vel que faciat vel fieri faciat ouratas de duodecim oiolatis ponat vel poni faciat in eis minus quindecim libris bambaxii. et petines qui fuerunt emendati de viginti reducantur et ponantur ad duodecim.

De eodem.

177. Et omnes qui ouratas faciunt iurare faciam quod non facient imbraxilare bambaxium per aliquem tintorem de coco braxilii (1) neque de alio. et qui contra hoc fecerit. viginti sol. ab eo tollam pro banno.

De statu pectinum.

178. Et pectinum statum manutenebo et infra duodecim centenaria

---

(1) *De coco braxilii.* Meravigliò Muratori di trovar ricordato il *legno del Brasile* a quest' epoca. Fu sostenuto infatti da molti che fosse introdotto in Europa dopo la scoperta del Brasile fatta da' Portoghesi nel 1501. Cade però ogni meraviglia ammettendo che il Brasile fosse così chiamato dagli scopritori per l' abbondanza di quel vegetabile che ivi trovarono. Così accertano Huezio, Barros autore Portoghese ed il Rabbino David Kimchi (Vedi Muratori. Antiquit. Med. Aevi tom. 2 pag. 898, e la Martiniere. Diction. Geogr. alla voce *Bresil*).

petinem faciam deleri omnino et omnes homines istius civitatis qui petines ad fustaneos faciunt vel facient in hac civitate vel burgis quos sciam sacramentum sui officii non fecisse iurare constringam. quod petinem aliquem infra duodecim non facient. Et si quem emendabunt ita emendabunt quod erit rectus. Et ego si sciero aliquem emendare petinem fustaneorum ita quod non sit rectus vel facere falsum. ab eo duos solidos tollam de banno quorum medietatem dabo custodibus borearum.

Capitula et sacramentum textorum et textricium pignolatorum.

179. Et si quis vel si qua ex falso petine texuerit duos sol. similiter pro banno tollam ab eo vel ea si sciero et ex illis dabo medietatem custodibus. et textorem sive textricem cogam dampnum pecie emendare massario et ei cuius fuerit si invenero ei tantum, et ille cuius pecia erit inde non habeat ullum dampnum nisi fraudem commiserit in predictis. Set non intelligatur falsum pecten si tantum duo dentes fuerint minus in eo, et pro utroque illorum duorum dencium minus inventorum unum denarium tollam pro banno, si autem a duobus dentibus supra dens fuerit minus inventus pro quolibet sex denar. tollam pro banno.

De eodem.

180. Item textores et textrices quos et quas sciam non iurasse iurare constringam quod omnia illa que in suis manibus pervenerint bona fide custodient et salvabunt, neque misebunt bambaxium album cum ciso et cuilibet pecie genellam facient ab utroque capite preter ab eo inde fuerit cera et non plus una quarta infra peciam, et si quis vel si qua genellam non fecerit in hac forma vel si fecerit plus una quarta infra peciam tres denar. tollam pro banno ab eo vel ab ea. Et si aliqua pecia longa vel vellata fuerit plus una quarta infra peciam et habuerit genellam tollam ab eo vel ab ea tres denar. pro banno.

De eodem.

181. Et preceptum faciam textoribus omnibus ac textricibus istius civitatis vel suburbiorum ne peciam sgreciam de viginti brachiis et quarta

vel peciam longam reddant ei cuius fuerit neque de tellario scavicent si per custodes borearum fuerit cassonata sine parabolla eorumdem. et si quis vel si qua contrafecerit. quinque sol. plac. de unaquaque pecia tollam pro banno.

De eodem.

182. Et preceptum faciam ipsis textoribus et textricibus ne filum, bambaxium recipiant ad texendum quin prius pensetur. neque ponant in pecia mercaderia minus tribus libris et media bambaxii. et si quis vel si qua contra hoc fecerit, sex denarios pro unaquaque pecia tollam ab eo vel ab ea pro banno.

De eodem.

183. Et si quis textor vel textrix fecerit scurzaturam de capicio pecie mercaderie vel longe. Quinque solidos ab eo vel ab ea tollam pro banno et acusatori dabo dimidiam.

De eodem.

184. Et si quis textor vel textrix michi accusatus fuerit vel acusata non iurasse, illum vel illam pro posse iurare compellam si potero. de quo sacramento teneatur a proximo festo sancti Andree proximo venturo usque ad quinque annos. Millesimo ducentesimo decimo octavo. Indictione secunda de mense novembris.

De eodem.

185. Et textores quos hoc sciero non iurasse iurare compellam si aliquod bambaxium ad eos pervenerit causa vendendi quod creddant esse subreptum, quod infra octauum diem quo illum habuerint operam dabunt bona fide invenire illum cuius fuerit quem si invenerint illud ei reddent sin autem denunciabunt michi vel sociis meis et ego illius dimidiam ipsi inventori concedam aliam vero in comune nuxii mittam.

De eodem.

186. Et iurare faciam textores ac textrices in hac civitate vel burgis morantes quod ponent et poni facient in pecia lunga quinque libras et dimidiam bambaxii in capicio quod sit quinque librarum fili in quo non sit aliquod filum stupe. Et si quis vel si qua contrafecerit. et ego sciero. octo denar. ab eo, vel ea de qualibet pecia tollam pro banno. ex quibus duos denarios dabo custodibus borearum.

De eodem.

187. Et si quis textor vel textris laborare debuerit alicui pro denariis quos receperit ab eo, cogam illum vel illam prius merere illos denarios eidem si dare poterit ad laborandum prius quam texeat alii, si vero non poterit ei dare ad laborandum cogam illum vel illam satisfacere de illo quod non meruerit credditori. Et si quis prius non meruerit illos denarios quam alii laboret. duodecim denarios tollam pro banno.

Capitulum factum super filatricibus.

188. Et ego consul quanlibet filatricem dampnum bambaxii malefilati vel diminuti ei cuius fuerit emendari compellam habendo super dampno illo conscilium hominum duorum bonorum. quod si emendare noluerit seu reddere bambaxium quod receperit (1) distulerit si a me fuerit requisitum precipiam sacramento ne ullus det ad laborandum eidem nisi prius suo satisfecerit creditori.

Capitulum textorum tellarum sclatarum.

189. Et omnes textores et textrices tellarum sgrezarum attendere et observare constringam pactum mercedis texture quod primum fecerint cum eis quibus texere telas convenerint si michi lamentacio inde facta fuerit et ea mercede illos ipsas tellas bona fide laborare compellam, et non permittam bannum tolli ab aliquo eorundem eo quod texeat ad maiorem modum aliorum sive mensuram.

---

(1) Dopo il *receperit* per la retta sintassi è da aggiugnere un *et*.

De eodem.

190. Et consules eorundem textorum dare terciam partem eorum introytus michi consuli et meis sociis teneantur.

Capitula massariorum et sacramentum illorum.

191. Et omnes masarios et massarias istius civitatis atque burgorum iurare faciam quod omnes pecias pignolati quas fieri facient faciant bonas et legales ac bene textas. et illas omnes passabunt. et si quam minore invenerint quantitate statuta michi consuli presentabunt neque parabollam de hoc petam.

De eodem.

192. Item faciam illos et illas iurare quod in singulis peciis tam vellatis quam aliis quas facient antequam exeant de illorum virtute suum signum de emdico vel carbono facient speciale scilicet quilibet et quelibet suum signum. Et si quis vel si qua contrafecerit. Sex denar. de qualibet pecia tollam ab eo vel ea pro banno preter de signo non facto in vellata de quo tollam tres denarios.

De eodem.

193. Et preceptum faciam super massarios et massarias ne texi faciant aliquem capicium fili qui sit plus. Quinque librarum et duabus unciis sine fraude in duabus peciis de viginti brachiis et de quarta vel duabus peciis longhis, neque in quo sit aliquod fillum stupe. Et si quis vel si qua contrafecerit duodecim denarios ab eo vel ea tollam pro banno et ne emant fillum cum aliquo qui non sit de iurisdictione nuxii et qui non sit etatis sedecim annorum et qui non sit negociator vel massarius pro se.

De eodem.

194. Et si quis vel si qua boream (1) suam non synerit aperiri duodecim denarios ab eo vel ea tollam pro banno. quorum terciam dabo custodibus borearum. insuper interdicam et precipiam ne quis mee iurisdictionis negocietur cum illo vel illa. Et si quis contrafecerit et sciero quinque solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno, et hoc in plena concione legi faciam.

De eodem.

195. Et si quis massarius vel massaria dederit ad texendum alicui persone que non fecerit sacramentum textorum. decem solidos ab eo tollam pro banno.

De eodem.

196. Et si quis massarius vel massaria michi acusatus fuerit non iurasse infra tercium diem eum vel eam iurare faciam et constringam pro posse de quo sacramento teneatur a festo sancti Andree proximo futuro usque ad quinque annos. Millesimo ducentesimo decimoctavo. Indictione secunda. de mense novembris.

De eodem.

197. Et si aliquis masarius vel masaria miscebit vel batet vel misceri seu bati permittet raspaturam, carzaturam aut tondellam cum bono bambaxio ad filandum quadraginta solidos ab eo vel ea tollam pro banno et medietatem dabo accusatori de illis et hec sine tenore.

De eodem.

198. Et liceat masariis disipulos sub se habere et consulibus masariorum tres solidos placentie pro disuplina auferre ab illis seu quolibet

---

(1) *Borea.* In vernacolo Piacentino e massime nel contado si usa *böra* per *cantina,* e forse è usato qui sempre nel senso di luogo a terreno ove lavoravano i tessitori.

eorum ex quibus teneantur michi et sociis meis partem terciam assignare et facere illos iurare sicut ego et socii mei tenemur. et consules batitorum non possint illos discipulos molestare neque sub se cogere.

De eodem.

199. Item liceat consulibus masariorum tollere et habere a quocunque qui venerit ad faciendum officium massaricii per se tres solidos de quibus teneantur michi et sociis meis dare medietatem.

De eodem.

200. Et preceptum faciam ne ullus faciat peciam aliquam vel boconum aliquem de tondella vel carzatura seu pellamine seu raspatura, et si quis scierit aliquem facere michi consuli manifestet et ego tollam ab eo de quolibet bocono sive pecia decem solidos pro banno. insuper illam peciam vel illum boconum cum utensilibus quibus facta vel factus fuerit faciam comburi et acusatori dabo medietatem de banno. et hoc sine tenore.

De eodem.

201. Et preceptum faciam masariis omnibus peciarum ne ullo modo se conveniant alicubi pro faciendo aliquod statutum vel ordinamentum emendi seu vendendi. quod si fecerint decem solidos si sciero a quolibet eorum tollam pro banno. et hoc sine tenore.

De eodem.

202. Et quemlibet massarium et masariam iurare constringam quod textori sive textrici dabit ad ponendum in aliqua pecia longa et poni faciet quinque libras et dimidiam bambaxii. Et si quis contrafecerit duodecim denarios tollam ab eo pro banno.

Capitula circatorum omnium pensorum et librarum.

203. Et usque ad quindecim dies ab introytu mei regiminis prece-

ptum faciam et per civitatem cridari quod quilibet et quelibet civitatis et districtus operans vel habens pensarolum libram mediam libram cent. med. cent. pensum medium pensum quartam partem pensi vel aliquod aliud pensum maioris ponderis quam centenarium usque ad kalendas Januarii faciat ea drizari. Item ad eundem terminum ea omnia et alia sua pensa preter libram et mediam libram, et duas libras faciat bulla comunis nuxii bollari. Et si a kalendis Januariis in antea per me vel meum nuncium alicui invenero non bollatum aliquod predictorum duodecim denarios pro banno tollam ab eo. Item si a dicto termino in antea aliquam libram vel mediam libram aut ballanciam non rectam habere invenero sex denarios ab eo tollam pro banno. Item si centenarium medium centenarium, pensum, medium pensum quartam partem pensi vel aliud pensum maius quam centenarium aliquem per me vel alium habere invenero non rectum vel non rectam tres solidos ab illo tollam pro banno. hoc intellecto quod pro aliquo predictorum bullato et minus invenero bannum non auferatur nisi manifeste apparuerit diminutum de illo quod minus inventum, statim iubeatur drizari set pro banno non auferam pro penso duorum librarum, vel minus libre si plus fuerit medio quarterio. Additum est huic capitulo quod quilibet qui drizaverit aliquod pensum non possit nec debeat habere ab aliquo pro penso bollando nisi tantum unum medianum. Et si non fuerit rectum habeat unum denarium.

De eodem.

204. Et usque ad kalendas predictas pro istis circhandis vel inquirendis elligam duos homines bonos et legales unus quorum sit de paratico formagiariorum, et alius de masariis quibus dimidiam dabo bannorum et eos iurare faciam sicut melius et utilius michi videbitur expedire.

Capitula Formageriorum.

205. Et ego consul nuxii non consenciam collegium sive paraticum aut consules formaiariorum facere rassam vel preceptum contra aliquem mercatorem propterea quod vendiderit vel vendi fecerit suum caseum vel oleum per civitatem et sicut voluerit vel quia emerit vel emi fecerit a foresterio vel alio mercatore. Et si contrafactum fuerit tollam ab illo paratico viginti solidos qualibet vice pro banno sine tenore.

De eodem.

206. Et ego consul nuxii cogam quenlibet vendentem caseum oleum, sepum sunciam et carnes sicas ad minutum vel retalium in civitate vel burgis cotidie iurare sacramentum nuxii et sacramentum paratici formagiariorum.

De eodem.

207. Et si consules vel paraticus formagiariorum prohybuerit vel preceperit ne aliquis de iurisdictione nuxii per civitatem ad vendendum portet aliquid de predictis, tres solidos ab eo tollam pro banno excepto in castro in quo possint facere preceptum illis qui sunt de eius paratico.

De eodem.

208. Et si quis revenditor carnium casey oley minus recta libra alicui ementi dederit de aliquo predictorum vel dari fecerit. Quinque solidos placentinorum ab eo tollam pro banno et acusatori medietatem dabo illorum.

De eodem.

209. Et liceat cuilibet de iurisdictione nuxii emere carnes et caseum quantunconque vellit non obstante capitulo formagiariorum.

Ne quis osterius emat ab hospite suo ultra unam somam casei vel olei.

210. Et prohybebo ne quis hosterius emat ab hospite suo ultra unam somam casey et oley pro vendendo ad minutum. Quod si fecerit ipsum cogam iurare sacramentum formagiariorum.

Capitula batitorum bambaxii.

211. Et iurare faciam batitores quos sciero non iurasse si quod bambaxium causa vendendi ad se pervenerit quod creddant esse surreptum

quod infra octavum diem quo illud habuerint operam dabunt bona fide invenire illum cuius fuerit. et illo invento illud ei reddent. sin autem michi vel sociis meis denunciabunt et ego ipsius medietatem illi concedam et alteram in comune nuxii mittam.

De eodem.

212. Et liceat consulibus batitorum de mercede tollere ab omni persona que venerit ad faciendum sacramentum paratici batitorum tres solidos tantum de quibus terciam partem dent michi et sociis meis.

De eodem.

213. Et ego consul nuxii quenlibet disipullum masarii completo termino contractus disipulatus sacramentum paratici batitorum de mercedibus iurare compellam. Ita tamen quod id sacramentum non noceat masario quin ipse disipulus minus restituat ei tempus quo cum eo laboraverit secundum pacta contractus predicti.

De eodem.

214. Et teneantur singuli batitores (1) quod non miscebunt neque batent raspaturam carzaturam aut tondellam cum bono bambaxio. et si quis contrafecerit quinque solidos ab eo tollam pro banno et dimidiam dabo acusatoris de illis.

De eodem.

215. Et si quis batitor bativerit tondellam vel carzaturam aut raspaturam nisi pro faciendo per puntam (2) xoratam aut zupam. Quinque solidos ab eo tollam pro banno neque alicui faciam inde remissam et terciam dabo acusatori de illis. Et si quis scierit aliquem facere michi consuli vel meis sociis manifestet.

---

(1) Nelle aggiunte del 1346 sono detti *batitores sive trituratores bambaxii.*

(2) *Perpuncta.* Benchè la voce sia nell' originale divisa è da tenersi che sia la *perpuncta* definita dal Du-Cange *lana vel gossypio farta et acu stipata.*

De eodem.

216. Et in concione precipiam per sacramentum omnibus batitoribus ne simul se conveniant ullo modo causa augendi mercedes vel faciendi ordinamentum batendi ullam quantitatem bambaxii minus octo librarum. Et si quis contrafecerit qualibet vice decem solidos a quolibet tollam pro banno.

De eodem.

217. Merces pensi bambaxii est decenocto denariorum, et nullus det minus neque plus ea quantitate pro mercede pensi bambaxii neque ullus inde minus neque plus recipiat. Et si quis contrafecerit teneantur Consules nuxii auferre tan danti mercedem quam acipienti illam pro banno qualibet vice quinque solidos et hoc sine tenore, qui quinque sol. sint et esse debeant comunis nuxii.

De eodem.

218. Et proybebo ne consules batitorum proybeant aliquem batitorem batere et laborare cum quolibet masario cum quo uoluerit. quod si fecerit, duos solidos ab eis tollam pro banno. Salvo eo quod quilibet batitorum teneatur prius merere denarios quos receperit ab hospite suo quam vadat laborare cum alio.

Capitula custodum borearum.

219. Et quatuor bonos homines et ydoneos qui noticiam habeant de hoc facto ellectos in conscilio nuxii iurare compellam quod ter in omni edomeda circabunt omnes tellarios placentie et burgorum et orditoria semel per mensem. et si quod orditorium invenient falsum tres personas pro testibus ad illud videndum vocabunt. Et si aliquos vel aliquem de iurisdictione nuxii vocaverint pro teste ad illud videndum et illuc venire contempserint vel contempserit teneantur consules nuxii eis vel ei auferre pro banno qualibet vice duodecim denarios. et hoc intelligatur tam

de masculis quam de viris (1). et michi denunciabunt et ego ab eo cujus fuerit duos solidos tollam pro banno quos dabo ipsis custodibus borearum. Et omnes tellas quas in tellariis invenient vel sibi ostense fuerint custodient dilligenter tan lungas quam curtas et totum sirbium (2) vel maiorem partem disuolvent ut textum inspiciant et filum illarum, et si filum stuppe invenerint in aliqua earundem michi vel meis sociis intimabunt. Idem de falsitate si quam in eis invenerint infra tercium diem observantes. Et si quam peciam curtam ream invenerint vel que illis videatur habere bambaxium minus tribus libris et media bambaxii infra tercium diem postquam finita fuerit indicatoribus peciarum portabunt et boua fide facient iudicari. Et si quam peciam longam ream invenerint vel que ipsis videatur habere minus quinque librarum bambaxii. Et capicium maioris ponderis quinque librarum, vel in quo sit filum stuppe custodibus peciarum ruzie et coloris portabunt et ostendent suas et pecias quas facient vel fieri facient sociis suis qui in eis partem non habeant ostendent et boreas clausas quibus consuetum est vel putaverint laborari vel texi facient aperiri si poterint et si non poterint michi vel sociis meis denunciabunt continuo. Item quod portabunt secum mensuram pettinum peciarum longarum et curtarum. Et cum illa pectines circabunt ad ipsas pecias faciendas. et alios pectines, et si quem minus illa mensura invenerint michi vel sociis meis presentabunt. Et ego deinde ipsum pectinem non permittam aliquem vel aliquam operari nisi prius factus fuerit rectus. et duos solidos ab eo vel ea cuius fuerit tollent pro banno, et peciam cum eo textam in tribus capiciis scauizabunt de quibus denariis duodecim denarios michi et meis sociis consignabunt. Et nullum servicium pro hoc officio recipient nisi hoc quod eis est a comuni nuxii constitutum. et quod non bibent neque comedent cum aliquo masario neque in domo alicuius masarii neque cum aliquo homine qui pecias faciat vel fieri faciat. neque aliquid dono vel mutuo ab aliquo masario acipient sine mea parabolla neque habebunt aliquam societatem cum aliquo maloserio vel aliquo de isto officio faciendo, et quod aliquis eorum non habebit aliquem textorem sub se neque texere possit sibi nisi

---

(1) *Tam de masculis quam de viris.* Diversificazione di cui non è facile dar spiegazione. Il testo è nitido nella frase.

(2) *Sirbium.* Forse quel cilindro di legno che fa parte de' telaj de' tessitori, e sul quale si avvolge il tessuto (Subbio).

ad mercedem. Et si quis habebit vel faciet et sciero quadraginta solidos ab eo tollam pro banno et eum ab officio removebo. Et pedana (1) circabunt. Et si quod minus invenient michi denunciabunt. Et ego ab eo cuius fuerit duodecim denarios tollam pro banno quos ipsis custodibus dabo et de omni dente vacuo in pectine unum denarium tollent. et de hiis a conscilio nuxii parabollam non petam neque recipiam. Et de qualibet pecia quam facient iudicari tres denarios tollent ex quibus duos camarario nuxii consignabunt. Item quod ter qualibet septimana per orditoria civitatis capicios circabunt et diligenter inquirent. Item quod tirabunt et custodient capicios ad orditorium nuxii et acipient de quolibet capicio duarum peciarum vendito placentino civi unam medaliam a venditore pro tiratura. Set si a cive placentino vendentur foresterio ab ipso foresterio tiraturam acipient et graciam inde non faciant nec remissam. et ex eis camarario nuxii quolibet die dimidiam consignabunt et dabunt. et quod non traent ullum capicium ad orditorium nuxii nisi semel neque ulli capicio dabunt nisi unam stratam neque capicium laudabunt in quo creddant esse fillum stupe. Et si quem capicium curtum invenient michi et sociis meis intimabunt et incinum in pertica factum ponent ad caviculam orditorii.

De pena auferenda illi cui inventus fuerit orditorium non habere caviculas statutas.

220. Item statuerunt quod consules teneantur auferre ab eo cuius fuerit orditorium inventum per custodes non habere caviculas statutas in ipso esse debere pro qualibet cavicula minus in ipso inventa qualibet vice pro banno duos solidos.

De tiratore capiciorum habendo ad Ecclesiam maiorem et ad sanctum Andream.

221. Item statuerunt quod comune nuxii habeat et habere debeat unum tiratorium capiciorum ad Ecclesiam maiorem et unum tiratorium

---

(1) *Pedana circabunt. Pédan* dicesi in dialetto piacentino ciò che resta in capo ed in fine della tela, e che è parte di *ordito* che rimane senza tessuto. In italiano *Penero, Cerro.*

capiciorum ad sanctum Andream in burgo pro ipsis capiciis tirandis solvendo venditoribus ipsorum capiciorum pro tiratura unum quartarolum et emptores ipsorum nihil solvere teneantur. cuius quartaroli medietas sit comunis nuxii.

De pena accipienda ementi capicium non tiratum.

222. Item statuerunt quod si aliqua persona emerit aliquod capicium die veneris vel sabbati in mercato quod tirari non fecerit ad dicta tiratoria comunis nuxii antequam exeat de dicto mercato quod solvat pro banno qualibet vice pro quolibet capicio quatuor denarios quorum medietas sit comunis nuxii.

Capitula custodum borearum.

223. Item quod in qualibet pecia quam casonabunt suum signum facient speciale cui signo credam et quod fieri faciam infra octo dies postquam intravero consulatum.

Capitula et sacramentum carzatorum.

224. Et omnes carzatores et tonditores (1) quos sciam non iurasse iurare compellam quod bona fide sine fraude omnes et singulas pecias que sibi dacte fuerit ad carzandum carzabunt et tondi facient ad proficuum et utilitatem illius vel illorum cuius vel quorum fuerint. et illas vel eis reddent eo die quo illas ad carzandum receperint et cum habuerint eas carzatas et tonsas nisi occasione comunis placencie remaneret, neque ullam personam secum laborare permittent nisi prius hoc fecerit sacramentum et quod non laborabunt cum raspatura feri neque cum raspatura ligni indentata, neque reddent nec reddi facient ullam peciam sibi datam ad carzandum nisi fuerit carzata et tonsa. Et si sciero aliquem eorum contra predicta fecisse. Quinque solidos ab eo tollam pro banno.

---

(1) *Carzatores et tonditores.* Voci che mancano ai Glossarii, ed usate qui verosimilmente come equivalenti di *Cimatori*, e *Cardatori*.

Et quilibet contrafacientem accuset, ab eo vero qui hoc fieri fecerit, quinque solidos tollam pro banno.

De eodem.

225. Item iurare faciam singulos carzatores quod pecias sibi datas ad carzandum fraudullosse non reddent neque reddi facient, neque portabunt neque portari facient privatum (1) in saculis vel alio modo die ac nocte. Et si quis contrafecerit et sciero. Quinque solidos de qualibet pecia ab eo pro banno tollam et pecias, quarum dabo acusatori dimidiam. et quilibet sciens contrafacientem michi vel sociis meis acuset.

De eodem.

226. Et si quis carzator et tonsor suam peciam campserit in peciam alicuius Quadraginta solidos placentinorum ab eo tollam pro banno et terciam dabo acusatori de illis. de quo banno nemini gratiam faciam vel remissam, et quilibet per sacramentum qui scierit aliquem contrafacientem michi vel meis sociis manifestet. et hoc capitulum in prima concione faciam legi.

De eodem.

227. Et si quis carzator carxaverit aliquam peciam non habentem genellam ab utroque capite preter ab eo inde fuerit cerra duos denarios pro qualibet pecia ab eo tollam pro banno.

De eodem.

228. Et si quis carzator aliquam peciam receperit ad carzandum que candidari debeat seu tingi que non sit bullata bulla eius cuius fuerit unum denarium de qualibet pecia tollam ab eo pro banno.

De eodem.

229. Et si quis carzator et tonsor cum alio carzatore ac tonsore super

---

(1) Forse scritto erroneamente per *privatim*.

officio tondendi et carzandi societatem habebit, viginti solidos ab eo tollam pro banno et quilibet sciens contrafacientem accuset.

De eodem.

230. Et omnes carzatores tonditores masculos et feminas iurare constringam quod non carzabunt neque tondent aliquam peciam quam cognoverint vel crediderint esse de tondella vel raspatura seu pellamine quin prius ostendant eam consulibus nuxii. Et si quis contrafecerit quinque solidos ab eo tollam pro banno. et ab eo qui illam dederit ad carzandum decem solidos pro banno. et omnes pecias antequam reddant ostendent custodibus peciarum.

De eodem.

231. Et si quis carzator carzaverit aliquem boconum duorum brachiorum vel minorem duobus brachiis, duodecim denarios pro quolibet bocono ab eo tollam pro banno.

De eodem.

232. Et nullus carzator accipiat ultra octo pecias ad carzandum per diem videlicet quatuor pecias a stacione. Et si quis contrafecerit duodecim denarios ab eo tollam qualibet vice pro banno.

De eodem.

233. Et liceat consulibus carzatorum precipere carzatoribus universis ne quis carzator ultra quatuor pecias acipiat ad carzandum per diem.

De eodem.

234. Et si quis carzator batet vel bati faciet bambaxium per se vel alium in domo sua vel extra domum suam, decem solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno.

Capitula de tintoribus et imblanchitoribus.

235. Et iurare compellam et faciam unum quenque tinctorem et imblanchitorem quod omnes pecias quas primum receperit ad tingendum primum tinget et omnes pecias quas recipient ad tingendum vel ad faciendum albas reddent illis quorum fuerint quam cicius poterint sine fraude, neque illas alicui vendent neque mutuo dabunt neque in pignore ponent nec eas alicui dabunt ullo modo sine parabola eorum quorum fuerint, et si quis contrafecerit et sciero sexaginta solidos qualibet vice sine tenore tollam pro banno et accusatori dabo dimidiam eorundem. et hoc sine tenore ab eo qui pecias alterius recipiet ad iussionem vel ad tinctorem sine parabola eius cuius fuerit. sexaginta solidos qualibet vice sine tenore tollam pro banno et quilibet contrafacientem accuset. Et ego accusatorem tenebo privatum.

De eodem.

236. Et preceptum faciam in arengo ne ullus tinctor tingat suam peciam nisi fuerit suo signo signata. neque ullus det aliquam peciam ad tingendum nisi fuerit signata suo signo nec aliquis aliquam peciam recipiat ad tingendum nisi fuerit signata. Et si quis contrafecerit tres denarios de qualibet pecia tollam ab eo pro banno. Et ita teneantur tinctores omni modo de omnibus boconis ut de peciis tenentur.

De eodem.

237. Nec aliquis tinctor tingat peciam longam in nigrum nisi primo bene tincta fuerit de endico, et si quis contrafecerit quinque solidos plac. ab eo tollam pro banno.

De eodem.

238. Item tinctores qui pecias nigras tingunt quos sciam non iurasse iurare compellam quod eas tingent de galeto et de molatico et pasta et rossata, et omni alia re excepto de galetata alicuius confectoris de quibus non ponent et quod nullus eorum portabit vel portari faciet rossatam de domo sua ad domum alterius neque unus alii per se vel aliuu

dabit, et si quis contrafecerit et sciero decem sol. ab eo tollam pro banno et acusatori dabo medietatem illorum.

De eodem.

239. Et preceptum faciam tinctoribus ne simul conveniant pro modificando (1) tincturam. Et si sciero illos propter hoc se in simul convenire decem sol. ab uno quoque illorum qualibet vice tollam pro banno et acusatori dabo terciam partem eorundem.

De eodem.

240. Et si quis tinctor ponet roxatam in peciis viridibus. Quadraginta solidos pro banno qualibet vice tollam ab eo et acusatori dabo dimidiam eorundem eumque tenebo privatum.

De eodem.

241. Et si aliquem tinctorem vel rozarolum in falsitatem invenero vel contra id quod iuravit fecisse. Quadraginta solidos ab eo tollam pro banno nec inde faciam ulli remissam. Et per tres annos continuos eum ab officio removebo nec per magistrum vel disipulum in civitate vel burgis eum tingere per totum illud tempus permittam et accusatori dabo terciam partem illorum, et illum ita condempnabo et removebo et in hoc libro scribi faciam ad memoriam millesimum et diem. Et futuros consules hoc capitulum iurare constringam, et ipsi alios et sic omnes iurent qui pro tempore fuerint.

Capitula imblanchitorum peciarum fustanei.

242. Et imblanchitores peciarum iurare constringam quod non mitent neque mitti facient cinerem fornacis sive calcem neque alumen de fecibus neque aliquid fraudulentum per se vel alium in peciis quas faciant albas

(1) La parola sta scritta così: *modando*.

neque in domo sua vel alterius cinerem fornacis tenebunt neque ement nec habebunt alicubi neque operabunt cinerem fornacis mixtum cum alio vel purum seu alumen de fecibus sive aliquid fraudolentum et operam dabo ad inveniendum illum vel illos qui contrafecerint. Et si quis contrafecerit dampnum peciarum illis quorum fuerint primo faciam resarciri. Et centum solidos ab eo tollam pro banno et eum et quenlibet de familia sua et quenlibet alium tunc laborantem cum eo ab omni officio et misterio et nuxii per quinquenium continuum removebo et eum et eos ad memoriam in palacio nuxii scribi sine tenore.

De eodem.

243. Et quilibet teneatur mee iurisdicionis si invenerit cinerem fornacis vel calcem seu alumen vel fraudulentum aliquid in suis peciis positum esse denunciare michi vel sociis meis et si quis contrafecerit centum sol. ab eo tollam pro banno et acusatori dabo dimidiam eorundem.

De eodem.

244. Et ego consul quenlibet quem occassione predictorum vel alicuius eorum impediam infra quindecim dies absolvam vel condempnabo.

De eodem.

245. Et ego consul in concordia sociorum meorum notarium meum ad scribendum pecias ad palacium quando dantur tinctoribus sive imblanchitoribus et illum cui dantur et a quo dantur vel eius nomine constringam. Item illum qui reddit vel pro quo redduntur secundum confessionem reddentis vel dictum manganatoris qui habeat pro sua remuneracione unam medaliam de unaquaque dozena.

Capitula tintorum drapporum lane.

246. Et iurare faciam omnes tinctores draporum lane quod sciero non iurasse quod omnia ea que in suis manibus pervenerint custodient et salvabunt ad utilitatem eius cuius fuerint et bona fide sine fraude bene

ac legaliter tingent omnes drapos quos tingere debebunt de bono alumine et de bona ruzia viride ac bona ruzia macinata. Et totum brassille quod illis fuerit consignatum occassione tingendi in utilitatem draporum ponent quos tingere debebunt, nec ipsum brasille ad ignem ponent sine parabola eius cuius fuerit neque de eo aliquid in se retinebunt nec retineri permittent, et quod nullus eorum societatem habebit cum aliquo alio de tingendo neque occasione tingendi, neque drappos veteres cum novis tingent neque tingi permittent, neque tingent in nigrum ubi sit aqua roxata, et drappum tingent in tina et non in calderia et si quis contrafecerit et sciero viginti solidos ab eo tollam pro banno.

De eodem.

247. Item iurare faciam tinctores quod mitent in qualibet pecia de ultra montes quam tingent que sit a triginta duobus brachiis usque in triginta quinque decem libras boni aluminis zucharini vel castili et in violata octo libras bone ruzie preter morellum. et ab hinc superius secundum quod pecia erit maior. et quod non dabunt aliquod servicium per se vel alium alicui cuius pannos tingent nec alii pro eo occasione tingendi, et si quis eorum contrafecerit in aliquo predictorum viginti solidos ab eo tollam pro banno et acusatori dabo terciam partem illorum.

De drappis faciendis.

248. Et infra quindecim dies postquam intravero consulatum omnes tam masculos quam feminas qui faciunt drappos lane quos sciero non iurasse sacramentum nuxii subire compellam et quod pecias quas facient de mozascho (1) facient bonas et legales ad modum pectinis et orditorii de moecia. et quod non facient nisi unam peciam in simul sed ordire possint simul in una tella quatuor pecias, neque in eis miscebunt neque misceri permittent pillum bovis aut assini vel leporis seu capre nec gamedi, neque burram rauxinum spalmaturam fulaturam carzaturam preter

---

(1) *De mozascho.* Pare debba intendersi *drappo monzasco.* Soggiugnesi infatti poco dopo *ad modum orditorii de moecia,* che è sincope di *modoecia* (Monza).

carzaturam de ultra montes et de stanfortibus subtilis quam ponere possint in drappis, neque lanam contradictam et quanlibet illarum peciarum vendent pro pecia sicut faciunt illi de moecia. Et omnes pecias de ysolano et pergomascho et alias quas facient de lana bonas et legales ac bene textas et in eis non miscebunt nec misceri permittent pillum bovis asini leporis capre gamedi buram rauxinum spalmaturam fulaturam aut carzaturam preter carzaturam de ultra montes et de stanfortibus subtilis quam in peciis lana ponere possint, neque lanam contradictam. Et si quis contrafecerit in aliquo decem solidos de pecia tollam ab eo pro banno et faciam peciam eandem et lanam contradictam comburi. quorum decem solidorum terciam partem dabo acusatori, et de illo nulli faciam graciam vel remissam de quo sacramento teneantur a festo sancti Andree usque ad quinque annos et sine tenore. Millesimo centesimo nonagesimo nono de mense novembris.

De eodem.

249. Et faciam iurare factores drapporum lane infra mensem postquam consulatum intravero quod facient pecias bonarinas bonas et legales videlicet quamlibet de sedecim centenariis ad quatuor licios longitudine triginta brachiorum sgreciam cum cimosiis.

De eodem.

250. Item quod facient pecias pustarlinas bonas et legales scilicet quamlibet peciam de quatuordecim centenariis ad quatuor licios longam triginta brachiorum sgreciam cum cimosiis.

De eodem.

251. Item quod facient pecias credintinas bonas et legales. hoc est quamlibet peciam de duodecim centenariis ad quatuor licios longam triginta brachiorum.

De eodem.

252. Item quod facient pecias bixetas et bergomaschas bonas et legales

videlicet quanlibet peciam ad predictum modum. Duodecim centenariorum et quatuor liciorum, et triginta brachiorum. Et predictas pecias omnes facient bonas et bene textas non fradulentas et non mitent in eis nec miscebunt nec misceri permittent pilum bovis asinis leporis capre camedi buram rauxinum palmaturam filaturam cardaturam vel aliam lanam contradictam preter carxaturam de ultra montes. Bannum est contrafacienti qualibet vice pro qualibet pecia decem solidorum.

De eodem.

253. Item iurare faciam factores drapporum lane infra mensem postquam intravero consulatum quod facient pecias stanfortis de bona lana zentili bonas et legales et bene textas quanlibet videlicet ad pectem de decenocto centenariis ad tres licios longitudine sgreciam. Quadraginta duo brachia textam. Item de lana mediana quanlibet peciam ad pectem de sedecim centenariis ad tres licios longam Quadraginta duo brachia sgreciam textam. Item pecias vergatas quanlibet ad pectinem de duodecim centenariis ad duos licios longam quadraginta duo brachia sgreciam textam. Item pecias stanfortinas quanlibet pectem de quatuordecim centenariis ad tres licios longitudine quadraginta duo brachia sgreciam textam. Et predictas pecias omnes facient bonas et legales et bene textas et quod in eis non miscebunt lanam aliquam contradictam. Bannum est contrafacienti qualibet vice pro qualibet pecia. Viginti solidorum.

De eodem.

254. Item si quis factor drapporum vel fieri faciens proybuerit vel non permiserit officiales nostros ad hoc ellectos videre ac circare suos drappos ad voluntatem eorum. viginti solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno.

De eodem.

255. Et factores drapporum lane breve et statuta permittam habere et quenlibet facientem drappos sacramentum nuxii et eorum collegium iurare compellam.

De batitoribus lane.

256. Et batitores lane iurare compellam quod bona fide, sine fraude et legaliter batent lanam eamque custodient et salvabunt ad utilitatem ejus cuius fuerit. et quod non batent neque miscebunt lanam superius contradictam cum bona lana neque misceri permittent. Et si quis eorum contrafecerit et sciero quinque solidos ab eo tollam pro banno et acusatori dabo medietatem. et in arengo precipiam per sacramentum si quis sit (1) aliquem contra hoc quod iuravit fecisse per sacramentum michi consuli manifestet.

Et batitoribus lane capitula permittam habere etc.

257. Et batitores lane breve ac statuta permittam habere. Et quenlibet batitorem lane sacramentum nuxii et eorum collegium iurare compellam, et eorum collegium pro paratico nuxii recipiam et capitulla emendatoribus brevis nuxii pro ostensa pro eorum brevi sive statuto illis concedam.

Item de batitoribus lane.

258. Et infra octo dies postquam intravero consulatum elligam vel elligi faciam tres homines in hac civitate morantes. Scilicet duos placentinos et unum foresterium quos credidero bonos et ydoneos quos iurare constringam quod omnes predictas pecias lane circabunt et diligenter inquirent et si fraudem invenerint in iisdem michi et sociis meis intimabunt quibus terciam partem dabo de bannis. Additum est huic capitulo quod isti massarii sive officiales debeant ita circare lanam ex qua fiunt drappi sicut pannos et eodem modo eam circare teneantur velut drappos.

De forma mensurandi drapos lane.

259. Statutum est per emendatores nuxii quod omnis drappus lane venalis in civitate atque districtu mensuretur hac forma. Videlicet quod

---

(1) *Sit*, forse erroneamente per *scit*.

drappus extendatur supra tabullam non tirando illum et pollice premisso cuilibet pasui passus passus extendatur super drappum infra tres digitos a cimussa et infra quatuor digitos a cera non dando tomum passui hoc semper observando quod quantumcumque quis emerit ultra passum habeat pro eo policem et hoc observet quilibet tam in emendo quam in vendendo. Et si quis contrafecerit quinque solidos ab eo tollam pro banno et acusatori terciam partem dabo ex illis. Quod capitulum faciam legi in concione et per civitatem cridari.

De draperiis.

260. Et omnes vendentes drappos de ultra montes seu lombardos compellam iurare quod aliquo modo per se vel alium non dabunt ulli sartori vel alii pro eo ullum servicium et si quis contrafecerit et sciero viginti solidos ab eo tollam pro banno. Et quod non habebunt societatem cum aliquo sartore de drappis vel tellis preter cum patre aut fratre suo qui non sit divisus ab eo.

De eodem.

261. Et omnes homines qui vendunt drappos lane aut tellas ad retalium ad stacionem vel alibi compellam iurare sacramentum collegii draperiorum infra mensem postquam intravero consulatum si a me fuerit requisitum.

De eodem.

262. Et teneatur quilibet vendens drappum seu tellam ad retalium vendere cuilibet ad ractionem brachii eo precio quo concors fuerit cum emptore et non maiori et dicere veritatem cuilibet deposcenti de quot brachiis satis habuerit in vestitu vel roba. Et si quis contrafecerit et sciero quinque solidos ab eo tollam pro banno et medietatem banni acusatori dabo.

De eodem.

263. Et quilibet pecias pergomaschi (1) et consimiles in longitudine duplas pasent.

Capitulum Sarcitorum.

264. Et omnes sarcitores quos sciero non iurasse, iurare compellam quod custodient et salvabunt omnes pannos qui ad eos pervenerint pro sarciendo, et illos bene sarcient et legaliter; et quod nullus eorum cum aliquo alio sarcitore societatem aliquo modo habebit, et si quis habuerit et sciero quinque solidos ab eo tollam pro banno et acusatori medietatem dabo.

Capitulum curateriorum (2) *et malosseriorum* (3).

265. Et omnes curaterios et maloserios peciarum sgreciarum bambaxii et aliarum rerum pertinencium negociationi Civitatis seu burgorum cogam iurare quod bona fide adiuvabunt tam venditores quam emptores, et per se vel alium non recipient aliquod servicium vel aliquid aliud ultra iustum malosum; quod iustum malosum est de sacho bambaxii trium centenariorum vel quantitatis maioris, quatuor denariorum: de torsello peciarum fustanei, sex denariorum: de pecia drappi de ultra montes, duorum denariorum: de pecia drappi lombardi, unus denarius: de carica piperis, novem denarii: de centenario rami, unus denarius: de centenario bagadelli (4), octo denarii: de penso aluis, endici, unus denarius: de centenario pumbli una medalia; de centenario ferri, una medalia: de centenario stagni, unus denarius: de centenario aluminis, unus denarius: de centenario incensi, unus denarius: de centenario braxilis, unus denarius: de centenario cere, duo denarii: de centenario olei, unus denarius: de centenario rucie, unus denarius: de centenario lane, unus denarius:

---

(1) *Pergomaschi,* panno bergamasco. V. Du-Cange.

(2) *Curaterius* sta qui per *sensale,* benchè secondo il Glossario dovrebbe dire *coraterius,* perchè la voce *curaterius* esprimerebbe fabbricatore di pelli, od anche calzolajo.

(3) La voce *malosserius* manca nei Lessici. *Malossér* è anche oggi voce di dialetto piacentino, e significa sensale di second' ordine.

(4) *Bagadelli.* Voce di significato ignoto, e mancante ai Lessici.

de centenario lini, unus denarius: de centenario caneve, unus denarius: de centenario coriorum, tres solidi: de centenario galeti (1) unus denarius: de centenario casei, unus denarius: de centenario carnium, unus denarius: de centenario sunzie, unus denarius, totidemque de sepo: de pecia sgrecia tam lunga quam curta seu vellata una medalia que ad minutum venduntur: de centenario denariorum datorum mutuo tres solidi placentie pro malosso. Et si minus centenarii fuerit, per racionem pro ambabus partibus, videlicet decemocto denariorum placentie: et pro centenario denariorum cambii octo denarii placentie pro utraque parte. Additum est huic capitulo quod aliquis mercator aliquo modo nec ingenio possit nec debeat habere aliquam societatem cum aliquo maloserio de aliqua re mercadandiae. Et qui contra fecerit solvat pro banno qualibet vice decem libr. plac. quos consules nuxii teneantur ei accipere. Sine tenore. Et cridetur per civitatem singulis mensibus.

De eodem.

266. Item faciam iurare quenlibet maloserium quod non habebit societatem cum aliquo mercatore vel massario seu alia persona, aut cum alio maloserio in placencie vel districtu. Et si quis contrafecerit, centum sol. ab eo tollam pro banno, et acusatori dabo dimidiam eorundem. Et hoc sine tenore.

De eodem.

267. Item maloserios peciarum sgreciarum quos sciero non iurasse, iurare constringam quod in domo sua ullam peciam sgreciam non ostendent, nec vendent, vel vendi permittant ullam peciam suam vel alterius, quam credant habere minus tribus libris et med. bambaxii.

De eodem.

268. Item ego non consenciam neque permittam aliquem habere malosum de peciis, vel auro, sive aliis rebus nisi prius ille iuraverit officium malosarie secundum formam capitulorum nuxii. Et si quis

(1) *Galeti.* Così chiamavano la *galla.*

contrafecerit, quinquè solidos qualibet vice ab eo tollam pro banno. Neque aliquis sit maloserius in mea iurisdicione, nisi fuerit approbatus per me et socios meos, et maiorem partem consilii nuxii. Et si quis contrafecerit viginti sol. ab eo tollam pro banno.

De non dando maloseriis ultra iustum malosum.

269. Et si quis de iurisdicione nuxii dederit vel dari fecerit aliquid alicui maloserio ultra iustum malosum, et si sciero viginti solidos ab eo tollam pro banno, et quilibet sciens contrafacientem accuset. et hoc faciam per civitatem cridari.

De redendo malosum.

270. Et infra quindecim dies postquam intravero consulatum, preceptum faciam et per civitatem cridari quod quilibet maloserius, die quo aram (1) pro aliquo mercato acceperit, si non finierint illud mercatum reddet eam ei cuius fuerit, nisi remanserit parabolam ejus. Et quod non habebit societatem cum aliquo de hiis et super hiis de quibus mercatum fecerit. Et si quis contrafecerit duodecim denarios ab illo tollam pro banno, et acusatori dabo terciam eorundem.

Item de malosso.

271. Et ego non compellam aliquem de iurisdicione placencie dare pro maloso alicuius equi cuius precium fuerit a decem libris supra, ultra quinque solidos, et de decem libris, et a decem libris infra ultra duodecim denar.

Item de maloseriis.

272. Et ut in brevi civitatis emendetur dabo operam meo posse quod maloserii sint contenti pro malosso centenarii librarum denariorum quos facient mutuo dari in tribus solidis; et a centenario infra secundum hanc ractionem. Et pro malosso libre posessionis in uno denario: et

(1) *Aram.* Sta così scritto per *arram* (caparra).

libre matrimonii in uno denario: et de modio grani nudi in uno denario: et de modio leguminis in uno denario: et de modio alterius grani in una medalia.

De non emendo pecias sgrecias per hosterios.

273. Et faciam omnes hosterios et curaterios huius civitatis et burgorum iurare quos sciero non iurasse, ne emant ad utilitatem hospitum suorum de denariis aut avere ipsorum pecias sgrecias ulla fraude, exceptis duabus peciis pro copertura torseli, et quod emant pecias ubicumque illas liberas de tinctura invenerint bona fide, sine fraude, odio et amore remotis.

Capitula hosteriorum et albergatorum.

274. Et prohibebo ne osterii emant ab hospitibus suis, vel vendant ipsis hospitibus in domo sua aliquam mercadandiam preter equos, et quadraginta soldatas (1) alicuius negociationis, et fenum, ligna, paleam et avenam: neque cambium cum eis faciant preter de expensis victualium. Et hoc capitulum non habeat locum contra aliquem hosterium tenentem tabullam. Et si quis contrafecerit quinque sol. plac. pro banno ei tollam qualibet vice qua sciero, et acusatori medietatem dabo.

De eodem.

275. Et faciam omnes hosterios quos sciero non iurasse, sacramento teneri. quod non dabunt neque dari facient nec permittent aliquid de tellis hospitum suorum ullo modo alicui preter id quod cordatores habere tenentur.

De eodem.

276. Et preceptum faciam ipsis hosteriis universis ne hospites suos vendere sinant nisi ad pensum vel stateram seu cordam comunis nuxii;

---

(1) *Soldata.* Il valsente di un soldo; vedi Du-Cange.

et quod facient ipsos hospites suos dare cordatoribus pro pensatura et cordatura id quod ipsi cordatores tenentur habere.

De eodem.

277. Item faciam preceptum omnibus per sacramentum hosteriis et albergatoribus, ne quis eorum ullum hosterium in domo sua mercari permittat cum alio extero ullo modo, nisi prius avere vel cambium foresterius sine fraude ostenderit mercatoribus placentinis palam per burgum, quibus equo precio quo per foresterios posset haberi faciet illud dari si emere voluerint. Alioquin licet eis foresterios consentire mercari.

De eodem.

278. Item hosteriis universis iubeo ne dimittant hospitum suorum avere de hospicio suo exire nisi solverint sua debita suis venditoribus vel creditoribus, aut debitores creditoribus sive venditoribus consignaverint secundum voluntatem illorum creditorum et venditorum. Et infra octo dies postquam ipsi hospites habuerint finitum emendi sine fraude facient eos suis creditoribus vel venditoribus solvere quod debebunt id totum, aut debitores consignare secundum voluntatem venditorum vel creditorum. Et si quis hosterius contra hoc fecerit, et michi lamentacio facta fuerit, illum ad solvendum constringam, et decem sol. ab eo tollam pro banno.

De eodem vel quasi.

279. Et si aliquem hominem de iurisdicione nuxii invenero fecisse aliquod sacramentum, pactum vel contractum seu promissionem cum aliquo vel aliquibus causa vetandi aliquem seu aliquos emere seu vendere in domo sua vel alicubi, illud sacramentum, pactum, promissionem seu contrafactum precipiam remitti, et per sacramentum absolvi, et ne fiant admodo proybebo.

De eodem.

280. Et albergatores faciam iurare quos sciero non iurasse, ne ullum Romipetam (1) aut viatorem apprehendant per frenum vel pannos, sive aliam rem, neque aliquem facient per forciam in domum suam intrare, neque societatem habeant cum aliquo stacionario vel maloserio equorum seu revenditore, neque emant vel emi permittant ullum equum ab aliquo suo hospite vel alio pro eo; preter quod liceat eis unum equum tantum ab hospite suo emere, vel suum proprium in illo hospitis sui cambiare. Et si quis contrafecerit et sciero viginti sol. ab eo tollam pro banno, et quilibet sciens contrafacientem accuset.

De eodem.

281. Et per sacramentum iubebo, ne quis albergator alberget ganeam vel furem, seu bannitum hujus civitatis vel alius. Et si quis contrafecerit et sciero, decem sol. ab eo tollam pro banno sine tenore, et operam dabo ut in brevi civitatis emendetur.

De eodem.

282. Et si aliquis albergator dederit vel promiserit aliquid alicui, occasione alicuius hospitis habendi extra placenciam aliquo modo vel ingenio, vel si serviens eius, vel alius pro eo illud fecerit, quadraginta sol. qualibet vice ab eo tollam pro banno, de quibus nulli graciam faciam vel remissam.

De eodem.

283. Et si quis albergator vel serviens alicuius albergatoris vocabit aliquem viandentem (2) nisi stando ante hospicium suum vel super suum, et sciero, quinque sol. ab eo qualibet vice tollam pro banno.

---

(1) *Romipetae* ed anche *Romei* chiamavano i Pellegrini che viaggiavano per divozione a Roma ed ai luoghi Santi.

(2) *Viandens*, per viandante, manca ai Glossarii.

De eodem.

284. Et si quis albergator receperit servientem alius albergatoris sine parabolla illius cum quo fuerit moratus antequam tempus impleverit conventatum. Quinque sol. ab eo tollam pro banno.

De eodem.

285. Et teneatur quilibet albergator quod quibuslibet interrogantibus eum de aliquo albergatore seu hospicio, illum vel illud si scierit indicabit; et si quis contrafecerit et sciero, quinque sol. ab eo tollam pro banno.

De eodem.

286. Et si qui albergatores vel servientes eorum inter se fuerint in burgo rixati ita quod se percuciant in burgo occasione hospicium decem sol. a quolibet tollam pro banno et sine tenore.

De eodem.

287. Et si quis albergator vel serviens ejus vocabit aliquem forestierium postquam fuerit in hospicio alicuius alius, et sciero, quinque sol. ab eo tollam pro banno.

De eodem.

288. Et in concione precipiam per sacramentum ne quis albergator societatem habeat occasione cambiandi cum ullo campsore, neque campsor cum eo. Et si sciero aliquos eorum simul societatem habere, a campsore quadraginta sol., ab albergatore decem sol. tollam pro banno.

De eodem.

289. Et si quis albergator istius civitatis qui romeos alberget, depositum ullum receperit ab aliquo quin illud recipiat et scribi faciat presentibus tribus testibus in papireo suo, viginti sol. si sciero ab eo tollam pro banno.

De eodem.

290. Et si quis albergator vel hosterius istius civitatis ullum depositum ab aliquo receperit, et illud negaverit et probatum fuerit, de officio albergarie illum expellam. Et centum sol. ab eo tollam pro banno si invenero illum tantum habere.

De eodem.

291. Et si quis hosterius vel alius homo istius civitatis in hac civitate vel extra aliquem hospitem alterius se duxerit (*sic*) occasione reue que sit diminuta vel alia re. Sexaginta sol. ab eo tollam pro banno.

De eodem.

292. Et preceptum faciam et per civitatem cridari ne quis de iurisdictione nuxii per se vel alium det ullum servicium alicui hosterio de mercato quod faciat in domo hosterii, neque hosterius per se vel alium servicium recipiat inde ullum, et si quis contrafecerit vel hosterius prohibuerit aliquem negociari seu emere in domo sua, decem sol. ab eo tollam pro banno, et accusatori dabo duos sol. ex illis.

De eodem.

293. Et si quis homo cui licet mutare hospicium in civitate Plac. mercatum fecerit cum aliquo in iurisdictione plac. donec duraverit feria placentina, pro eo mercato reuam solvi non cogam nisi inde fuerit conventatum, vel nisi hospes placentinus pro hospite foresterio intercesserit, vel nisi merces fuerint in domo hospitis placentini.

De eodem.

294. Et si sciero aliquem trassisse in meo consulatu ad domum alicuius, vel ad signa domus alicuius in burgo placencie sero aut nocte, et michi lamentacio fuerit inde facta, decem sol. ab eo tollam pro banno.

Ne quis impediat rivulos labentes per hospicia.

295. Et preceptum faciam ne quis impediat rivulos labentes per hospicia de assidibus vel berlina (1) seu pallis, et si impediunt infra quindecim dies expediant. Et si quis contrafecerit quinque denar. qualibet vice tollam pro banno. Et cureriis precipiam ut singulis mensibus predicta inquirant, et medietatem banni dabo eisdem, et hoc sine tenore.

Capitula de factoribus argenti.

296. Et si quis de placencia fieri fecerit argentum et factori dederit vel habere permiserit cineracium (2). Sexaginta sol. ab eo tollam pro banno.

De eodem.

297. Et factores argenti iurare compellam quod omni mallo ingenio et dollo remotis laborabunt, affinabunt, et disgrosabunt argentum et bulzonum campsoribus et mercatoribus placencie, et custodient et salvabunt quidquid argenti seu bulxoni ac cineracii eis datum vel consignatum aut in domo sua vel fuxina seu fogolario pervenerit, et fraudem non facient, neque facienti consencient. Imo ne fiat prohibebunt pro posse.

De eodem.

298. Et argentum aut bulzonum ei cuius fuerit facient, laborabunt, affinabunt et disgrossabunt prout melius putaverint ad utilitatem eius cujus fuerit. Neque fraude facere illud laborerium evitabunt, et contenti erunt in duobus denariis de qualibet marcha bulzoni quod disgrosabunt et voluent ad ignem, et affinabunt illud argentum quos disgrosaverint quociens voluerit ille cuius fuerit sine ullo precio vel dacito. Item quod contenti erunt in duobus denariis de qualibet marca argenti, et quod

---

(1) *Barleina* voce usata anche oggi in dialetto, e vale imposta di legno che mettesi ne' canali irrigatorii onde alzare le acque. *Paratoja.*

(2) *Cineracium* manca ai Glossarii. Credo vogliasi qui indicare la cenere carica di particelle argentee che resta ne' crogiuoli dopo la fusione.

non habebunt disgrosatum pro affinatura, et quod iterum affinabunt et volvent illud quociens voluerit ille cuius fuerit sine ullo precio et dacito, et non ement neque emi facient bulzonum (1) ad laborandum super se, neque inde societatem cum aliquo habebunt neque tenebunt neque cineracios alicuius fraude in se retinebunt. Et si quis campsor vel mercator eis vel alicui eorum portaverit aliquid ad laborandum, illud laborabunt, et facient antequam laborerium alius incipiant, nisi fuerit de voluntate ipsius cuius fuerit prius laborerium. Verumtamen si possent ultimum laborerium et plura facere que non impediant primum et secundum, liceat illis facere. Item quod non habebunt societatem cum aliquo civitatis placencie super officio faciendi affinandi et disgrosandi argentum, neque tenebunt aliquem secum ad laborandum, nisi prius iuraverit sub me et sociis meis, et quod custodient et salvabunt quecumque ipsi campsores et mercatores eis dederint causa laborandi, neque laborabunt neque ad ignem mittent bulzonagia alicui foresterio nisi pro affinando argentum, et quod non ardent neque ardi facient placentinos grossos seu minutos; et si quis illos eis portaverit occasione predicta michi vel sociis meis intimabunt. Et si quis eorum contrafecerit decem sol. ab eo tollam pro banno. Item illa omnia que foresterii eis dederint ad laborandum custodient et salvabunt, neque ab aliquo foresterio tollent ultra. duos denarios imperialium pro marca argenti que laborabunt placencie. Et cineracium foresterio dabunt, sed liceat eis se de cineracio cum foresterio concordare. Et si quid additum est in hoc brevi diminutum fuerit vel mutatum per consules nuxii vel maiorem partem illius, de addito teneantur, de diminuto non, et de mutato secundum quod mutatum.

De eodem.

299. Et proybebo ne quis de iurisdicione nuxii teneat vel operetur, fornellum in civitate intus a fossatis veteribus civitatis.

Capitulum camararii nuxii.

300. Et infra octo dies postquam intravero consulatum si non iura-

(1) *Bulzonum*. *Bolzone* o *Bolzonaglia* chiamavano la moneta non corrente che si struggeva. Arch. Stor. Ital. Nuova Serie Tomo VII. pag. 146.

verit, camararium meum iurare compellam quod bona fide, sine fraude, custodiet et salvabit omnia et singula comunis nuxii, et fraudem non faciet neque facienti consenciet, et ractionem inde michi et sociis meis vel maiori parti nostrum reddet in capite quorumlibet duorum mensium, sicut maiori parti nostrum placebit. Et quod contentus erit pro feodo suo in viginti sol. plac., nec ultra illos accipiet aliquid, vel tenebit. Et pignora ei per preteritos consules consignata bona fide cum diligencia vendet, et eorum precium sicut est superius de aliis pignoribus ordinatum in nuxii ponet comune, cui et notario parabolam dabo saxiendi in diebus festivis pro foresteriis, quibus ad palacium nuxii non tenebor venire. Et omnes denarii quos pro comuni nuxii mutuo accipiet, bona fide sine fraude accipiet sub minori dono quam poterit.

Quod consules legi faciant omnia debita comunis nuxii.

301. Et totum debitum comunis nuxii legi faciam in conscilio ad campanam collecto. Et hoc idem faciam de eo de quo camararius nuxii michi ractionem reddet, et quod superfuerit in utilitatem comunis nuxii ponam.

Capitula cureriorum comunis nuxii.

302. Et omnes curerios meos iurare faciam quod custodient et salvabunt omnes res comunis nuxii, et fraudem in eis non facient neque facienti consencient, et bona fide omni fraude remota facient ambaxatas pro ut fuerint illis iniuncte, neque dolum seu fraudem in eis facient seu dicent, nec ullam ambaxatam facient sine parabolla mea vel alicuius sociorum meorum vel nostri nuncii, et omnibus illis diebus quibus teneor ad palacium venire, illuc venient, et omni die mane et post prandium se ante nos consules presentabunt, neque a nobis dissedent sine parabolla unius nostrum, et quod non habebunt aliquam societatem inter se preter de cazolis et libris, neque stabunt extra palacium occasione ullam ambaxatam habendi, et illis de comune nuxii scilicet cuilibet eorum dari faciam pro suo feodo tres libras, videlicet terciam partem in kalendis februarii, et aliam terciam in kalendis aprilis, et reliquam terciam in kalendis iulii, et pro quolibet banno et conscilio tres denarios; et siquid habuerint de arenghis sit inter eos comune, et denarios scavizatos de laudagiis et bannis in meo arbitrio illis dabo.

De eodem.

303. Et cuilibet curreriorum dabo de comuni nuxii quinque solidos usque pascha scilicet ad festum ultra predicta.

De eodem.

304. Et curreriis nuxii pro eorum remuneracione clavandi et custodiendi palacium. Quinque sol. dabo.

De eodem.

305. Et ego consul standi extra civitatem plac. ultra quindecim dies parabollam ulli curreriorum non dabo nixi de voluntate conscilii nuxii. Et si ultra quindecim dies steterit extra placenciam aufferam feodum quod receperit totum ab eo, et quod non receperit faciam retineri et amprius (*sic*) ei non solvi.

De eodem (1).

306. Et cuilibet curreriorum nuxii dabo sex denarios pro mercede cuiuscumque diei quo extra civitatem iverit servicio comunis nuxii.

Quod eligantur homines ad brevia.

307. Teneantur consules nuxii sine tenore facere duos ex melioribus et idoneis de iurisdictione nuxii eligi ad brevia in consilio nuxii quando alios officiales nuxii facient, qui sindicent consules et camararium.

308. (2) Et notarium communis nuxii et alios officiales omnes et consules, et officiales qui sunt et erunt pro comuni nuxii in Janua et in Lombardia compellant venire placenciam ad sindicandum si fraudem

---

(1) Dopo questa rubrica cessano le leggi date dittatoriamente dal Console in prima persona. Le successive sono sempre date a nomi degli *emendatori*. *Statuerunt emendatores* ecc.

(2) Questa rubrica 308ª manca di titolo nell' originale; ma è evidentemente una continuazione della antecedente.

fecerint in eorum officio, et inquirant si aliquid in se retinuerint de comuni nuxii ultra id quod eis concessum fuerit. Et si invenerint eos vel aliquem eorum fraudem fecisse, eos et quemlibet ipsorum condempnent in quadruplum quod in se retinebant, et illud quod in se retinuerint comuni nuxii restituant, quos sindicatores iurare facient ita facere et observare.

Quod notarius nuxii non possit esse notarius emendatorum.

309. Et notarius nuxii non sit nec esse possit notarius emendatorum brevis vel capituli nuxii pro scribenda emendacione dicti capituli. Additum est huic capitulo M. CC. LXXIII., quod illi qui fuerint emendatores brevis vel capituli nuxii debeant eligere notarium, qui emendat et scribat illud breve siue capitulum. Ita tamen quod non possint elligere illum notarium qui fuit notarius mercadandie.

De hosteriis lombardie.

310. Item statuerunt emendatores quod si aliquis hosterius lombardie debet dare denarios seu aliquid alicui negociatori placencie et michi lamentacio facta fuerit, consules teneantur mittere illi hospiti literam comunis nuxii ut debeant solvere ea que debent infra unum mensem; alioquin consules teneantur precipere omnibus negociatoribus iurisdicionis sue ne debeant hospitare in suo hospicio cum rebus suis, et qui contrafecerit solvat bannum qualibet vice Sexaginta sol. plac. Et hoc cridari faciam per civitatem.

Quod terminum non publicetur nisi citatus fuerit debitor.

311. Et teneantur consules quod non facient publicari terminum debiti confessi, nisi prius denunciatum fuerit debitori.

Quod staderie primo drizentur quam pensa.

312. Et teneantur consules primo facere drizare staderias quam pensa drizentur.

De pecia magagnata (1) *de cinere.*

313. Et si aliquis de iurisdicione nuxii receperit aliquam peciam blancam ab aliquo imblanchitore mangagnatam de cinere, et eam apud se retinuerit, et consulibus nuxii non reprensentaverit, bannum est contrafacienti. Centum sol. quorum medietas sit accusatoris.

De longitudine et latitudine peciarum telle.

314. Statuerunt in concordia quod non liceat alicui facere tellas mercarellas (2) longas minores quantitate longitudinis quinginta (*sic*) brachiorum, et amplitudine quinque quartarum testas. Et si quis contrafecerit solvat bannum pro qualibet pecia. Quinque sol. plac. et quod scavizatur in tribus boconis.

Quod telle circhentur per circatores borearum.

315. Item statuerunt quod predicte telle circhentur per circatores borearum.

De predictis capitulis observandis.

316. Item quod predicta capitula observentur a proximo festo pasche Epiphanie ultra.

Quod filum sit ligatum de ipso solo fillo.

317. Statuerunt in concordia emendatores nemine discordante quod nulla persona defferat filum ad vendendum quod sit ligatum de pecia nec de alia re, nisi de solo filo, et si aliqua persona emerit filum aliter ligatum solvat pro banno pro qualibet libra quatuor den. plac. quorum medietas sit comunis nuxii et medietas accusatoris.

---

(1) *Magagnata* per guasta, danneggiata.
(2) *Tellas mercarellas.* Forse *mercantili, venderecce.*

Quod liceat massariis vendere bambaxium.

318. Item statuerunt quod quilibet massarius possit vendere bambaxium filatum et diffilatum incanellatum ad libram, et ad maiorem et minorem quantitatem librarum cuilibet civi plac. tam masculo quam femine pro suis peciis et aliis negociis faciendis nullo capitulo obstante.

De laudagio tollendo partibus litigantibus cum consulibus.

319. Item teneantur futuri consules auferre a qualibet parcium que causabuntur coram eis post litis contestacionem nullo temporis intervallo interposito pro laudagio cuiuslibet cause pignus duodecim denariorum de qualibet libra; et si partes ante finem litis concordes fuerint, a qualibet ipsarum parcium tollant tantum pro laudagio pignus sex denariorum pro libra qualibet. Et si dicte cause finientur coram eis aliter quam concordia, teneantur consules auferre ab ea parte que amisit causam pro laudagio tantum duodecim denarios pro qualibet libra, et ipsam partem que causam perdiderit costringere ad restitucionem omnium expensarum quas fecisset pars que victoriam habuit cause, a parte vero victoriam cause habitura nichil accipiant, immo reddant et restituant ei pignus suum creditis dampno et expensis istis simprici (*sic*) verbo dicte partis dicte cause victoriam hibiture. sine sacramento et onere probacionis, et hoc sine tenore.

De banno accipiendo illi qui petierit ultra id quod habere debet.

320. Item statuerunt quod si aliquis creditor pecierit ab aliquo suo debitore aliquod debitum quod recepisset, si repertum fuerit a parte ipsum creditorem illud recepisse, quod consules teneantur auferre ei de qualibet libra eius tocius quod peteret quod habere non deberet, decem sol. qui debent esse omnes comunis mercadandie, et restitui, facere illi cui peteret omnes expensas quas fecisset.

Quod talea non imponatur nisi pro negotiis mercadandie.

321. Item teneantur futuri consules non colligere conscilium comunis

nuxii pro aliquo mutuo vel talea, neve mutuum (1) vel taleam in conscilio aliqua occasione nisi pro specialibus negociis mercadandie, et hoc sine tenore. Additum est huic capitulo quod consules nuxii non possint neque debeant forzare aliquem hominem prestare aliquid pro aliqua talia, neque aliqua occasione. Et hoc sine tenore.

De auferendo banno consuli.

322. Item quod si aliqua denunciatio fuerit facta carta atestata futuris consulibus qui pro tempore fuerint, vel alicui eorum, de aliquibus vel aliquo de quibus vel de quo teneantur per capitula vel capitulum, et ea vel illud voluerint compellere secundum quod tenebuntur per capitula vel capitulum, teneantur successores eorum eisdem consulibus qui non atendent predicta auferre qualibet vice pro banno. Centum sol. quorum medietas sit illius qui fecerit denunciacionem, et alia medietas comunis nuxii. Et hoc sine tenore.

Non possit esse currerius qui habuit aliquod aliud officium.

323. Statuerunt emendatores quod futuri consules teneantur non habere aliquem in currerium nuxii, qui faciat nec habeat aliquod aliud officium, sed faciat tantum officium curarie nuxii secundum quod in capitulo nuxii continetur.

Quod maloserii iurari debeant.

324. Item statuerunt emendatores in concordia quod omnes maloserii civitatis plac. habeant pro maloso a foresteriis tantum quantum habere debent a civilibus plac. Additum est huic capitulo MCCLXXV. quod futuri consules infra octo dies ab introytu (2) eorum regiminis facere iurare omnes maloserios quod bene et legaliter eorum officium facient, et hoc sine tenore.

---

(1) Qui forse manca *facere* o *colligere*.
(2) Manca qui *teneantur* od altro verbo consimile.

De staderiis.

325. Item statuerunt emendatores nullo discrepante quod futuri consules non proybeant mercatores staderias sive pensarolos conzari (1) et drizari facere a quocumque velint, dummodo ipsas et ipsos faciant bene et iuste drizari atque actari (2).

Quod pensa stare debeant in palacio nuxii.

326. Item statuerunt ut ipsa pensa que sunt facta ad comunem utilitatem omnium mercatorum plac. et aliorum, sint semper et stent in palacio nuxii, et quilibet qui vult sua pensa circare et drizare veniat ad palacium nuxii.

De consulibus elligendis in Janua.

327. Item statuerunt quod futuri consules teneantur eligere duos consules in Janua ex mercatoribus plac. qui in Janua morantur occasione faciendi racionem inter mercatores placentinos qui ibi sunt vel erunt de aliqua discordia, habendo dicti consules pro eorum feodo pro quolibet Sexaginta sol. Janue, quod feodum consules mercadandie plac. teneantur facere solutum mercatoribus placentinis qui morantur vel qui utuntur in Janua, et ille qui ellectus fuerit consul, si repudiaverit dictum consulatum teneantur consules plac. ab eo auferre Sexaginta sol. plac. qualibet vice, et fucturos (*sic*) rectores comunis nuxii sic iurare faciant, et alios successores suos sic iurare facere, et ipsi alios, et sic omnes iurent successive qui pro tempore fuerint rectores nuxii. Additum est huic capitulo Centum sol. et non obstante aliquo sacramento per aliquem facto, quod non recipient officium vel consulatum mercadandie. Et dictum bannum teneantur consules et rector mercadandie exigere, et facere devenire in comune mercadandie. Alioquim imputetur illud in fraudem eis. Et amittant de eorum feodo vel de eorum bonis si feodum centum solidorum non sufficeret. Et hoc habeat locum tam in Janua quam alibi

---

(1) *Conzare* per *raccomodare*, o *ristaurare* manca ai Glossarii.
(2) *Actari*, forse per *aptari*.

ubicumque constituuntur consules per mercadandiam plac. ita tamen quod consules qui electi fuerint in Janua et alibi possint et debeant dictum eorum officium consulatus cum fuerint Janue vel alibi ellecti fuerint exercere dictum eorum oficium.

De denariis dandis cureriis ad feriam.

328. Item statuerunt emendatores quod futuri consules teneantur dare curreriis suis tempore feriarum placentie si fient, causa custodiendi pavalionum (1) et alia que ibi portantur sub dicto pavaliono, Quinque sol. plac. ultra feodum eis concessum per capitulum nuxii, qui denarii sint omnes inter eos. Additum est huic capitulo quod quilibet currerius nuxii habeat et habere debeat quinque sol plac. MCCLXI. Indict. VI. de mense octubris.

Quod nullus faciat capicium (2) *etc.*

329. Item statuerunt quod aliqua persona non possit ordire nec ordiri facere in civitate plac. nec in burgis, nec in Episcopatu aliquod capicium cremonense nisi fuerit curtum et longum, et vellant ad formam comunis placencie. Et qui contrafecerit teneantur futuri consules ei vel eis de quolibet capicio pro banno Quinque sol. plac. auferre, quorum medietas sit comunis nuxii et alia medietas sit accusatoris.

Item capitulum custodum.

330. Item statuerunt quod custodes teneantur circare predicta capicia pro eorum officio.

Quod nullus possit tingere fustaneum nisi etc.

331. Item statuerunt quod aliqua persona non possit tingere nec tingi

---

(1) *Pavalionum.* Voce corrotta dal latino *papilio* che vale *tenda, padiglione.*

(2) *Capicium.* Per questa voce pare debbasi intendere ciò che dicesi in ital. *ordito* od *orsojo,* che è unione di molte fila pel lungo onde tessere la tela.

facere aliquod fustaneum nec boconum fustancy, nec aliquam vellatam (1) nec boconum vellate nisi fuerit de collegio tinctorum. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice viginti sol. Et hoc teneantur futuri consules facere cridari per burgum quolibet mense. De quo banno due partes sint comunis nuxii, et tercia acusatoris.

Quod campsores possint habere consules.

332. Item statuerunt quod campsores plac. habeant et habere possint duos cousules, et hoc ad voluntatem consulum mercadandie.

De reva hosteriorum.

333. Item quod si aliquis foresterius duxerit in domum alicuius hospitis civitatis plac. aliquas bestias grossas vel minutas et eas venderet in civitate, quod consules nuxii teneantur dari facere illi hospiti in domo cuius hospitatus fuerit duos denarios pro reva de qualibet libra sicut de aliis rebus.

Quod hosterii non albergant aliquem rufianum vel meretricem.

334. Item statuerunt quod aliquis hosterius infra infrascriptas confines, videlicet ab angullo berlaschi quo itur ad sanctum Andream usque ad domum de scotis, et a domo castelli villani usque ad domum de de vicaninis, et usque at turrim comitis de lomello, non hospitat nec hospitare debeat in domo sua aliquem Rufianum nec meretricem. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice viginti sol. de quo banno medietas sit comunis nuxii et alia acusatoris. Et acusator sit privatus, et hoc sine tenore.

Quod notarius nuxii habeat totum lucrum.

335. Item statuerunt quod notarius comunis nuxii habeat et habere

---

(1) *Vellatam.* Non è ovvia la interpretaz. di questa voce. Du-Cange ha *vela* sinon. di *tela*, e *vellata* sinonimo di *velluto*.

debeat, et sit suum totum id quod lucratus fuerit occasione notarie officii nuxii, emendo cartas (1) de suis denariis quas operabit pro dicto officio.

Quod omnes retaliantes drapos ad minutum sint de paratico draperiorum.

336. Item statuerunt quod futuri consules tencantur constringere omnes homines retaliantes drappos lane in civitate plac. vel districtu, esse de collegio draperiorum placencie, et hoc non intelligatur super hominibus religiossis. Additum est huic capitulo MCCLXI. de mense octubris, quod hoc capitulum intelligatur in omnibus tam Relligiossis (2) quam laycis.

Quod qui habet partem in mercadandia compellatur solvere expensas.

337. Item statuerunt quod futuri consules teneantur constringere quenlibet partem habentem in mercadandia solvere ad expensas comunis nuxii secundum extimum suum. Additum est huic capitulo MCCLVIII. per Gerardum de Suzo et socios emendatores, quod si non solverint contenti in capitulo hoc extimum eorum, teneantur eorum socii per sacramentum et in banno vigintiquinque libr. illud totum quod de suo habent ei reddere infra tres menses, et nullam negociacionem facere pro eis, solvendo primo dictum extimum seu taliam aut id quod dare deberent comuni nuxii.

De eo quod facere tenentur consules electi in Janua.

338. Item statuerunt in concordia quod consules Janue teneantur per sacramentum infra terciam diem introytus eorum colligere omnes mercatores Janue vel maiorem partem et qui sunt placentini, et eis facere preceptum per sacramentum, quod omnes some quas mittent in lom-

---

(1) *Emendo cartas.* Ecco una delle cagioni delle abbreviature talora indicifrabili che si riscontrano negli atti di que' dì. I notai dovean mettere la carta di proprio, e perciò tagliavan corto. Oggi è a rovescio. Più carta lordano più hanno.

(2) *Relligiossis.* Forse gli Umiliati più degli altri avran fatto commercio di manifatture. Nel 1180 poco tempo dopo la loro fondazione aveano già tre conventi ne' dintorni di Piacenza. Avran venduto molto, e però i mercanti cassano quì l' immunità loro, e li vogliono aggregati al paratico dei drappieri; quindi soggetti a tasse se volevan vendere.

bardiam debeant pensari per pensatores comunis Janue scilicet per pensatores illorum qui sunt vecturales, et eis facere preceptum quod quando pensabunt dictas somas quod inde fieri faciant instrumentum publicum sicut consignate fuerint victuralibus per rectas et legales. Et hoc statutum non intelligatur super somis de drappis vel frassatis (1), vel de totis pilizariis. Et qui contrafecerit bannum decem sol. qualibet vice, quod bannum sit comuni nuxii.

Quod securitas non recipiatur a vecturale.

339. Item statuerunt quod futuri consules teneantur quod si aliquis mercator fecerit lamentacionem aliquam ulla occasione de aliquo vecturale quod ab eo sive ab eis aliquam securitatem recipere non debeant, nisi primo fuerit concors cum dicto mercatore seu mercatoribus. Et hoc sine tenore.

De vecturali invento in forro.

340. Item statuerunt quod futuri consules teneantur precipere per sacramentum consulibus Janue, quod si aliquis vecturalis inveniretur in aliquo dampno vel forro (2) per aliquem mercatorem, debeant facere preceptum quod illi vecturali vel illis non dabunt aliquam somam nec alicui alii pro eo. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice viginti sol.

Quod mercatores permittant vecturalibus pensari somas.

341. Item statuerunt quod futuri consules teneantur infra decem dies ab introytu eorum regiminis facere cridari per burgum placencie quod aliquis mercator qui allogabit somas alicui vecturalli, quod prius dictus mercator ostendet istas somas ipsi vecturali, et ipsas dimittet ipsi pensare seu pensari facere. Et quod dictus mercator dixerit et recordaverit illi vecturali quod pro dictis somis aliquod bannum non solverit consulibus vecturalium Janue. Et qui contrafecerit bannum viginti sol. qualibet vice, et sine tenore.

---

(1) Voce di oscuro significato, e mancante ai Glossarii. La lezione nè è chiarissima nel ms.

(2) *Forro.* Sarebbe *Frodo* da *Frodare*? Non si presenta altra accettazione più congrua di tal voce.

Quod non solvatur bannum vecturalibus etc.

342. Item statuerunt quod consules Janue teneantur infra tercium diem ab introytu eorum regiminis colligere mercatores plac. et eis precipere per sacramentum quod aliquis mercator non solvat aliquod bannum consulibus vecturalium de aliqua soma magna. Qui contrafecerit bannum viginti sol. qualibet vice.

De banno auferendo illi qui falsificaverit bullam.

343. Statuerunt emendatores in concordia quod si quis contrafecerit vel falsificaverit, vel diminuerit bullam aliquam nuxii solvat pro banno. Centum sol. plac. et penitus removeatur perpetuo ab omni officio mercatorum.

De feodo solvendo curreriis.

344. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur solvere feodum curreriis nisi prius quam exeant de eorum consulatu per infrascriptos terminos. Videlicet medietatem in medio anni, et aliam medietatem in fine anni priusquam exeant de eorum consulatu, et hoc sine tenore.

Quod carzatores possunt habere unum batitorem.

345. Item statuerunt quod carzatores possint habere unum batitorem qui batere debeat carzaturam in fadellam (1). Additum est huic capitulo quod non canella, et qui contrafecerit solvat pro banno comuni nuxii qualibet vice duos sol. plac.

Quod si notarius fecerit falsitatem etc.

346. Item statuerunt in concordia quod si aliquis notarius fecerit falsitatem sive forum (2) in suo officio non possit esse notarius comunis nuxii in perpetuo. Sine tenore.

---

(1) *Fadellam.* Forse *falda*, e *faldella.*

(2) *Forum.* V. indietro alla Rub. 340.

Quod qui vitaverit venire ad faciendum ractionem socio suo baniatur.

347. Item statuerunt quod (1) aliquis de iurisdictione nuxii erit aut stetit vel est, qui supra se ractionem mercadandie habuit de rebus sociorum, vitaverit venire ad faciendam racionem socio eius de ipsis rebus quas administraverit, debeat esse bannitus mercadandie, et quod uti non debeat mercadandia in placencia neque extra placenciam cum aliquo mercatore, et quod ipse ubique per omnes partes cazari (2) et capi personaliter debeat, et in rebus, et facere ipsum reddi id totum quod haberet de societate, et insuper scribatur in palacio in litera grossa, et teneantur consules facere predicta sine tenore.

De eo quod solvere debent illi qui intraverint in paraticis nuxii.

348. Et consules nuxii teneantur prohibere ne aliquis ex paraticis nuxii tollat ab aliqua persona volente intrare in aliquo paratico ultra decem sol. plac. pro intratica. Et si quis contrafecerit consules nuxii teneantur tollere viginti sol. plac. pro banno qualibet vice. Et hoc sine tenore.

De eodem.

349. Et quilibet consul alicuius paratici nuxii teneatur non recipere nec tollere ab aliqua persona volente intrare in aliquo paratico pro intraticha ultra decem sol. Et si quis contrafecerit consules nuxii teneantur tollere viginti sol. bannum, quorum medietas sit acusatoris.

De expensis.

350. Item statuerunt quod si in tempore futurorum consulum fient pro comuni nuxii expense extra civitatem et episcopatum plac., quod illae expense pertineant solvere illis personis et per illos homines sol-

---

(1) Dopo il *quod*, pare mancare un *si*.
(2) *Cazari* è qui per *dar la caccia*.

vantur tantum habent et faciunt mercadandiam extra civitatem et episcopatum.

Quod hospes teneatur retinere in eius forcia vecturalem et mulos etc.

351. Item statutum est quod si aliquis vecturalis duxerit aliquam somam guastatam, aut de ea aliquid fuerit tractum in fraudem, et de hoc querimonia fuerit vel saximentum fuerit factum, quod hospes teneatur illum vecturalem cum bestiis suis in domo sua tenere donec ea cognita et finita fuerit. Et si hospes contrafecerit illi centum sol. plac. bannum qualibet vice.

De drapperiis.

352. Item statutum est quod si aliquis draperius vendiderit et dederit drappum alicui homini sarcitum aut fractatum (1) vel ruptum, consules nuxii teneantur cogere illum si lamentacio facta fuerit drappum recipere quem vendiderit, et illud precium emptori restitui facere.

Quod si quis dederit falsum denarium etc.

353. Item si quis de iurisdicione nuxii dederit alicui de ipsa iurisdicione aliquem denarium falsum vel tonsum in solutione boni denarii, Consules nuxii teneantur compellere illum quem dederit illi restituere bonum denarium, licet denarius falsus erit scavizatus (2), et denarius tonsus erit feratus. Et hoc sine tenore.

De circatoribus pensorum.

354. Item statuerunt quod circatores centenariorum, staderiarum, et pensorum debeant tantum circari duos vices in anno si fuerint recta vel non cum staderia comunis nuxii ad expensas illorum quorum fuerint.

---

(1) *Fractatum* forse per *fractum*.

(2) *Scavizatus*. Pare che i denari falsi fossero tagliati in pezzi, e i tosati fossero segnati pur essi in qualche modo. Del *feratus* non è ovvio fornire congrua interpretazione.

Quod si quis fecerit mercadandiam compellatur ad iurandum.

355. Item statutum est quod consules nuxii teneantur si scierint aliquem uti et operari in emendo et vendendo aliquam rem pertinentem ad mercadandiam, non iurasse sacramentum mercadandie, illum requiri facere. Et si quis noluerit iurare, teneantur consules cridari facere per civitatem ne aliquis nuxii utatur cum eo. Et si quis usus fuerit mercadandia postea, centum sol. plac. bannum ei tollam quorum medietatem acusatori dabo. Et hoc sine tenore.

De interdictis.

356. Item statutum est quod si aliquis de iurisdictione nuxii interdictus fuerit per Consules nuxii occasione alicuius debiti mercadandie, non possit exire de interdicione, nisi prius solverit comuni nuxii decem libr. plac. et concors fuerit cum illo cuius occasione interdictus fuerit.

De banno auferendo illi qui societatem habuerit cum interdicto.

357. Item statutum est quod si quis de nuxii iurisdicione usus mercadandia fuerit, et habuerit societatem cum aliquo interdicto, vel eius filio nisi fuerit divisus ab eo per cartam (1), decem libr. plac. bannum ei tollam, et medietatem acusatori dabo.

Quod quilibet faciens anullos suum signum habeat.

358. Item statutum est quod omnes factores anullorum tam femine quam masculi in hac civitate morantes, teneantur quilibet suum speciale signum in quolibet annullo et qualibet alio laborerio facere, ita ut cognoscatur per quem, vel per quam factus fuerit, quod signum sit terminatum consulibus nuxii. Et si quis contrafecerit viginti sol. bannum ei tollam pro quolibet anullo sive laborerio non habente signum. quorum medietas dabo acusatori. Et insuper acusatorem privatum habebo. Additum est huic

---

(1) *Carta* sta qui per *atto notarile.*

capitulo MCCLXXVII. Indict. prima de mense octubris quod consules teneantur ipsos factores anullorum facere coram eis venire et precipere quod ipsa signa faciant anullis, et hoc teneantur facere ipsi consules infra quindecim dies ab introytu sui regiminis.

Item capitula frabricorum.

359. Item statutum est quod omnes factores anullorum teneantur non facere aliquod laborerium de argento qui sit minus lighe venetiani grossi. Et si quis fecerit, centum sol. plac. qualibet vice pro banno ei tollam. Additum est huic capitulo MCCLXXV. quod nullus faber debeat facere aliquem anullum argenti qui sit minus lighe venetiani grossi. Alioquin solvat pro banno pro quolibet anullo quinque sol. Nec aliquod aliud opus ponderis unius uncie quod (1) sit ejusdem lighe, alioquin solvat pro banno qualibet vice quinque sol. et pro qualibet uncia. Et bannum centum sol. sit cassum.

De eodem.

360. Item quod aliquis faber non debeat ponere aliquem safirium in anullo argenti, alioquin solvat qualibet vice decem (2) sol. Additum est MCCLXXVI. de mense octubris quod ubi dicit centum sol. quod dicat decem solidos pro banno.

Quod aliquis plac. non colligat pedagium.

361. Item statuerunt quod aliquis de iurisdictione nuxii non possit nec debeat coligere aliquod pedagium in civitate neque districtu placencie, nec aliquem denarium prestare super aliquo pedagio. Infra quindecim dies postquam eorum consulatum intraverint, teneantur consules dare operam penes potestatem plac. quod aliquis non debeat colligere pedagium in plac. neque episcopatu, nec aliquis prestet super aliquo pedagio causa colligendi eum in plac. Et qui contrafecerit solvat pro

---

(1) Dopo il *quod* par mancare qui per il retto senso un *non*.

(2) *Decem*. Così è nel ms. e forse per errore perchè secondo l' aggiunta dovrebbe dir *centum*.

banno qualibet vice vigintiquinque libras plac. excepto eo quod si pedagium non esset comunis placencie. Et hoc pro bono statu civitatis plac. et mercatorum, cum per homines lombardie civitas placencie infamatur quod pedagiantur in civitate placencie.

Capitula eligendi sindicum.

362. Item statuerunt omnes quod consules nuxii teneantur infra mensem elligere unum bonum hominem et legalem et sapientem et sindicum comunis nuxii, qui debeat recuperare omnia banna et debita comunis mercadandie que recuperanda sunt, qui habeat et habere debeat pro suo feodo de eo quod recuperaverit duos sol. de qualibet libra. Et si oporteret eum habere iudicem pro aliqua causa, consules nuxii teneantur eum sibi dare. Et hoc totum faciat expensis mercadandie.

De maloseriis.

363. Item statuerunt quod aliquis non sit maloserius mercadandie nisi fuerit in extimo comunis placencie.

Quod qui fugerit pro debito interdicatur.

364. Item statuerunt quod si quis de nuxii iurisdictione aufugerit de civitate plac. qui deberet dare alicui de iurisdictione nuxii, interdicatur. Et quod aliquis de iurisdictione nuxii in aliqua parte seu civitate utatur cum eo, nec habeat aliquam societatem cum eo donec fuerit concors cum illo vel illis cui vel quibus dare debuerit occasione mercadandie seu cambii. Nec ejus filii recipiantur ad aliquem tabullam (1) nec ad aliquam societatem in burgo placentie vel alibi, et consules ei teneantur auferre decem libr. plac. pro banno, et hoc sine tenore.

Quod revenditores teneantur spazare plateam burgi.

365. Item statuerunt quod revenditores fructuum et pullorum teneantur

(1) *Tabullam.* Du-Cange ha *Tabula cambii,* che corrisponderebbe alla voce ital. *banca.*

spazari facere plateam burghi singulis mensibus in ieme. Et si non fecerint pro banno a quolibet revenditore quatuor den. quolibet mense.

De hosteriis.

366. Statuerunt et emendaverunt quod si quis de iurisdictione nuxii debuerit habere aliquid ab aliquo hosterio, et ipse hosterius recusaverit solvere, teneantur consules sive rector cridari facere quod nullus nuxii hospitetur in ipso hospicio. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice viginti sol. plac.

De lectulis palearum.

367. Item statuerunt quod albergatores burgi possint ponere in eorum domos lectos palearum ad eorum propriam utilitatem. Et aliter nec possint tenere paleam nec fenum non obstante aliquo capitulo ab hinc retro facto.

De solucione in fraudem creditorum.

368. Item statuerunt quod nullus mercator plac. possit facere solucionem nec donacionem alicui de suis bonis in fraude creditorum. Et donacio sit cassa et irita et nullius valitudinis. Et hoc locum habeat tam preteritis quam futuris.

De pedagiis in aliis civitatibus.

369. Item statuerunt quod futuri consules sive rector infra mensem sui introitus teneantur dare operam efficacem penes potestatem comunis plac. quod ipse potestas taliter debeat operari et facere cum omnibus civitatibus ubique vadunt mercatores plac. quod pedalia non consueta remittantur. Si remittere noluerint quod taliter ordinabit quod simile pedagium habeatur ab ipsis civibus vel cive. Et si aliquod pedagium non acceperit ei ipsa civitas nec eius cives, non pedagiantur a nostro comuni in nostra civitate. Et hoc idem fiat de quibuscumque aliis rebus et gabella.

De forma solucionis facienda etc.

370. Item statuerunt ut si quis mercator alteri mercatori pecuniam debuerit occasione cambii, comodacionis, depositi, mutui, seu cuiuscunque negociationis ad mercadandiam pertinentis, consules nuxii teneantur facere fieri soluctionem in pecunia numerata tam de pena (1) quam de sorte secundum modum et formam instrumentorum suorum, seu terminorum, vel sentencia aut arbitramenta. Et si in pecunia numerata non soluerit, quod detineatur personaliter ad voluntatem creditorum. Additum est huic capitulo MCCLXIIJ. indict. VII. de mense novembris. Et quod valeat super illos qui extraxissent vel extraherent aliquid vel denarios de aliqua societate, vel qui condempnati fuissent per cartam vel sine carta ad restituendum illi vel illis quibus essent condempnati ad restituendum per arbitros vel alio modo secundum instrumentum solvent tam de pena quam de sorte in denarios tantum et non in aliud. Et hoc valeat tam in preteritis quam in futuris et sine tenore.

Quod ille qui refutaverit mercadandiam etc.

371. Item statuerunt quod si quis refutaret seu refutaverit mercadandiam, quod consules teneantur ipsum compellere omnibus modis de debitis vel obligacionibus, vel dacitis seu extimis impositis secundum modum et formam capitulorum istorum. Ita quod refutacio illa in aliquo non proficiat illi, et sine tenore.

Quod bannum datum alicui etc.

372. Item statuerunt quod si bannitus fuerit per consules mercadandie et interdictus, quod aliquis cum eo non utatur, quod illum bannum seu interdictum servet tam in civitate plac. quam in aliis civitatibus et locis in quibus utuntur mercatores plac. Et ille qui bannum receperit per mercadandiam, quod consules teneantur facere ipsum banniri per comune placencie.

---

(1) *De pena.* Pare doversi intendere che il danaro dovea essere numerato tanto *a penna* ossia aritmeticamente, quanto *in specie* ossia qualità delle valute che si davano.

Quod qui emerit filum etc.

373. Statuerunt quod debeant compellere ad iurandum omnes homines qui ement filum in mercato, et extra mercatum in plac. et extra plac. in mercatis que fiunt in districtu. Additum est huic capitulo quod intelligatur super homines et feminas ementes filum causa revendendi.

De lino vendendo.

374. Item statuerunt quod si aliquis vendiderit linum ad minutum in mercato et extra mercatum in plac, et extra plac. alicui persone aliquam pensam minori penso quinque librarum, solvat pro banno de qualibet pensa sex denarios. Additum est MCCLXXXXJ. de mense octubris quod ibi ubi dicit VI. denar., dicat quinque sol.

Non compellatur ad solvendum debitum transactis XX. *annis.*

375. Item statuerunt quod si quis debuerit habere ab aliquo cum carta vel sine carta, et steterit per viginti annos quod non sit requisitum illud debitum, consules nuxii non teneantur ipsum debitorem constringere ad solvendum.

De anullis octonis.

276. Item statuerunt quod nullus faber faciat aliquem anullum de octono laborato in quo sit saphyrus vel sardana (1) vel aliquid aliud propter quod vendi possit pro auro et argento. Neque eciam aliquod aliud opus de ottono faciat quod vendi possit pro auro vel argento. Et si quis contrafecerit solvat pro banno pro quolibet anullo decem sol. plac. et quilibet faber inde faciat securitatem centum sol. de observando predicta.

De forma pensorum formageriorum.

377. Item statuerunt quod quilibet homo vendens carnes ad retalium

(1) *Sardana* manca ai Glossarii, ed è la pietra Sardonica.

seu ad minutum habere debeat libram ferream in qua sit foramen transitiuum et bulla mercadandie, et duas libras ferreas cum duobus foraminibus transitivis et bulla mercadandie, et tres libras ferreas cum tribus foraminibus et bulla predicta, et sic usque in pensum septem librarum. A septem vero libris superius habeant pensum lapideum bullatum. Additum est huic capitulo quod quilibet possit habere unam libram tantum bonam et legalem ferri, petre, et pumbli que sit bullata. MCCLXV. indict. VIIII. de mense Novembris.

Quod batitores lane etc.

378. Item statuerunt quod quilibet batitor lane possit et ei licitum sit batere lanam in die tantam quantam voluerit sine aliquo banno vel pena.

Ne aliquis teneat parietem inter se et convicinum.

379. Item statuerunt quod non sit aliquis homo in burgo (1) placencie qui habeat stacionem in strata burghi ab una quaque parte per burgum rectum a domo Castelli villani usque ad Ecclesiam Sancti Ylarii, qui debeat ponere inter se et convicinum suum aliquam parietem vel murum, a tabulla superius nisi tantum medium brachium. Et qui contrafecerit solvat pro banno quinque sol. qualibet vice. Additum est MCCLXVJ. quod nullus ponat colonellum a terra ultra unum brachium et dimidium. Item additum est MCCLXXIIJ. de mense octubris quod hoc capitulum habeat locum et observetur inter merzarios commorantes intus Ecclesiam S. Stephani, et ecclesiam S. Pauli.

De eo qui voluerit refutare mercadandiam.

380. Statuerunt quod si quis de iurisdictione nuxii voluerit refutare mercadandiam, primo debeat iurare in presencia consulum quod non

---

(1) *In burgo.* Oggi la denominazione di *borgo* è riservata a quella piccola piazza davanti a S. Brigida, che anticamente chiamavasi *platea burgi*, mentre all' epoca dello Statuto chiamavasi *borgo* tutto il lungo tratto da S. Brigida a S. Paolo, e che era tutto fuori delle mura. La presente rubrica il dice chiaro.

usus fuit mercadandiam a duobus annis proxime preteritis, et quod non faciet mercadandiam usque ad quinque annos proxime continuos. Et si repertum fuerit se habuisse de suo avere in mercadandiam infra dictum tempus, teneantur consules auferre ab eo Centum sol. plac. pro banno, de quibus accusator debeat habere medietatem, et esse privatum.

Quod non ematur filum etc.

381. Item statuerunt quod nullus de iurisdictione nuxii debeat emere nec appellare filum nec capicium a cruce Bellengariorum usque ad locum statutum in die Veneris. Et qui contrafecerit bannum duodecem denariorum pro quolibet capicio et quolibet mazio fili. Additum est quod quilibet nuxii non debeat emere capicium nec filum in aliqua parte infra civitatem die veneris nisi in mercato Sancti Andree. MCCLXV. de mense novembris.

Quod si quis vendiderit drappum vel fustaneum teneatur solvere etc.

382. Item statuerunt quod si est aliquis homo in episcopatu plac. qui vellet vendere fustaneum et drapum lini et drapum lane, debeat convenire sub consulibus nuxii ad solvendum intraticam.

Quod claviga burgi sit coperta.

383. Item statuerunt quod claviga que est in platea de burgo debeat esse cohoperta usque ad beveratorem, et sine tenore.

Quod foresterii non vendant in civitate plac. drapum etc.

384. Item statuerunt quod nullus homo nec mercator foresterius possit vendere pannum lini nec lane, nec fustaneos in civitate plac. et eius districtu ad retalium, cum in aliis civitatibus non vendatur nisi prius efficiatur civis, et iuret sequelam consulum nuxii ad hoc ut non comittat fraus in arte sua.

Quod qui fecerit fustaneos etc.

385. Item statuerunt quod quelibet persona que texit vel texere facit fustaneos pro vendendis, teneantur venire et esse de collegio massariorum.

De eligendo uno homine qui sindicet etc.

386. Item statuerunt quod futuri consules teneantur infra unum mensem postquam intraverint consulatum elligere unum hominem de quolibet paratico nuxii qui debeat circamaliare (1) camararium et sindicum comunis nuxii. Et si invenerint dictum sindicum accepisse aliquod pignus non sufficiens pro illa quantitate quam recipere deberet pro comuni nuxii, habeat tantum pro suo feodo quantum vendiderit illud pignus.

Quod currerius non possit esse percurrerius alicuius.

387. Statuerunt quod nullus currerius mercadandie debeat esse percurrerius alicuius, nec causari pro aliquo contra aliquem mercadandie sub consulibus nuxii nisi esset suum speciale factum. bannum decem sol. et sine tenore.

De eo quod solvere debent foresterii pro maloso.

388. Item statuerunt quod quilibet foresterius solvat pro maloso pensii bambaxii unum denarium, et pensi lane lavate de tunixy, et de buzea (2) unum denarium, et some lane grosse sex den. et cuiuslibet pecie drappi de ultramonte quatuor den., et pecie drappi lombardi duos den., et omnium aliarum rerum accipiatur a foresteriis sicuti accipitur a civibus plac. in terris ipsorum forestariorum. Et hec omnia intelligantur tantum super foresteriis, et non super civibus plac.

---

(1) *Circamaliare* è chiaro nel ms., ma manca ai Glossarii. Sta qui per *sindacare, esaminare.*

(2) *De tunixy et de buzea.* La *Buzea* è *Bugia.* Città in Algeri dove traevansi lane fine siccome da Tunisi.

De reva solvenda hospitibus per foresterios.

389. Item statuerunt quod quilibet foresterius veniens placenciam vel vendat vel emat solvat unum denarium hospiti suo pro reva. Et cives plac. non solvant aliquam revam. Additum est huic capitulo ubi dicit unum den. de reva, solvere debeat duos, denarios.

Quod iurent omnes qui faciunt tellas.

390. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur facere iurari omnes qui non essent de mercadandia facientes tellas screcias amplas et strictas in civitate plac. et burghis. Et si aliquo tempore iurassent, non teneantur iurare, et teneantur auffere a quolibet ipsorum pro intratica quinque sol. ex quibus tercia pars sit comunis nuxii.

De feodo camararii nuxii.

391. Item statuerunt quod camararius nuxii non possit habere ultra viginti solidos, unum sextarium panici, et unam autam (1). Et consules nuxii non debeant ponere in consilio neque in concione quod possit habere nisi ut superius continetur. Et hoc sine tenore.

De eo quod habere debent drizatores marcarum.

392. Item statuerunt quod qui erit drizator marcarum et pensorum, non possit habere de aliqua marca et aliquo penso in quibus non esset aliquid facere si bullam non haberet, unum denarium tantum. Et si in illis esset aliquid facere habeat tantum tres denarios.

Quod qui voluerit adiscere officium peciarum fustanei etc.

393. Item statuerunt quod si aliquis tam masculus quam femina

(1) *Autam.* Di oscuro significato. *Bauta* è voce deriv. dal Teutonico, e significa manto, o cappa.

voluerit adiscere officium peciarum fustanei, debeat solvere pro intratica duodecim denarios, de quibus tercia pars sit comunis nuxii.

Quod nullus vendat sofranum falsum (1).

394. Statuerunt quod nullus de iurisdictione nuxii emat nec vendere debeat sofranum falsum ab aliqua persona. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice. Quinque sol. pro libra. Et cridetur per duas vices in anno per burghum, quod quidem locum habeat etiam in forensibus.

Quod iuret paraticum, qui fecerit aliquid quod pertineat illi paratico.

395. Item statuerunt quod si aliquis de iurisdictione nuxii emerit vel vendiderit in grosso vel ad minutum aliquid, quod pertineat alicui paratico nuxii, quod consules teneantur facere illum hominem venire ad ipsum paraticum, et sine tenore, nisi vellet renunciare illi misterio vel arti.

Quod hosterii qui vendunt caseum et oleum non pensent etc.

396. Item statuerunt quod omnes hosterii qui vendunt caseum et oleum, non debeant pensare ad aliquam staderiam ultra unum pensum (2), nisi ad staderiam comunis nuxii. Et qui contrafecerit solvat pro banno quinque sol. qualibet vice.

De ratione facienda de illis qui terminum recipiunt etc.

397. Statutum est et ordinatum per predictos emendatores, quod si aliquis receperit terminum sub consulibus nuxii, quod consules teneantur compellere eum ad solvendum creditori suo. Et si transierit annus a

---

(1) È rimarchevole questa falsificazione dello zafferano, e convien supporre che se ne facesse grande uso, e sì importante da esigere una apposita rubrica nello Statuto.

(2) *Ultra unum pensum.* Il peso o rubbo piac. è di Chil. 7. 937933.

die termini recepti, et debitor dixerit se nolle constringi sub ipsis consulibus nuxii, quod ipsi consules possint et debeant eundem debitorem constringere ad terminum de nouo accipiendum ad voluntatem creditoris. Additum est huic capitulo MCCLXXXIIIJ. de mense octubris quod ibi ubi dicit si transierit annus, quod dicat si transierint quinque anni. Item additum est MCCLXXXVJ. de mense octubris, quod si debitor de nouo terminum noluerit recipere, ipso primo citato perhentorie quod veniat ad recipiendum terminum de novo vel ad se defendendum, et scripta citacione in quaterno et relacione currerii, et expectato postea post relacionem et citacionem per octo dies et non comparente, quod consules nuxii procedere possint et debeant contra debitorem ad solucionem faciendam creditori, et ad omnia alia secundum formam statutorum nuxii, non obstante quod quinque anni transacti essent a receptione primi termini. Additum est huic capitulo MCCCVIIJ. de mense octubris quod ibi ubi dicit V. anni dicat X. annos, et hoc intelligatur de aliquo debito de quo fuerit instrumentum publicum.

Quod oliarius non mutuat libram.

398. Item statuerunt quod nullus olearius postquam acceperit libram marencam debeat illam mutuare alicui persone vendenti oleum vel ementi foresteriis, cum sit dampnum mercadandie quando mutuat. Et ad hoc teneatur in banno quinque sol. plac. quorum medietas sit comunis nuxii, et altera acusatoris.

Quod consules ad requisicionem creditorum etc.

399. Item statuerunt quod si aliquis denunciaverit consulibus vel consuli qui essent vel esset ad bancum, quod ipsi vel ipse irent aut iret ad domum alicuius qui recepisset terminum sub iurisdicione nuxii pro facienda soluctione creditori, quod ipsi aut ipse teneantur vel teneatur antequam discedant seu discedat a banco ire ad domum predicti pro facienda soluctione predicta. Et si non invenerint aliquid de suis bonis, quod capiant ipsum debitorem vel debitricem personaliter, et ponatur in domo comunis ad voluntatem creditoris; quod si non fecerint, consules venturi teneantur auferre a quolibet non faciente sexaginta sol. placencie.

Quod qui iverit extra plac. causa faciendi mercadandiam etc.

400. Item statuerunt quod si aliquis homo plac. vel districtus iverit in Franciam vel provinciam, vel Januam occasione faciendi mercadandiam, aut prestandi denarios, vel aliud, et fecerit sacramentum mercatorum vel mercadandie sub consulibus qui essent in partibus illis, teneatur et debeat sub consulibus illis facere cuilibet ractionem. Nec ab hoc se possit talis persona deffendere, nisi antea renunciasset mercadandie. Et si vellet se defendere ab hoc aliqua ratione, non possit habere dilacionem ultra marinam nec alium terminum nisi ad voluntatem consulum predictorum.

Quod consules plac. teneantur recuperare condemnationes etc.

401. Item statuerunt quod si consules mercatorum qui esset in Francia, in Janua, vel alibi condempnaverint aliquem mercadantem, et ipsi consules condempnacionem habere non possent ab eo, et hoc significarent consulibus plac., teneantur ipsi consules de plac. recuperare dictam condempnacionem infra quindecim dies postquam significatum eis fuerit. Et hoc sine tenore.

Quod consules teneantur circare ceram etc.

402. Item statuerunt quod consules teneantur ire ad domum seu staciones omnium specialium vendencium ceram, candellas quando eis denunciatum fuerit causa circandi illam ceram, candellas, et piperatam. Et si quis inventus fuerit fecisse ceram, candellas, seu piperatam falsam vel falsas, accipiant eam et eas facere comburi in platea Sancte Brigide, et auferre ab eo pro qualibet libra tres solidos plac. pro banno. Additum est huic capitulo, et hoc sine tenore (1).

De contestacione facienda ante dacionem libelli.

403. Statuerunt quod si quis citatus ad peticionem alicuius ante me

(1) *Sine tenore.* È chiaro qui che tal formola non è oziosa poichè fu soggetto di un' addizione alla rubrica. Du-Cange dice corrispondere a *sine mora aliqua*, cioè *immediatamente, senza dilazione.* Meglio parebbe intendere *senza replica, senza appello.*

venerit, et ille qui eum citari facit aliquid ei petierit ante dacionem libelli seu peticionis in scriptis ille reus compellatur respondere et contestari. Additum est MCCLXXXJ. de mense octubris quod consules teneantur auferre ab illo reo si respondere noluerit viginti solidos pro qualibet vice.

Quod ad muros palacii nuxii non occidantur bestia.

404. Item statutum est quod nullus possit occidere, neque scoriare, neque scanare aliquam bestiam ad muros palacii nuxii neque in stacionibus ipsius palacii. Additum est MCCLXXIJ. nec in platea burgi. Et consules teneantur auferre a contrafaciente quinque sol.

De sacramento merzariorum.

405. Item statutum est quod qui tenuerit stacionem merzariam vendendo illas merces per duos menses, teneantur iurare sub paratico merzariorum tam forasterii quam Cives plac. sine tenore.

Quod pensionarii mercadandie non rumpant muros.

406. Statuerunt quod nullus pensionarius stacionum vel domorum palacii nuxii, rumpat nec guastet murum aliquem neque lignamen sub banno viginti sol. plac. pro qualibet vice. Et insuper teneatur omne dampnum dactum restituere suis expensis.

Quod capicia et filum etc.

407. Item quod nemo audeat portare nec portet extra civitatem nec districtu plac. capicium neque filum. Et si quis contrafecerit, perdat capicium atque filum. Et insuper prohybeatur quilibet de mercadandia mercari cum eo sive sit de iurisdictione nuxii sive non. Et facta prohibicione qui mercabitur cum eo solvat pro banno qualibet vice decem libras. Et consules qui pro tempore fuerint teneantur facere predicta cridari per civitatem et execucioni mandare sine tenore.

De pensis formageriorum.

408. Statuerunt quod pensa formagiariorum et vendencium carnes sicas habeant pensa ferri et sint bullata bulla mercadandie, et quantarum librarum ferri fuerint, et sint tanti ponderis quanti erat ferri pondera, sed media libra uno foramine sit forata. Additum est MCCLXXXIIJ. de mense octubris quod media libra non sit forata, sed sit bona et legalis.

Quod pecia que dantur imblanchitoribus etc.

409. Item statutum est quod quilibet dans pecias imblanchitoribus et qui recepit illas teneantur illas facere scribi notario mercadandie in libro ipsius. Et qui non fecerit solvat pro qualibet pecia duodecim denarios. Set hoc capitulum non habeat locum nisi in hiis qui sunt de iurisdictione mercadandie.

Quod qui dederit pecias ad imblanchiendum etc.

410. Statutum est etiam quod si quis mutaverit (1) pecuniam alicui imblanchitori super peciis datis ad imblanchiendum vel tingendum, vel artem, quod liceat illi cuius fuerint ille pecie eas recuperare libere sine aliqua pecunie dacione, et consules teneantur illas reddi facere sine expensis. Et hoc consules cridari faciant infra quindecim dies postquam intraverint consulatum, et sine tenore.

Quod introitus Janue etc.

411. Item statutum est quod consules futuri teneantur eligere tres bonos homines qui videant introitus pedagii quod colligitur pro facto Janue, et omnes alios denarios qui colliguntur, et omne aliud quod exigi potest. Et videre ipsam ractionem et ordinare eam secundum quod melius poterint, et durent per sex menses et nullum habeant feodum.

---

(1) *Mutaverit.* Verosimilmente sta qui per *mutuaverit.*

Quod qui intraverit in paratico draperiorum etc.

412. Item statutum est quod quilibet volens intrare in paraticum draperiorum solvat pro intratica XL. sol. Additum est MCCLXXIIJ. de mense octubris quod solvat tantum decem sol.

Quod statutum si plures socii habeat locum etc.

413. Item quod statutum seu capitulum nuxii qui incipit. Item statuerunt et emendaverunt quod si plures sunt socii et unus cambium fecerit vel aliquod debitum contraxerit etc. locum habeat in preteritis pendentibus, futuris sine ulla exceptione temporis.

Quod potestas, et capitaneus et eorum familie etc.

414. Item statutum est (1) quod potestas qui per tempus fuerit, et quilibet de sua familia. Et capitaneus et quilibet de sua familia teneantur et debeant ad requisicionem consulum nuxii qui pro tempore fuerint vel alterius eorum dare auxilium consilium et iuvamen ad observandum capitula nuxii et omnia que in ipsis capitulis continentur. Et ad manutenendam et deffendendam ipsorum consulum iurisdicionem et honorem nuxii. Et sine tenore.

Quod foresterius qui fecerit cambium de prevenexinis (2) *etc.*

415. Statuerunt quod quilibet foresterius qui cambium faceret ad prevenexinos debeat dare hospiti suo de centenario prevenexinorum duodecim denarios. Additum est ubi dicit de centenario prevenexinorum, quod intelligatur de centum libris prevenexinorum.

---

(1) Gran potere, anzi supremo doveano avere questi mercanti, se obbligavano per Statuto il Podestà e Capitano delle milizie a prestar loro soccorso in qualunque emergenza.

(2) *Prevenexinis.* Così dicevansi certe monete in corso a que' dì, e che Du-Cange ed altri vogliono fossero così denominate dal Castello di Pruins in Francia. Vedi in questi Monumenti Tom. 3. pag. 138. della Cron. Londinens. Nota 6. Anche questa è una prova dell' antichità del presente Statuto perchè è noto ai Numismatici che questi *Prevenexini* furon banditi ne' primi anni del Sec. XIII. perchè leggeri ed illegali.

Quod pedagium solvatur de fromento, caseo etc.

416. Item quod omnes homines plac. qui ducunt mercadandias in Ianuam et aliam civitatem tam qui veniunt per mare quam per terram, debeant solvere pedagium de frumento, caseo, ficubus et omnibus aliis rebus quas duxerint, eo dicto quod consules nuxii sive mercadandie infra quindecim dies ab introitu eorum consulatus consilio sapientum mercadandie in quibus sint de paraticis mercadandie ordinentur quod eis videbitur solui debere de frumento, caseo, ficubus, carnibus et omnibus victualibus et aliis rebus divisim.

Ne ponatur in cereo stupulus nisi fuerit de bambaxio.

417. Item statuerunt quod nullus debeat facere cirium seu duplerium cere ad vendendum quod non sit factum de stupullo (1) bombicis, et qui contrafecerit solvat bannum pro quolibet quinque sol. plac.

Quod consules teneantur circare capitula capitanei.

418. Item quod consules mercadandie teneantur circare omnia statuta et ordinamenta que pertinent comuni nuxii et mercadandie plac. que sunt in statutis et ordinamentis domini capitanei societatis mercatorum et paraticorum plac., et facere quod illa statuta per dictum capitaneum ducantur ad effectum et compleantur, et specialiter ea que faciunt mencionem de recuperandis debitis mercadandie, que debita debentur per Anguxolos, Dianos, et Rozos et heredes cuiusdam Gullielmi Lecacorui et per alias quascumque personas.

De consulibus.

419. Statuerunt in concordia nullo discrepante, quod si denunciatum fuerit alicui consulum quod faciat fieri aliquid de quo teneatur per statutum, et id non fecerit, consules qui succedent teneantur ei auferre pro banno viginti sol. et hoc sine tenore.

---

(1) *Stupulus* sta qui per *stoppino* e manca ai Glossarii.

Quod non doceatur ad texendum bambaxium nisi etc.

420. Item statutum est quod aliqua persona que texit bambaxium non debeat docere aliquem discipulum vel discipulam nisi prius fuerit conventatus vel conventata in presencia consulum misterii bambaxii in bannum sex den. qualibet vice, et discipulus sit cassus. Additum est huic capitulo MCCLXXIIJ. de mense octubris quod hoc capitulum locum habeat tantum in masculis et non in feminis.

Quod nullus iudex veniat in palacio nuxii nisi etc.

421. Item statutum est quod nullus iudex possit venire nec veniat causa alicuius placiti seu litis super palacio nuxii nisi ad sentenciam diffinitivam dandam si acceptus fuerit. Et sine tenore.

De statutis in cartis pegorinis ponendis.

422. Item statutum est quod futuri consules teneantur suprascripta statuta poni facere in cartis pegorinis, et poni in statutis nuxii, et innolari (1).

Quod candidatores ponant in bugatis unum ceneratorem.

423. Statuerunt quod candidatores peciarum fustanei tempore quo faciunt et facient bugatas, debeant ponere super pecias unum ceneratorem. Alioquin auferratur eis pro banno pro qualibet bugata quinque sol. Additum est MCCLXXXIIJ. de mense octubris quod quilibet teneatur accusare, et sine tenore.

De non emendo filo antequam mercatum fuerit collectum.

424. Item statuerunt quod aliquis emens filum ad mercata episcopatus plac. non debeat emere antequam mercatum sit collectum. Et si

(1) Du-Cange ha *inola, corigia libri. Innolari* perciò sarebbe *inolis vincire* od altro consimile.

quis contrafecerit solvat pro banno qualibet vice viginti sol. Et quilibet emens filum teneatur ipsum contrafacientem accusare.

De consulibus textorum et massariorum.

425. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur sine tenore infra quindecim dies ab introitu eorum regiminis mittere pro consulibus textorum et massariorum, et precipere eis quod consulibus nuxii dent tres homines de utroque paratico eorum in scriptis, quibus habitis ipsi et consules nuxii teneantur ipsos sex homines facere venire ante eorum presenciam, et facere iurare eos quod manifestabunt omnes illos quos sciunt qui portant capicia et fila extra civitatem et districtum plac. quibus sic manifestatis teneantur tunc predicti Judex et consules nuxii sine tenore mittere pro ipsis manifestatis et facere eos iurare et dare bonam securitatem vigintiquinque libr. plac. quod non portabunt extra civitatem et districtum capicia neque fila in banno centum sol. qualibet vice.

Quod ullus portet tosicum vel tiriacam nisi etc.

426. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur dare operam penes potestatem et rectores comunis plac. quod nullus portet per civitatem ad vendendum tosichum neque tiriacham, nisi ipsa tiriacha primitus fuerit probata.

Quod capiantur portantes extra capicium.

427. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur sine tenore ordinare cum potestate et capitaneo plac. quod dent in mandatis gabellatoribus portarum et riparum aquarum, quod ipsi debeant curare quemlibet euntem extra plac. ne portent capicia et fila. Et si invenerint aliquem portantem, teneantur ipsi gabellatores eum detinere et facere notum potestati et capitaneo, et ipsum conducere in baylia potestatis et capitanei, et habeant ipsi gabellatores et illi qui ceperint illos vel illum portantes capicia vel filla medietatem capiciorum et fillorum.

De eodem vel quasi.

428. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur sine tenore tractare cum potestate et capitaneo plac. quod dent et dare debeant in mandatis Navarolis (1) aquarum quod ipsi cum aliquis dixerit eis euntibus in navibus per aquam padi, quod veniant ad terram seu ripam, ex parte potestatis plac. et comunis mercadandie, quod ipsi Novarolli teneantur venire ad ripam. Alioquin cadant in banno qualibet vice centum sol. plac. Et quod non portabunt capicia neque filla in aliqua navi. Sub predicta pena et banno.

Quod precipiatur navarolis etc.

429. Item statuerunt quod consules mercadandie sine tenore teneantur ordinare cum potestate et capitaneo plac. quod ipsi precipiant omnibus navarolis quod non portabunt filla neque capicia extra districtum plac. in navibus eorum. Et si contrafecerint solvant pro banno qualibet vice centum sol. plac. et navis ipsorum intus quam defferentur predicta comburentur. Et potestas et capitaneus teneantur accipere navarolis euntibus per aquam padi securitatem viginti quinque libr. plac.

Quod capitula de capiciis ponantur in statutis.

430. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur sine tenore infra unum mensem ab eorum introytu facere scribi et poni predicta capitula super capiciis et filis in statutis comunis plac. et capitanei.

Quod quilibet admittatur ad agendum et referendum.

431. Item quod quilibet tam masculus quam femina admittatur ad agendum et referendum, et conquerendum de suo debitore vel creditore in qualibet causa pertinente ad mercadandiam, non obstante quod sit minor, vel filius familias, et compellatur solvere seu satisfacere quodlibet

---

(1) *Navarolus* è qui per *Portolano* o guidator di barche.

debitum per eum factum vel ejus socium postquam ad banchum, tabullam seu stacionem positus seu constitutus fuerit. Et si satisfacere noluerit, per consules compelli non poterit, ipse ab omni utilitate commoditate atque usu negociationis removeatur et baniatur et condempnetur in decem libr. plac. de quibus absolvi nec ei remitti possit seu restitui, nisi primo solverit predictas decem libr. plac. et fuerit concors cum creditore suo. Idem observetur in quolibet mercatore qui habuerit seu habet societatem cum aliquo, et gesserit seu administraverit negocia societatis, vel singularis persone, ut compellatur reddere et facere racionem sociis suis seu socio de gestis in societate. Et si recusaverit capiatur et detineatur in palacio nuxii vel alibi ad voluntatem creditoris vel sociorum, nec prosit ei aliqua alia exceptio que opponi posset contra presens statutum. Et hec habeant locum tam in preteritis quam in futuris et sine tenore. Additum est MCCLXXVJ. de mense octubris quod hoc capitulum locum habeat tam in preteritis a duobus annis citra tantum, quam in futuris et non ultra.

Quod quelibet torta lini etc.

432. Statuerunt predicti emendatores quod quelibet torta (1) lini sit et esse debeat quinquaginta duas libr. cum lisca (2) cum qua ligata est, vel illi qui vendiderint linum dent et dare debeant unam libram lini pro quolibet centenario. Et linum quod vendiderint ad centenarium sit purum sine lisca.

Quod quelibet societas etc.

433. Item quod infra sex menses postquam lamentacio michi facta fuerit compellam supradicto modo quamlibet societatem ad reddendum racionem, et suam partem assignandam cuilibet socio volenti se dividere ab eadem.

---

(1) *Torta.* Voce che manca nei Lessici, parrebbe equivalere a *manipolo*, o *pacco*.

(2) *Lisca.* Così chiamasi anche oggidì in vernacolo quell' erba palustre colla quale s' intessono coperte di seggiole, di fiaschi ecc. *Carex*, *Tipha*, ecc. dei Botanici.

De eo quod recuperaretur ab aliquo debitore etc.

434. Item si plures sint qui creditum fecerint extra districtum plac. alicui, et per unum ex creditoribus aliquid fuerit recuperatum, inter creditores illud totum partiri et dividi faciam, nisi ille qui recuperaverit debitum vel partem ipsius primo denunciaverit per cartam atestatam coram Judice seu consulibus cum sociis, ut cum eo vadant vel mittant ad illud recuperandum, quo casu non compellatur restituere nisi quod superstetit sue partis. Et qui contrafecerit decem libr. ab eo tollam sine remissione. Et si in illo viatico proprium habuit, et ad illum recuperandum operam seu expensam fecerit, et sociis non manifestaverit, et hoc scivero, pro libra dividi et partiri faciam. Et insuper centum sol. ab eo tollam, et hoc totum observabo sine tenore.

De quemlibet adjuvando qui aliquid perdiderit alicubi.

435. Item quod si aliquis mercator amiserit aliquid alicubi, bona fide quam cicius potero recuperari iuvabo dominio ractione nuxii se non obliget nec expendat nisi in viaticis facendis et tunc fiat ad voluntatem conscilii generalis.

Quod quilibet compellatur ad restitutionem dampni etc.

436. Item quod si aliquis mercator civis plac. vel districtus in aliqua civitate occasione alterius mercatoris dampnum sustinuerit, compellam illum cuius occasione dampnum passus fuerit cum expensis restituere dampnum passum, aut illum capiam et detinebo quousque satisfecerit si hoc facere potero; alioquin interdicam eum et cum banniri faciam ut in statuto superiori continetur quod incipit. Item quod quilibet tam masculus quam femina, et finitur contra presens statutum, et hoc totum faciam sine tenore.

De circandis candellis, dobreriis cere, et aliis.

437. Item infra unum mensem postquam intravero consulatum elligam tres bonos homines et legales qui circant et circare teneantur

candellas, cireos, et dobrerios (1), et si invenerint qui non sint pure cere, et non habeat stupulum bambaxii, coram me vel consulibus representabunt. Et ego sequenti die illam vel illos comburi faciam in platea burghi, et facienti vel vendenti pro quolibet dobrerio seu cireo vel libra candellarum tollam quinque sol. et dictos dobrerios cereos seu candellas nec ulli faciam graciam vel remissam sine tenore, et removeatur usque ad tres annos ab officio Speciarie. Additum est MCCLXXV. de mense octubris quod consules nuxii incontinenti si denunciatum fuerit eis venire debeant ad circandum candellas dobrerios et cereos per staciones vel alibi. Alioquin perdant ex feodo eorum quinque sol. Et hoc sine tenore.

De duobus sindacatoribus elligendis etc.

438. Item elligantur duo sindici boni et legales homines de iurisdictione nuxii, qui debeant sindicare et circare sindicum comunis nuxii, Consules et Camararium de omni eo toto quod ad eorum manus pervenit vel gesserunt; si invenerint aliquem eorum fraudem vel furtum fecisse, vel in se retinuisse ultra id quod habere debent ex forma statuti, illum vel illos condempnabunt in quadruplum. Qui sindicatores iurent ea omnia observare ut suprascriptum est sine tenore.

Quod quilibet retaliator drapporum etc.

439. Item quod quilibet retaliator cuiuslibet draperie de lana compellatur esse de collegio drapperiorum plac. cuiuscumque sit condicionis.

Quod potestas et capitaneus teneantur dare forciam etc.

440. Item statutum est quod potestas et eius familia, et Capitaneus et eius familia, teneantur vinculo sacramenti dare operam, auxilium forciam et adiutorium cum habere et personis iudici seu consulibus nuxii ut observent et observare possint et effectui demandare omnia eorum statuta seu consuetudines, et ut integre defendant et manutenere possint suam iurisdicionem, nec impediant neque impediri consenciant

(1) Du-Cange ha *Duplerium* e *Doblerium* e corrisponde all' italiano *doppiere*.

in aliquo dicto vel facto iudicem vel consules qui supradicta observent, non obstante aliquo capitulo comunis plac. seu nuxii facto vel faciendo. Et hoc teneantur iurare precise quando facient suum iuramentum, et quod omnia statuta comunis nuxii observabunt seu observari facient sine aliqua diminucione vel exceptione. sine tenore. Quod statutum ponatur in statutis societatis mercatorum, et paraticorum placentie et comunis.

Quod nullus teneat aliquam staderiam etc.

441. Item quod aliquis de civitate plac. non audeat nec presumat habere nec tenere in civitate seu burgis aliquam staderiam cum qua possit pensari ultra unum centenarium, nec aliquis debeat pensare ad aliquam staderiam ultra unum centenarium nisi ad staderiam comunis nuxii, et qui contrafecerit si fuerit de iurisdicione nuxii puniatur per consules nuxii pro qualibet vice in centum sol. et auferatur illi stateria. Si autem non fuerit de iurisdicione nuxii, puniatur predicto modo per potestatem, et illud idem observetur de libris marenchis et cazolis. Et etiam de qualibet alia re pertinente ad mercadandiam. Additum est quod nullus oliarius debeat vendere oleum alicui ab una libra supra qui non mensuret ad libram marencham comunis nuxii. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice et pro qualibet libra duos sol. plac. quorum medietas sit comunis nuxii et alia medietas accusatoris. Item non dimittam nec recipiam aliquam apellacionem in aliqua causa ad negociacionem pertinente, nisi per instrumenta de novo reperta probare voluerint.

Ne conqueratur de aliquo debitore iurisdictionis nuxii nisi etc.

442. Item quod aliquis de iurisdictione nuxii non possit conqueri de aliquo suo debitore de iurisdictione nuxii, nisi coram consulibus nuxii, et qui contrafecerit condempnetur per consules in centum sol. plac. pro qualibet vice et ut desistat a dicta lamentacione seu querella. Et hoc locum habeat in omni causa pertinente ad mercadandiam. Et depositum intelligatur mercadandia.

De non faciendo rixa coram consulibus.

443. Item quod aliquis de iurisdictione nuxii non audeat nec presumat in palacio comunis nuxii, seu in platea burghi, aut coram consulibus facere rixam seu dicere aliquod verbum iniuriosum, se cominatum, seu ponere manum ad aliqua arma in bannum centum sol. plac. et qui contrafecerit solvat pro banno pro qualibet rixa viginti sol. pro quolibet verbo iniurioso quinque sol. sine remissione. Que verba sunt hec videlicet, tu mentiris, vel conturbida (1), falsus, vel latro seu periurius, aut sodomita, vel hec similia verba aut indecentia. Additum est huic capitulo MCCLXXXIIJ. et sine tenore.

De redditibus comunis nuxii recuperandis etc.

444. Item teneantur consules predicti atque conscilium modis omnibus recuperare omnes redditus nuxii. Et si non fecerint sindicentur dicti consules in decem libr. placent. sine tenore.

Quod quinque consules elligantur.

445. Item statuerunt quod quatuor consules elligantur eo modo et forma qua elligi consueverunt et qui consules teneantur observare omnia statuta et ordinamenta in eorum sacramento contenta precise et sine tenore, omni exceptione remota. Et qui consules cessent et cessare debeant per unum annum. Et ellectores dictorum consulum omnes sint in simul, et duo partes sint in concordia ad ellectionem cuiuslibet consulis. Additum est MCCLXXV. de mense octubris quod quinque consules eligantur ad mercadandiam.

Quod aliquis non faciat claudendam etc.

446. Item quod quilibet tam merzarius quam aliquis nuxii qui habet vel habebit tabulam vel stacionem per burgum rectum a domo Castelli

---

(1) *Conturbida.* Voce che manca ai Glossarii. Du-Cange ha *conturbium* sinonimo di *discordia, tumulto,* ed allora *conturbida* sarebbe *brigante, sedizioso.*

villani usque ad Ecclesiam Sancti Ylarii, et ab Ecclesia S. Stephani usque ad Ecclesiam S. Pauli, non debeat ponere aliquam claudendam muri parietis seu store (1) inter se et convicinum suum nisi tantum per medium brachium a tabulla supra. Et qui contrafecerit condempnetur in quinque solidos pro qualibet vice et sine tenore.

Quod liceat mercatoribus et campsoribus vendere ceram etc.

447. Item statuerunt quod quilibet mercator sive campsor possit et debeat vendere piper et ceram sicut antiquitus consueti sunt.

Quod consules compellat currerium etc.

448. Item quod consules compellant quemlibet currerium ad cridandum et omnia alia faciendum, que ipsis curreriis imponetur per eos, et hoc sine tenore.

Quod currerii non habeant aliquod aliud officium.

449. Item quod aliquis currerius non possit habere aliquod aliud officium nisi illud curarie, quod si habuerit consules teneantur eum cassare.

Quod non projiciatur aliquid ad bucam rivi etc.

450. Item quod nullus debeat prohicere, neque prohici facere aliquod ruder vel ledamen ad bucam rivi abeveratoris S. Brigide. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice duodecim denarios. Et cridetur singulis kalendis per burgum et sine tenore.

Quod non ematur liber neque paperius scriptus.

451. Item quod nullus homo civitatis plac. nec aliquis foresterius

---

(1) *Store.* È *stuoja* noto tessuto d' erbe palustri dei generi *Scirpus, Carex* ecc.

debeat emere aliquem librum nec aliquum paperium (1) scriptum ab aliquo, nec ipsum portare nec portari facere extra placenciam vel districtum. Et qui contrafecerit solvat pro banno decem sol. qualibet vice, cuius medietas sit comunis nuxii et alia acusatoris. Et consules teneantur istud cridari facere et sine tenore singulis kalendis (2).

Quod non ligetur aliqua bestia ad puteum.

452. Item quod nullus homo debeat ligare ad pozale (3) putei platee burgi aliquam bestiam, nec ibi apozare aliqua ligna, nec ponere super illud pozale aliquas trabes, nec aliquid aliud, neque se asetare super illud pozale. Bannum est duorum denar. qualibet vice.

De redditibus nuxii recuperandis.

453. Item quod consules nuxii futuri teneantur et debeant recuperare omnes redditus comunis nuxii, scilicet domos, staciones, staderias, et alia infra unum mensem ab introytu, et sine tenore.

Quod consules non possint impegnare redditus.

454. Item quod consules non possint impegnare vel vendere introytus comunis nuxii, scilicet domos, staciones, staderias, libras marencas, banca furnariorum, nec inde facere vel petere aliquod conscilium nec concionem. Et si contrafecerint solvant pro banno qualibet vice vigintiquinque libr. plac. et sine tenore.

---

(1) *Paperius*, è corruzione di *papirus*, e manca ai Glossarii.

(2) Legge importante che se fosse stata viva in ogni tempo avrebbe impedito jatture irreparabili. Anche i Genovesi l' aveano. In un Volume ms. di Bandi che sta nella Biblioteca Piacentina trovasi per primo quello *De Scripturis non vendendis. 1537 die 7. Novembris. Havendo notitia l' illm.° Sig. Duce che alcuna volta sono state vendute scritture a formaggiari, e sapendo nientedimanco esserne state vendute di quelle che importavano, et volendo levare in ogni modo questa corruttella, comanda ad ognuno che non osi ne presuma vendere ne far vendere, accattar o far accattare scritture libri o paperi scritti che prima non le facci rivedere dalli doi Rettori del Venerando Collegio De' Notari, et habbi da loro licenza sotto pena di libre cinquanta o ogni grave pena all' arbitrio* ecc.

(3) *Pozale.* Forse quel manufatto che sta intorno a' pozzi isolati, e sostiene le carrucole ecc.

Quod qui fecerit mercadandiam teneatur solvere extimum.

455. Item quod quilibet homo civitatis plac. et districtus qui fecerit mercadandiam in plac. vel districtu, vel alibi, in Lombardia, vel extra Lombardiam debeat solvere extima et alia sibi imposita pro comuni nuxii. Et istud non intelligatur super illis qui laborant cum eorum manibus.

De reva solvenda per foresterios.

456. Item quod omnes foresterii qui venerint plac. debeant solvere hosteriis suis tam de bestiis quam de aliis mercadandiis pro reva duos denar.

De eodem.

457. Item quod si aliquis carus caregatus de roba albergatus fuerit in domo alicuius hospitis, quod ille cujus fuerit illus carus solvere debeat pro reva hospiti suo quatuor denarios.

De eodem.

458. Item quod quilibet homo qui tenuerit aliquam somam robe in aliquo hospicio usque ad unum mensem solvat hospiti suo pro reva duos denar., et sic postea pro quolibet mense quo eam tenuerit debeat solvere illud idem si dictam robam non venderet in civitate plac.

Quod nulla femina personaliter detineatur nisi etc.

459. Item statuerunt quod nulla femina personaliter detineatur. Additum est huic capitulo MCCLXXVIIIJ. indict. VIIJ., quod si mulier obligata fuerit alicui pro aliquo debito sub iurisdictione nuxii, quod bene detineatur, et aliter non et sine tenore.

De honore mercadandie.

460. Item statuerunt quod si aliquis iudex aut laycus dixerit contra honorem mercadandie, quod ille qui dixerit hoc non possit habere officium

nec beneficium nec conscilium, nec sentenciam proferre pro mercadandia. Et hoc credatur duobus consulibus mercadandie.

Quod qui facit paliolos (1) *etc.*

461. Item statuerunt et emendaverunt quod quilibet qui facit paliolos possit tingere et tingi facere de erba scodani.

Quod liceat dare ad laborandum foresterio.

462. Item statuerunt quod liceat cuilibet magistro merzarie, et cujuslibet alterius paratici nuxii civitat. plac. dare ad laborandum cuilibet foresterio sine aliquo premio et intraticha solvenda statuto aliquo non obstante. Et hoc non intelligatur super discipulis civitatis plac. et episcopatus, super quibus locum habeat introytus ut in statuto merzariorum etc.

Quod nullus mutuat pecuniam supra libram bambaxii.

463. Item statuerunt quod aliquis non debeat mutuare aliquam pecunie quantitatem super aliqua libra bambaxii filati vel diffilati. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice pro qualibet libra bambaxii duodecim denar. Item quod ille cuius fuerit illud bambaxium possit eum recuperare sine dacione alicuius denar. Et consules teneantur hoc cridari facere.

Quod consules non faciant officiales nisi etc.

464. Item statutum est quod consules mercadandie non possint facere aliquos officiales neque pedagerios nisi ad sortem in conscilio generali, et quod quilibet faciat officium per se tantum, et hoc non intelligatur in notario. Additum est quod pedagerius cesset per unum annum. MCCLXXVII. indict. VI. de mense octubris.

---

(1) *Paliolos.* Du-Cange ha *Paliolum,* ed afferma che *Pallium* e *Paliolum* si usavano talora ad indicare il drappo stesso con cui facevansi i *Pallii* o *Mantelli.*

Non possit esse officialis qui non facit mercadandiam.

465. Item quod nullus possit esse officialis nec habere aliquod officium pro mercadandia, qui non sit de iurisdictione mercadandie, et qui non faciat cotidie mercadandiam. Et istud non intelligatur in illo qui fuerit notarius mercadandie. Et hoc sine tenore. Additum est MCCLXXVIIIJ. de mense octubris quod aliquis de iurisdictione nuxii non debeat aliquem elligere in consulem, nec in aliquod aliud officium mercadandie. Et qui contrafecerit solvat pro banno decem libr. plac. et lectio ipsius sit cassa, et sine tenore.

De eo qui fecerit liquidum seu sepum.

466. Item statutum est quod nullus formagiarius nec aliquis alius debeat facere liquidum neque sepum de carro (1) in domibus et stacionibus que sunt apud palacium nuxii, et in domibus et stacionibus usque ad hospicium quod tenebat Laurentius de Bensenzono in banno quinque sol. pro qualibet vice.

Quod qui emerit mercadandiam in saco etc.

467. Item statuerunt quod quilibet qui emerit aliquem sachum piperis et alterius rei in sacho vel barili, quod ille sachus seu barilis sit et esse debeat illius qui ipsam robam emerit.

Quod consules defendant paraticos.

468. Item statuerunt quod si capitaneus voluerit facere aliquam novitatem alicui paratico qui sit de iurisdictione nuxii, et voluerit de suo statu diminuere, quod consules mercadandie pro eorum posse teneantur ipsum paraticum deffendere et manutenere. Et consules mercadandie teneantur emendare istud capitulum capitanei et in statutis comunis plac. pro eorum posse.

---

(1) Nel 1200 non volevano i nostri padri sentir l' odore dell' unto che si cuoceva per i carri. Candele di sevo non ancora si facevano. Oggi si fanno in gran dato, e nel centro della Città. Progresso.

Quod consules defendant paraticos a raspis (1).

469. Item statuerunt quod consules nuxii teneantur adjuvare quodlibet paraticum a raspis comunis, et a quolibet alio officiali comunis expensis nuxii.

Quod qui tenuerit falsum pensum etc.

470. Item statuerunt quod si quis de iurisdictione mercadandie repertus fuerit tenere aut habere falsum pensum seu falsam mensuram, et dare alicui, consules teneantur illum condempnare ad eorum arbitrium et voluntatem. Et consules precise hoc circari faciant et sine tenore.

Quod non faciant rationem mutuatori ludis azardi.

471. Item statuerunt quod Consules et rectores mercadandie non debeant tenere nec reddere ractionem alicui persone que sit famosa seu famossus mutuator ludi azardi sive bisclacie (2), et notarius mercadandie non possit scribere aliquem terminum debiti confessi ad postulacionem alicuius creditoris famosi mutuatoris ad dictum ludum. Et consules non debeant ire ad pignorandum aliquem ad eorum postulacionem, et sine tenore.

Qui possit vendere ferramenta foresteria.

472. Item quod quilibet est de paratico et societate nuxii, sive mercadandie, et iurisdictione ipsius tam civitatis quam districtus, possit libere vendere ad grossum et ad minutum sine impedimento aliquo ferrum laboratum foresterium, videlicet ferra et clavos equorum, clavos zocularum, et alios clavos foresterios, et omnia ferra foresteria laborata, et

---

(1) *Raspis.* Du-Cange ha *Raspum* specie di tributo detto così da *rapere.* Qui però avrebbe altro significato, e dovrebbe intendersi per qualche ufficiale del Comune. Così chiama la lezione *a raspis comunis, et a quolibet alio officiali* ecc.

(2) *Bisclacie.* Così leggesi chiaramente nel ms. Trovasi anche scritto *Biscatia,* e *Bischazia.* Secondo Muratori il giuoco della *Biscazza* trarrebbe origine dal tedesco *Bescheissen* che significa *ingannare, frodare.* Antiq. Med. Aevi Tom. 2. pag. 1158. edit. Mediolanensis.

alias res que pertinent ad mercadandiam foresteriam cuiusque condicionis seu qualitatis sint.

Quod consules non bibant in tabernis.

473. Item quod nullus consul nuxii audeat ire in aliqua taberna civitatis plac. ad bibendum nec occasione bibendi cum aliquo in pena et banno quinque sol. pro qualibet vice et sine tenore.

Quod currerii ad festum nativitatis habeant quinque sol.

474. Item quod consules teneantur dare omni anno semper quolibet festo nativitatis Domini cuilibet currerio mercadandie ultra feodum quinque sol. plac. et sine tenore.

Quod fabri teneantur facere laborerium argenti etc.

475. Item quod nullus faber audeat facere nec fieri facere aliquod opus argenti nisi de tali argento secundum quod est moneta grossa plac. et qui contrafecerit solvat pro banno pro qualibet centura que inventa fuerit esse peioris argenti de isto argento dicte monete grosse, decem sol. plac. Et pro quolibet anulo et qualibet pigiatura duodecim denarios et nichilominus teneatur restituere in bono argento ut dictum est. Si aliquod aliud laborerium fecerit dictus faber quod ascendat ultra quantitatem decem solid. plac. quod teneatur eodem modo solvere pro banno decem sol. plac.

Quod safirus non ponatur etc.

476. Item quod nullus faber possit ponere aliquem lapidem safilii in aliquo anullo argenti vel ottoni, et qui contrafecerit solvat pro banno pro quolibet vice quinque sol. plac.

De laboreriis auri.

477. Item quod nullus faber possit facere aliquod laborerium auri

quod sit ad minus quatuordecim caratorum, et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vicem decem sol. plac. si laborerium ascenderit a viginti sol. supra, et a viginti sol. infra quinque sol. plac.

Item de fabricis (1).

478. Item quod omnes fabrici teneantur facere cuilibet postulanti laborerium auri de tarino (2), vel de meliori dictum laborerium facere de dicto auro. Et qui contrafecerit puniatur in pena suprascripta.

De eodem negocio.

479. Item quod quelibet persona que vendiderit de predictis laboreriis compellatur ad vendendum isto modo, et sub eisdem penis et bannis ut isti fabrici tenentur et debent.

De eodem.

480. Item quod omnes fabrici et omnes homines de dicto officio qui habent ad presens aliquod de istis laboreriis quod esset peius de dicto auro vel argento ut supra dictum est, teneantur de istis laboreriis se penitus expedire usque ad Carnelevarium proxime venturum.

De eodem.

481. Item quilibet faber teneatur habere duas tuchas (3) similes ad videndum et cognoscendum dictum aurum et argentum, unam quarum teneantur dare consulibus nuxii siue mercadandie, et hoc usque ad carnelevarium (4) proxime venturum in pena et banno viginti sol. plac.

---

(1) *Fabricus* per *Faber* sta qui più volte chiaramente scritto, e manca ai Glossarii.

(2) Il *tarinus* o *tarenus* era moneta Sicula ed Affricana di oro puro, e dicevano *aurum de tarino*, come fra noi dicesi *oro di zecchino*, alludendo ai Veneti.

(3) *Tucha.* Voce che manca ai Lessici. Dal contesto è chiaro indicarsi qui la *pietra di paragone* che serve ad assaggiar l' oro e l' argento. In Francia *Pierre de touche.*

(4) Du-Cange ha *Carnelevamen*, ma non *Carnelevarius.* In ogni modo è chiaro che la genesi della voce ital. *Carnevale*, non è quella che dassi comunemente.

Quod eonsules circantur fabricos.

482. Statuerunt et ordinaverunt quod consules nuxii sive mercadandie debeant ire singulis duobus mensibus ad circandum omnes fabricos. Et si invenerint aliquem facientem contra predicta statuta, debeant eum punire prout in capitulis mercadandie proxime superius scriptis continetur, sine tenore. Additum est MCCLXXXXVIIJ de mense octubris. Si eis denunciatum fuerit, et aliter non teneantur ire.

Item de fabricis.

483. Item quod si aliquis postulaverit aliquod laborerium melius predicte lighe argenti ut supra, determinatum est quod quilibet faber teneatur illud facere. Et si quis contrafecerit puniatur penis antedictis, et nichilominus teneatur dictum laborerium facere ad infrascriptam ligam.

De eodem.

484. Item quod nullus faber nullaque persona ipsius officii audeat ponere aliquid in aliquo castello annuli argenti vel auri, nec in aliquo alio laborerio simili, preter bambaxium, et peciam lini, aut palperium vel cretam, et hoc sine tenore.

De penis tollendis fabricis.

485. Item quod consules nuxii insuperscripta banna omnia teneantur auferre a quolibet fabrico contrafaciente prout superius continetur. Et hoc sine tenore.

Quod consules non descendant de palacio etc.

486. Item quod consules nuxii non descendant da palacio occasione tenendi ractionem in aliqua parte nec audiendi posiciones alicuius litis coram aliquo iudice, nec aliqua alia occasione. Et sine tenore.

Quod aliqua femina non ducatur in palacio causa adulterandi.

487. Item quod nullus audeat nec presumat conducere aliquam feminam in palacio nuxii nec in aliqua parte dicti palacii occasione alicuius adulterii, in pena et banno decem libr. plac. Et quod dicta mulier debeat verbarari (*sic*) a domibus scotorum usque ad domum que fuit quondam arcelli tabernarii. Et sine tenore.

Quod mercator teneatur solvere debitum etc.

488. Item quod si aliquis de iurisdictione nuxii et mercadandie dare debuerit alicui de dicta iurisdicione aliquid cum carta vel sine carta occasione negociacionis vel cambii, vel alia quacumque occasione, quod ipse debitor teneatur solvere et satisfacere creditori suo in pecunia numerata, et possit et debeat precise compelli ad solvendum et personaliter detinendum. Et si uxor ipsius debitoris habuerit solucionem de dote sua, antiffacto, et sponsalicio in bonis viri sui debitoris alicuius de iurisdicione nuxii, Consules nuxii, possint et debeant compellere uxorem ipsius debitoris dare et restituere totum id quod habuit in solutum creditori viri sui mortui vel vivi, si creditor voluerit solvere et paratus fuerit solvere cum effectu illam quantitatem seu summam pro qua ipsa uxor habuerit solucionem. Et hec fiant ex solo officio nuxii et mercadandie summarie. Et sine libello et strepitu iudiciorum. Et hoc capitulum sit precisum et sine tenore, et intelligatur tam de preterito tempore et presenti quam de futuro.

Quod notarius mercadandie etc.

489. Item quod notarius mercadandie possit et debeat accipere unum denarium pro circatura et canzellatura cuiuslibet termini, et specialiter ab illis qui non sunt de iurisdicione nuxii.

Quod unus de tintoribus etc.

490. Item quod unus de tinctoribus civitatis plac. tantum possit et debeat esse de conscilio mercadandie. Et ad emendandum breve sive

capitulum ipsius, et qui fuerit in uno anno emendator non possit esse in alio, et similiter intelligatur de carzatoribus, batitoribus bambaxii, batitoribus lane, et testoribus fustaneorum.

Quod currerii teneantur facere ambaxatas etc.

491. Item quod curerii nuxii teneantur facere ambaxatas eis imposi-tas per consules per camararium aut syndicos. Et requirere illos qui dare debent et debebunt comuni nuxii pro extimis bannis, pedagiis vel aliquibus aliis causis sine aliquo denario habendo. Set cum ille qui dare deberet solverit, tunc possint habere illam soluctionem que convenien s fuerit.

De eo quod currerii habere debent pro venditura pignorum.

492. Item quod curerii mercadandie habeant pro venditura cuiuslibet pignoris usque in quinque sol. Et a quinque sol. infra, duos denarios. Et a quinque sol. superius, usque in decem solidos, tres danarios. Et a decem solidis superius usque in viginti sol., quatuor denar. Et postea a viginti solidis superius ad ractionem quatuor denariorum pro libra. Et si plura pignora vendiderint de uno seu pro uno debito, habeant pro quolibet tantum unum denarium.

Quod currerii qui fuerint cum consulibus ad domum alicuius etc.

493. Item quod quando consules nuxii vadunt ad domum alicuius causa pignorandi, currerii nuxii qui ibidem fuerint presentes habeant solucionem, et alii qui ibidem non fuerint nullam possint habere.

De sex mercatoribus eligendis ad aprobandum consilium.

494. Item quod consules nuxii debeant infra quindecim dies postquam intraverint consulatum eligere usque in sex mercatores bonos et legales, qui debeant videre examinare et approbare conscilium comunis nuxii, et si aliquis esset in ipso conscilio qui non esset de iurisdicione nuxii, et qui personaliter non utitur mercadandia, illum vel illos de dicto

conscilio auferre, et canzellari facere, et loco ipsorum alios ponere qui sint mercatores et qui personaliter utuntur mercadandia. Additum est MCCLXXXJV. de mense octubris quod si dicti consules predicta non observabunt, quod perdant feoda eorum, que feoda teneantur consules accipere. Et hoc totum sine tenore.

Quod selarii possint etc.

495. Item quod quilibet selarius possit ponere burram supra cengiam et strevam in qualibet sella die feriato et non feriato ex necessitate si foresterius vel aliquis civitatis plac. equitare voluerit, non obstante statuto posito in statutis merzariorum. quod aliquis merzarius non possit nec debeat laborare etc.

Quod albergator non ponat ante domum suam aliquod signum etc.

496. Item quod aliquis albergator non habeat ante hospicium suum aliquod signum consimile ad signum alterius albergatoris. Et si habuerit, consules nuxii teneantur removeri facere.

De non vendendis peciis fustaneorum etc.

497. Item quod nullus massarius neque massaria civitatis plac. neque districtus debeat nec possit vendere alicui aliquam peciam fustanei que sit lunga minus vigintiquinque brachiis et dimidio. Et si quis vendiderit et emerit, solvat pro banno pro qualibet vice tam venditor quam emptor decem sol. plac. et sine tenore.

Quod nullus massarius det aliquas pecias imblanchitori etc.

498. Item quod nullus massarius neque massaria debeat dare imblanchitori pecias fustanei ad imblanchiendum que sint minus vigintiquinque brachiis et dimidio longa. Et si minus fuerit quod dictus imblanchitor non debeat super eam ponere suam bullam. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice decem sol. et sine tenore.

Quod iurent qui emunt pecias fustanei etc.

499. Item quod consules nuxii teneantur facere iurare omnes ementes pecias fustaney causa vendendi, quod nullam peciam ement quam invenerint esse minus longa vigintiquinque brachiis et dimidio sgreciam, et blancham vigintiquinque brachiis, in pena quinque sol. plac. infra unum mensem postquam intraverint in eorum consulatu.

Quod stacionarii iurent infrascripto modo.

500. Item quod Consules stazonariorum teneantur iurari facere omnes personas paratici ipsorum quod non ement aliquam peciam fustaney que non sit lunga vigintiquinque brachiis et dimidio sgrecia, et blanca vigintiquinque brachiis. Et si quis aliquam peciam minus longam invenerit, quod eam consignabit in forcia et virtute consulum nuxii. Et consules nuxii teneantur dictam peciam scavizare in tribus bochonis, et istud sacramentum teneantur consules nuxii fieri facere istis consulibus stazonariorum, et sine tenore. Et qui contrafecerit solvat pro banno quinque sol. plac. pro qualibet vice, et sine tenore.

Quod palioli sint longi x. *brachia.*

501. Item quod palioli debeant esse lunghi decem brachia, et quod nullus emat aliquem paliolum neque vendat qui non sit longus decem brachia. Et si quis contrafecerit solvat pro banno quinque sol. plac. et dictus paliolus scavizetur per medium et sine tenore.

Quod custodes borearum predicta circhent.

502. Item quod custodes borearum hec omnia insuperscripta singulis ebdomadis teneantur pro duobus vicibus circare et inquirere, et si invenerint aliquem contrafacientem teneantur consulibus nuxii quam cicius poterint denunciare in pena et banno quinque sol. plac. qualibet vice, cuius banni medietas sit comunis nuxii.

Quod imblanchitores bullent pecias etc.

503. Item quod imblanchitores teneantur omnes pecias quas receperint ad imblanchiendum bollare ab utroque capite. Et quilibet imblanchitor habeat suam bullam, et non sit similis de bulla alterius imblanchitoris. Et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice quinque sol. plac. et sine tenore. Et quilibet sit acusator, et habeat medietatem banni.

Quod cridetur nullus faciat aliquam peciam etc.

504. Item quod consules nuxii teneantur cridari facere quod aliquis faciens pecias sgrecias fustaney non faciat aliquam longam minus vigintiquinque brachiis et medio, neque aliquem paliolum minus longum decem brachiis.

Quod cimatores etc.

505. Item quod nullus cimator drapporum debeat accipere pro cimatura brachii drappi francischi neque lombardi ultra unum denarium, et pro acotonatura (1) ultra duos denarios in pena duodecim denar. pro quolibet brachio et sine tenore.

Quod eligatur consul loco illius etc.

506. Item si quis Consul mercadandie durante suo consulatu exierit de civitate plac. causa eundi in mercadandia vel aliter pro suis negociis faciendis, et steterit per unum mensem vel plures, quod solvatur de feodo et salario suo tantum pro rata temporis quo stetit in consulatu. Et consules socii ejus teneantur alium facere eligere loco ejus ad sortes in conscilio generali mercadandie qui habeat salarium suum et feodum pro sua parte temporis quo steterit in consulatu. Et hec omnia sine tenore. Et istud locum non habeat si dictus consul iret extra plac. pro factis mercadandie, seu pro factis comunis placencie.

---

(1) *Acotonatura.* Voce d' ignoto significato.

Quod qui non fuit usus mercadandia per v. *annos etc.*

507. Statuerunt quod aliquis qui continue non fecerit mercadandiam per quinque annos proxime preteritos non possit habere aliquod officium pro mercadandia, nec esse consul ipsius mercadandie, neque de conscilio ejusdem. Et hoc sine tenore. Et quilibet de mercadandia teneatur per sacramentum accusare consulibus si aliquis electus fuerit contra ista capitula. Et acusator teneatur privatus. Additum est huic capitulo MCCLXXXIIJ. quod aliquis qui sit de aliquo paratico qui non sit supositus iurisdicioni nuxii non possit esse consul mercadandie. Et sine tenore.

Quod quilibet qui est de paratico formaiariorum etc.

508. Item statuerunt quod quilibet qui est de paratico formaiariorum, licet non sit de conscilio ipsius paratici, possit esse consul ipsius paratici si ellectus fuerit non obstante capitulo formaiariorum, quod loquitur quod nemo dicti paratici possit esse consul nisi fuerit de conscilio ipsius paratici.

De cureriis induendis.

509. Item quod consules mercadandie teneantur indui facere curerios omni anno ad festum sancte marie de augusto de drappo placente ipsis consulibus. Et istud facere teneantur si consules mercadandie cum hominibus mercadandie iverint ad dictum festum offerendum secundum quod fecerunt in festivitate sancte marie proxime preterite. Additum est MCCLXXXV. indict. XIIII. quod non possit aliquo anno imponi aliqua talia occasione dicte festivitatis, neque expensarum eiusdem occasionis factarum.

Quod quilibet teneatur consignare consulibus librum etc.

510. Item statuerunt quod si questio aliqua oriretur inter mercatores occasione alicuius societatis seu negocii, quod quilibet mercator debeat presentare consulibus nuxii libros seu librum in quo scripte essent ractiones sui introytus et exitus. Et si casu aliquo dicti libri essent

penes aliquem qui non esset de iurisdictione nuxii quod consules nuxii teneantur dare operam cum effectu quod dicti libri deveniant in potestatem placencie.

Quod campsores euntes ad mercata etc.

511. Item statuerunt quod omnes campsores euntes ad mercata (1) episcopatus plac. debeant inter eos occasione locorum eorum mitere sortes, et quilibet teneatur stare tacitus et contentus in eo loco qui per sortem sibi venerit. Et si quis contrafecerit teneantur consules ab eo auferre pro banno qualibet vice quinque sol. Et non teneantur mitere dictas sortes in aliquo ex dictis mercatis nisi fuerit hora medie tercie, sive ante horam medie tercie.

Quod consules compellant fabricos consignare signa.

512. Item statuerunt quod quilibet faber tam femina quam masculus teneatur habere unum suum signum speciale, quod signum non sit simile alterius signi alii fabrici, quod signum teneatur quilibet faber ponere in quolibet anullo auri vel argenti quem faceret, et in quolibet alio laborerio quod ascendat seu valeat a duodecim denariis supra. Et quod consules nuxii teneantur habere exemplum cuiuslibet signi, et nomen illius cujus fuerit. Et si quis predictorum fabricorum non poneret signum, teneantur consules nuxii aufferre pro banno pro quolibet laborerio quod valeret a viginti sol. infra, quinque solidos, et a viginti sol. supra, viginti solidos plac. Et hoc totum sine tenore.

Quod heredes mercatoris defunti etc.

513. Item si quis mercator debuerit aliquid alicui mercatori per mercadandiam et cambium, vel occasione mercadandie et cambii, et ille mercator moriretur antequam soluisset, quod consules mercadandie teneantur compellere heredes tanquam compellerent ipsum mercatorem si viveret. Et hoc locum habeat tam in preteritis debitis quam in futuris.

---

(1) Gran vita doveva avere il commercio di que' dì, se persino nei mercati delle borgate si recavano i cambia-monete.

Quod filii illius defunti qui recepisset terminum etc.

514. Item quod si aliqua persona terminum receperit a septem annis citra pro debito solvendo creditori suo, et decesserit relicto filio seu filiis qui utatur seu utantur mercadandia, quod filius seu filii dicte persone defonte non possit nec possint se nec ejus neque ipsorum bona ponere sub extimacione occasione dicti debiti (1), antequam dictus terminus esset receptus essent emancipati seu esset emancipatus a patre ejus vel eorum. Et quod dicti consules teneantur facere illi creditori dictam solucionem debiti. Et sine tenore.

Quod si quis fuerit de aliquo paratico, filii ejus sint de eodem.

515. Item quod si quis fuerit de aliquo paratico ex paraticis suppositis iurisdicioni nuxii, quod filius seu filii ejus teneantur esse de ipso paratico sine aliqua intraticha solvenda. Et hoc intelligatur si dictus pater solvisset intraticham, et non aliter.

De camino Janue preparando.

516. Item quod consules futuri precisse et sacramento teneantur infra unum mensem ab introytu sui regiminis facere et circare taliter quod caminum Civitatis Janue preparetur et aconzetur, ita quod quilibet de civitate plac. et districtu in personis et rebus publice et secure possit ire, et mittere et stare in civitate, et a civitate Janue in civitatem placencie, de hoc quolibet mense facere conscilium generale sono campane, voce preconia, in quo nichil aliud proponatur nisi de conzando camino predicto. Et hoc sine tenore.

De ractione redenda per camararium et sindicum.

517. Item quod camararius mercadandie et sindicus teneantur reddere ractionem de omnibus hiis et singulis que fuerint penes se de rebus

(1) Prima dell' *antequam* sembra mancare un *si* od altra consimile particella.

mercadandie integraliter camarario novo infra duos menses ab exitu officii ipsorum. Et dare integre tam denarios quam debitores et omnes alias res. Alioquin sindicentur per sindicatores secundum formam statutorum nuxii. Et istud intelligatur tam in camarario et sindico anni hujus quam in futuro. Et sine tenore.

Quod consules et camararius paraticorum etc.

518. Item quod omnes consules et camararius paraticorum nuxii teneantur dare camarario mercadandie ractionem de hiis omnibus que receperint tempore sui consulatus, et sue camare; de intraticis et bannis infra quindecim dies a disposicione officii sui. Alioquin sindicetur in duplum, et sine tenore.

Quod pensatores staderiarum etc.

519. Item quod pensatores staderie nuxii non possint habere invicem societatem pro officio dicto staderie, nec pro lucro ipsius staderie. Et si quis contrafecerit, quod removeatur ab illo officio, et consules teneantur ab eis auferre sexaginta sol. plac. pro banno. Et quod consules mercatorum teneantur facere iurare ipsos pensatores quod ipsi non habebunt invicem societatem super dicto officio. Et hoc sine tenore.

Non possit esse consul qui non fuerit mercator.

520. Item quod nullus possit esse consul mercadandie nisi fuerit publicus mercator, et nisi continue et publice fecerit illam artem seu misterium de quo dixerit se esse. Vel nisi fuerit de societatibus mercadandie que utuntur ultra montes, vel in Janua, vel in Provincia. Et si quis ellectus fuerit, ellectio sit cassa, et nulius valoris. Et quilibet qui fuerit ad ellectionem predictam condempnetur in sexaginta sol. plac. quod bannum consules predictis ellectoribus incontinenti teneantur auferre. Et hoc sine tenore.

De camararario mercadandie elligendo.

521. Item quod camararius mercadandie elligatur in conscilio generali quando alia officia elliguntur ad brevia.

De banno auferendo qui extra tecta aliquid tenuerit etc.

522. Item quod non sit aliqua persona que possit tenere aliquid extra tecta domorum in platea burghi pro quibus vitetur iter culibet rei sub banno quinque sol. Additum est MCCLXXXJV. de mense octubris quod ibi ubi dicit quinque sol. dicat duodecim denarios.

Non sit de consilio nuxii qui fuit condempnatus de furto.

523. Item quod aliquis qui sit condempnatus de furto, non possit esse aliquo modo de conscilio nuxii, nec habere aliquod officium nuxii. Et si esset de conscilio, quod eximatur de libro conscilii.

Quod qui venerit ad batendum bambaxium etc.

524. Item quod si aliquis batitor venerit ad batendum bambaxium ad mercedes, quod consules batitorum possint eum vel eos constringere ad suum sacramentum venire.

Quod questiones finiantur usque ad quatuor menses.

525. Item statuerunt quod consules teneantur finire et finire facere omnem litem et questionem vertentem coram eis inter aliquos homines infra quatuor menses postquam incepta fuerit. Et quod dicti consules teneantur dicere et denunciare ipsis partibus volentibus litigare, quod ipsi non possunt ractionem facere de dicta questione postquam fuerint completi quatuor menses. Et quod quando venerint in capite quatuor mensium quod accipient sapientes supra diffinitivam dicte questionis. Et si consules predicta non denunciarent, et ipsam questionem prolungaverint, quod sint ipso iure condempnati in sexaginta sol. plac. et sine tenore. Additum est MCCLXXXIIII, quod si partes que simul causaverint

nichil probaverint de questione quam simul habebant, quod ipsa causa ipso iure sit finita, et Consules qui tum essent pro dicta questione sint a dicto capitulo absoluti.

Quod apellaciones non recipiantur per consules.

526. Item quod dicti consules non possint recipere aliquam apellactionem alicuius sentencie diffinitive lacte inter aliquas partes per consules nuxii litigantes occasione mercadandie seu alicuius questionis pertinentis ad mercadandiam in pena et banno decem libr. plac. et sine tenore.

De securitate danda per imblanchitores.

527. Item teneatur quilibet imblanchitor omni anno infra unum mensem postquam intraverint in eorum consulatu, dare consulibus mercadandie securitatem centum libr. plac.

De sindico faciendo.

528. Item teneantur consules infra unum mensem ab eorum introytu facere fieri conscilium more solito, et in ipso fieri facere unum sindicum qui promittat omnibus et singulis hominibus qui obligati sunt societatibus, de conservare indempnes de eo quod ipse societates sive homines ipsarum societatum obligati sunt comuni Janue pro facto laudum et replesariarum, de conservare ipsos et quenlibet ipsorum de toto eo quod ipsi et quilibet ipsorum promiserunt eis in pena et banno decem libr. Et sine tenore.

Capitula curerii nuxii.

529. Item statuerunt quod quilibet currerius nuxii qui iverit extra plac. ad faciendum aliquam ambaxatam, habeat pro quolibet miliario duos denarios. Et si iverit ad pignorandum habeat similiter pro quolibet miliario duos denarios, et ultra eos duos denarios. Et si iverit causa capiendi aliquem et ipsum capiet, habeat pro quolibet miliario duos denarios, et ultra eos duodecim denarios. Et si non ceperit hominem

quod habeat tantum pro quolibet miliario duos den. Et si quis currerius recusaret predicta facere, seu nollet ire pro precio predicto, quod casetur ab officio curarie. Et sine tenore.

De eodem.

530. Item quod aliquis curerius nuxii de ambaxata quam fecerit in civitate plac. vel sub urbiis (*sic*) non possit habere ultra unum denarium.

De eodem.

531. Item quod currerius nuxii si ceperit aliquem in platea Burghi vel circa ipsam plateam, seu in palacio, habeat tantum sex den. Si vero ceperit per civitatem alibi, habeat duodecim den.

De eodem.

532. Item quod curerius nuxii quando custodierit aliquem in palacio nuxii ad postulacionem alicuius, quod habeat quolibet die pro custodia sex den. Si vero minus diei habeat ad voluntatem consulum qui tunc fuerint ad banchum. Si vero custodierit ipsum in die et nocte, tunc habeat ab eo pro nocte et die decem denarios.

De eodem.

533. Item quod quilibet curerius nuxii habeat de qualibet sentencia que dabitur in palacio per consules unum denarium, et soluctionem ambaxatarum suarum.

De eodem.

534. Item quod quilibet curerius nuxii teneatur venire et stare ad palacium nuxii horis determinatis scilicet bis in die nisi iusto impedimento remanserit. Et si non venerit Consules teneantur sibi aufferre pro banno qualibet vice quatuor den. Et sine tenore.

De eodem.

535. Item teneantur currerii nuxii ordinare inter se quod unus ipsorum quolibet die ire debeat ad petendum et ducendum ad palacium consules qui stare debebunt ad banchum sive ad palacium.

De eodem.

536. Item quod ille currerius nuxii qui debuerit ire ad ducendum insuperscriptos consules ad palacium, si non adempleverit predicta condempnetur qualibet vice in quatuor denarios quos consules aufferre teneantur. Et sine tenore.

Quod ultra tres menses pignora etc.

537. Item si quis creditor suum debitorem fecerit pignorari, et pignora recomendata fuerint per consules nuxii seu per currerium nuxii alicui, quod ille cui dicta pignora recomandata fuerint non teneatur respondere de ipsis pignoribus illi ad cuius postulacionem recomandata fuerint, nec heredi eius, nec alteri pro eo ultra tres menses a die recomendacionis.

Quod si quis receperit primum et secundum bannum etc.

538. Item si quis mercator aliquem de iurisdicione mercadandie citari fecerit, et non venerit, et ea de causa sibi fecerit dari primum bannum quinque sol. et postea secundum decem sol., et non venerit, transactis terminis banni et deffensionis decem dierum sibi assignandis, quod tunc habeat debitum pro confesso et procedatur contra ipsum bannitum secundum formam statutorum comunis plac. Et hec locum habeant si ambo sunt mercatores.

Quod formagiarii de burgo possint tenere serandas.

539. Item quod formagiarii de burgo possint tenere serandas inter se exceptis parietibus et storis, ita quod per ipsas serandas possit videri ab uno ad alium.

Quod quilibet de iurisdic. nuxii possit venire ad causandum.

540. Item quod quilibet de iurisdicione nuxii, ita quod non sit de alio paratico, possit venire ad palacium ad causandum et petendum pro qualibet persona.

Cogantur domini qui habent denarios staderiarum etc.

541. Item quod cogantur domini qui habent denarios staderiarum per Consules nuxii dicere et manifestare quid et quantum actenus de dictis staderiis receperunt, quod totum compensetur in sorte sive eo quod habituri sunt propter quod habent ius dictarum staderiarum, et de introitu mercadandie sibi assignatis. Additum est MCCLXXXV. quod dicti consules teneantur cogere predictos dominos infra duos menses postquam intraverint consulatum. Et sine tenore.

De eodem.

542. Item quod currerii mercadandie sint quatuor, inter quos ad minus sit unus literatus, et habeant annuatim pro eorum feodis decem libr. plac. et alia eis concessa per statuta nuxii. Additum est MCCLXXXIIIJ. de mense octubris quod tres currerii tantum debeant esse, qui tres elligantur in conscilio generali quando alia officia eliguntur, videlicet quilibet ad tria brevia. Et eligantur ex illis quinque qui modo sunt currerii mercadandie, et sit unus ipsorum literatus. Et hoc sine tenore.

De eodem.

543. Et non possit aliquis ipsorum curreriorum ire in area, neque ad laborandum terras. Si iverit aliquis ipsorum quod sit cassus ab ipso officio, et habeant (1) feodum consuetum.

---

(1) *Habeant.* Erroneamente per *habeat.* Se pure non debba dirsi tutta la voce erronea, e non dovesse leggersi *amittat* od altro simile.

Quod banche piscium etc.

544. Item quod in capitulo ubi dicitur quod nullus debeat tenere plateam burghi impeditam extra porticus, addatur quod non intelligatur in banchis piscium que extrauntur et ponuntur in domo omni die.

Quod currerii non possint ire extra districtum etc.

545. Item quod currerii nuxii non possint exire de civitate plac. neque districtu nisi pro factis mercadandie. Et quod consules non possint ipsis dare licentiam exeundi nisi pro factis mercadandie. Et hoc sine tenore. Excepto quod consules possint eis dare licenciam pro factis propriis ipsorum cureriorum.

Quod quilibet qui causaverit coram consulibus etc.

546. Item quod consules nuxii teneantur in qualibet causa iurari facere quenlibet qui causaverit sub eis. Et qui causam devinxerit quod diligenter manifestabit expensas per eum factas in causa.

Quod non vendatur anulus auri etc.

547. Item quod nullus campsor civitatis plac. possit vendere aliquem anullum auri qui non sit de liga quatuordecim caratorum secundum quod laboratur per fabros plac. nec debeat aliquem anelum auri emere qui minus sit predicte lighe, quod si ement debeant frangere. Additum est MCCLXXXVIJ. de mense octubris quod ibi ubi dicit nullus campsor, dicat nec aliquis qui sit de iurisdicione mercadandie. Et teneantur facere preconizari cum aliis statutis.

Quod formagiarii possint ire in platea maiori etc.

548. Item quod formaiarii possint et debeant ire et stare ad vendendum ad retalium in diebus sabbati in platea maioris Ecclesie sicut ab hinc retro facere consueverant. Et ad hoc quod ceteri paratici comuni nuxii subditi possint et valeant omni tempore in eorum iuribus permanere. Et sine tenore.

Ne ligna venalia teneantur per burgum etc.

549. Item quod aliqua persona habitans in vicinia S. Brigide a turre gotetestorum usque ad domum lanfranci barberii et fratrum, non possit ligna venalia extra tabulas eorum (1) quin graviter impediunt gentes euntes et reddeuntes per illas partes. Set quicunque vult vendere ligna vendat subtus tabullas predictas. Quiconque contrafecerit solvat pro banno comuni nuxii qualibet vice duodecim denarios plac. Et sine tenore.

Quod socii teneantur in solidum etc.

550. Item quod si plures permanent in una stacione, et unus eorum mercatum fecerit de drappis, fustaneis, tellis et aliis rebus, quod quilibet ipsorum teneatur in totum ad aliud debitum persolvendum si fuerint socii in ipsa stacione. Et sine tenore.

Quod draperii plac. tempore ferie etc.

551. Item quod omnes drapperii civitatis et districtus plac. et alii foresterii tempore ferie debeant in bigna et tera (2) per ordinem stare in pena et banno sexaginta sol.

Quod non solvat intraticham qui etc.

552. Item quod quilibet qui voluerit adiscere batere lanam possit et debeat stare ad addiscendum usque ad unum annum proxime venturum absque intraticha aliqua solvenda.

Quod nullus linarolus etc.

553. Item quod aliquis de paratico linariorum non habeat nisi tantum unam revenditricem. Et si quis habuerit uxorem non debeat habere aliam revenditricem.

---

(1) Dopo l' *eorum* manca evidentemente il verbo *ponere* o *tenere*.

(2) *In bigna et tera*. Anche oggidì *tera* è usato in vernacolo a denotare una serie lineare di oggetti. Onde errò il Du-Cange nell' interpret. di questa voce. V. *Bigna* poi forse suona per *bina* ossia serie doppia, e sarebbe da intendere che i mercanti dovean collocarsi in due ranghi, ed in fila.

Quod pedagerii compellantur manifestare etc.

554. Item quod consules futuri teneantur mittere pro illis qui emerunt pedagia ab hinc retro scilicet pedagium mercadandie, et compellere eos quod dicant et confiteantur illos mercatores qui compensaverunt, et quantum compensaverunt in ipso pedagio. Et facere hoc reduci in scriptis ut sciantur compensatores. Et hoc sine tenore. Et deinceps ita et tali modo.

De banno auferendo illi qui non dederit iustam mensuram.

555. Item quod quilibet qui vendiderit pannum ad rectalium in civitate vel episcopatu plac. seu in feria plac. teneatur et debeat vendere ad iustam mensuram. Et si quis contrafecerit consules teneantur auffere ab eo qualibet vice decem libr. plac. et nichilominus restituere teneatur dampnum. Et quilibet sit acussator. De quo banno medietas sit acusatoris, et alia medietas sit consulum nuxii. Et consules teneantur hoc facere preconizari quolibet anno in burgo plac. et in platea maioris ecclesie. Et in feria plac. quando fiet, et sine tenore. Additum est MCCLXXXVIIJ. de mense octubris quod ibi ubi dicit decem libr. dicat tantum sexaginta sol.

Quod non exeant consules de civitate etc.

556. Item quod consules nuxii non teneantur exire de civitate seu suburbiis plac. pro aliqua solucione facienda in bonis alicuius vel aliquorum qui recepissent seu recepisset terminum sub mercadandia, neque causa capiendi ipsum vel ipsos. Set curerios nuxii teneantur mittere et cavalcatores si postulatum fuerit, et procedere aliter contra dictos debitores seu debitorem pro ut ius fuerit.

De solucione facienda illi etc.

557. Item quod si plures fuerint debitores qui terminum receperint sub mercadandia, et alter ipsorum solverit debitum, et datum habuerit contra reliquos, quod consules pro dicto dato racionem facere debeant illi qui illud datum habuit. Et qui solverit debitum, si fuerit de primis obligatis sicut faciunt et tenentur facere primo creditori. Et hoc capitulo aliquo nuxii non obstante.

Quod si aliquis stetit extra placenciam etc.

558. Item quod aliquis qui stetit a decem annis citra extra plac. occasione faciendi aliquam mercadandiam, non possit se excusare ad solvendum aliquam dacitam seu taleam impositam pro clerico vel alia qualicunque causa. Et si se excusaverit quod illi mercatores qui aliquid habuerint de suo in mercadandia seu in societate sua compellantur ad solvendam totam taleam seu dacitam impositam illi qui se excusaret.

Qui se excusaverit de taleis mercadandie etc.

559. Item quod si quis noluerit solvere taleas eis impositas pro mercadandia, non possit habere ractionem sub examine consulum nuxii, nisi prius solverit dictas taleas vel dacitas. Et sine tenore.

De conventionibus Janue.

560. Item quod consules nuxii venturi teneantur et sine tenore infra tercium diem postquam intraverint in consulatu, mittere pro illis duodecim qui supererunt capitulis factis et ordinatis super pedagio Janue tempore quo conventiones Janue facte fuerunt, et dicere inter eos quod placet eis fieri de facto pedagii Janue vendendo vel non. Et secundum quod eis duodecim sapientibus vel maiori parti ipsorum placuerit ita fiat de dicto pedagio. Et si isti duodecim non fuerint placencie, illi qui ibidem fuerint adimpleant predicta. Et ubi maior pars ipsorum qui ibidem fuerint se concordaverint, de predictis ita procedatur.

Non teneantur consules expellere rubaldos.

561. Item quod consules nuxii non teneantur expellere Rubaldos de platea burgi, nisi eis placuerit, et omnia capitula edita super hoc sint cassa. Tamen opperantur pro posso Consules penes dominos potestatem et capitaneum quod ipsi Rubaldi de dicta platea expellantur, scilicet lusores.

De guado.

562. Item quod de quolibet centenario Guadi quod venditur, detur una libra guadi pro benedictione emptori.

Quod qui vendunt fustaneos etc.

563. Item quod omnes qui vendunt fustaneos in diebus sabbati ad retalium debeant stare in platea maioris Ecclesie, vel in platea bonardorum, et debeant stare ad discum copertum. Et qui contrafecerit qualibet vice duos sol. plac. pro banno, quorum tercia pars sit acusatoris, tercia Consulum nuxii, et alia tercia comunis mercadandie. Et sine tenore.

Quod albergatores sint de iurisdicione nuxii etc.

564. Item quod omnes albergatores teneantur esse sub iurisdicione mercadandie seu nuxii. Et non debeant albergare aliquem Rubaldum qui sit civis placentinus. Et si quis contrafecerit, consules teneantur sibi acipere pro banno secundum modum et formam aliorum capitulorum nuxii editorum super premissis.

Quod illi qui habent redditus nuxii etc.

565. Item quod illi qui habent redditus et proventus mercadandie teneantur sine tenore reddere ractionem consulibus futuris infra unum mensem ab introytu regiminis sui de hiis omnibus que receperunt de signariis domorum, seu stacionum, de staderiis, de banchis, de libris marenchis et de omnibus aliis. Et consules teneantur eos compellere. Et predicta racio scribatur in uno quaterno specialiter ad hoc constituto ad hoc ut possit sciri de eo quod usque nunc receperunt.

Quod qui vendit oleum etc.

566. Item quod quilibet qui vendit oleum ad minutum teneatur habere unam libram marencham ex illis libris mercadandie. Et de ipsa libra marencha solvere duos solidos plac. pro ut consuetum est, qui duo sol. vadant in illos in quibus vadunt illi introytus nuxii.

Quod quilibet massarius possit batere bambaxium.

567. Item quod quilibet massarius peciarum fustanei possit impune batere in domo sua in quaconque hora diei aut noctis de suo bambaxio. additum est MCCLXXXVij. et bambaxium vetus cuiuslibet persone.

Quod discipulus batendi bambaxium etc.

568. Item quod quilibet discipulus seu qui addiscere voluerit batere bambaxium non possit compelli solvere aliquam dacitam vel collectam, seu aliquod scuvilium (1) facere, neque solvere aliquam intraticam quousque compleverit terminum sui discipulatus cum masario seu magistro suo, nec aliquod sacramentum facere in suo discipulatu sub consulibus batitorum bambaxii.

Quod laborator foresterius etc.

569. Item quod aliquis foresterius laborator qui velit laborare ad mercedes de aliqua arte que sit de iurisdictione mercadandie non possit compelli solvere intraticham usque ad tres annos.

De eo quod tenentur facere pensatores staderie.

570. Item quod ita et sicut pensatores staderie nuxii tenentur in libro eorum scribere quantitatem rey, quod ita teneantur in dicto libro illam summam canzellari, primo habito precio illius rey, ad hoc quod ipse cuius esset negocium ipso soluto non possit ad eam reverti scripturam post primam solucionem factam illius rey, quod esset contra deum et iusticiam.

Quod possint esset consules filii et fratres consulum.

571. Item quod si aliquis fuerit consul mercadandie, et habuerit

---

(1) *Scuvilium.* Cosi leggesi chiaramente nel ms. Ma la voce manca ai Glossarii.

fratrem vel filios, possint esse Consules. Et quod propterea non debeant recusari, non obsante aliquo statuto in contrarium loquente.

Quod batitor bambaxii etc.

572. Item quod quilibet batitor bambaxii possit batere usque in duodecim libris bambaxii absque peticione aliqua facienda a consulibus batitorum.

Procuretur per consules quod strata de guardamilio etc.

573. Item quod consules teneantur procurare et facere penes dominos potestatem et capitaneum quod stracta (1) de Guardamilio et fombio reddificetur et aptetur ita quod sit securum mercatoribus euntibus et reddeuntibus. Et quod una custodia ibi manuteneatur.

Quod consules elligant tempore ferie duos homines etc.

574. Item quod consules teneantur omni anno tempore nundinarum plac. elligere duos bonos et ydoneos homines de iurisdicione mercadandie, qui stare debeant in dictis nundinis ibi ubi melius eisdem consulibus placuerit, convenire ad videndum et circandum omnes illos draperios tam plac. quam alterius civitatis, qui dederunt falsas mensuras drapporum. Et cum invenerint aliquem teneantur accussare dictis consulibus, qui accussatores habeant medietatem banni constituti in statuto nuxii. Et sine tenore.

Quod foresterii vendentes drappum etc.

575. Item quod omnes drapperii et quilibet foresterius qui venerit ad vendendum drappum ad retalium in feria plac. teneantur stare per

---

(1) Fin d' allora si vedeva la necessità delle buone strade, ed è osservabile che vi si manteneva un Custode. V. anche indietro alla Rubrica 516. ove si ordina rigorosamente di tenere in buon assetto e difesa la strada di Genova.

se in una bigna (1) sicut drapperii plac. faciunt, in pena et banno sexaginta sol. plac.

Quod formagiarii non uadant per malgas etc.

576. Item quod nullus formaierius nec revenditor casei possit ire per malgas (2) civitatis plac. et episcopatus ad emendum caseum nostranum seu grassum. Et si quis iverit et emerit, consules nuxii teneantur sibi accipere qualibet vice sexaginta sol. et sine tenore.

Quod inter laboratorem et dominum habentem texeras etc.

577. Item quod si quis iurisdicionis nuxii habuerit facere cum aliquo suo laboratore vel laboratrice de quacunque arte fuerint, et ipsi haberent texeram inter se clavatam, in qua texera nomen laboratoris scriptum fuerit, quod eidem texere adhibeatur fides de eo quod incissum fuerit in dicta tessera.

Quod liceat formagiariis etc.

578. Item quod quilibet de paratico formaiariorum possit et debeat ire extra civitatem plac. in aliis episcopatibus aliarum civitatum si ei placuerit causa emendi caseum nostranum, non obstantibus aliquibus statutis vel reformacionibus.

Quod hosterius non possit esse maloserius.

579. Item quod aliquis hosterius sive albergator non possit esse maloserius, nec habere partem in aliquo malosso. Et si contrafecerit et poterit probari, solvat pro banno qualibet vice viginti sol.

De banno tollendo albergatori etc.

580. Item quod aliquis albergator nec aliquis iurisdicionis mercadandie

---

(1) Vedi la nota alla Rubrica 551.

(2) *Per malgas.* Di tal voce non è più traccia neppure in vernacolo. Parrebbe rispondere a ciò che oggi dicesi *Casèra* in dialetto, e in italiano *Cascina,* o luogo ove si tien riposto il cacio.

non possit vendere nec dare ad pensionem vel alio modo tabullam alicui causa ludendi ad aliquem ludum in pena viginti sol.

Quod soluciones facte etc.

581. Item quod omnes soluciones pro temporibus retroactis facte per Consules mercadandie alicui seu aliquibus creditoribus in bonis et de bonis alicuius seu aliquorum debitorum, et que in futurum fient, teneant et valeant et omnem firmitatem in omnibus obtineant ac si facte essent per iudicem et officialem habentem puram et meram iurisdicionem faciendi dictas soluciones, et istud teneat et valeat in hiis omnibus et personis de iurisdicione mercadandie et qui se obligaverunt et se obligabunt sub examine consulum et iurisdictione mercadandie per instrumenta seu per terminos vel aliter.

Quod filius familias etc.

582. Item quod consules mercadandie teneantur compellere quenlibet filium familias ad reddendum et consignandum patri suo integram racionem ad voluntatem dicti patris sui, et satisfaciendum de iis omnibus que lucratus fuerit. Et si contempserit facere teneantur ipsum facere custodiri et detineri personaliter ad voluntatem patris, et in carceribus poni, et de eis non removeri nisi primo concors fuerit cum patre suo, et sine speciali voluntate, parabolla et licencia eiusdem patris sui, quod capitulum sit precissum in qualibet parte sui. Et sine tenore per consules debeat observari. Et intelligatur tantum in illis qui sunt de iurisdicione mercadandie. Et qui sunt mercatores et non in aliis.

De eodem.

583. Item quod Consules teneantur precisse et sine tenore si requisitum fuerit per patrem familias et denunciatum, quod aliquis filius familias qui esset extra civitatem plac. et districtum nollet patri suo reddere et facere ractionem de hiis que lucratus fuerit, bannire ipsum sub illa quantitate pene seu banni que patri placuerit, et eis videbitur convenire. Et teneantur mittere omnibus mercatoribus plac. ubicumque

ubicunque fuerint quod talem filium familias evitare debeant, et cum eo non mercari nec uti aliquo modo per se vel per alium in pena et sub pena quinquaginta libr. plac. et pluris ad voluntatem eiusdem patris eius. Et istud intelligatur tantum in illis qui sunt sub iurisdictione mercadandie, et qui sunt mercatores, et non in aliis.

De cureriis.

584. Item quod illi qui nunc sunt curerii mercadandie confirmentur et sint currerii sicut fuerunt anno proxime preterito et super eis non fiat de novo aliquid.

De ambaxatoribus mittendis Cremonam.

585. Item quod consules mercadandie venturi debeant infra quindecim dies ab introytu eorum regiminis facere operam cum effectu penes dominum capitaneum quod mittat ambaxatores ad civitatem Cremone qui procurent penes comune Cremone quod si aliquis placentinus iverit in Cremonensse in uno die, et redierit in alio sequente non debeat solvere nisi tantum duos denarios, et quod illi duo denarii qui recuperantur et exiguntur a placentinis de qualibet libra mercati cassentur. Et quod omnes represalie cuiuscunque civitatis penitus suspendantur.

Quod qui intraverit in paratico batitorum etc.

586. Item quod quiconque voluerit in paratico batitorum bambaxii et paratico batitorum lane intrare solvere debeat pro intratica tres sol. plac. et non ultra. Et sine tenore.

Quod staderia de domo non portetur etc.

587. Item quod staderia que solita est stare ad maiorem Ecclesiam in stacione stare debeat sicut stetit usque nunc cum concessa fuit propter mercatum, et non debeat portari circumquaque per civitatem. Et si contrafactum fuerit pro qualibet vice quinque sol. Et sine tenore.

Quod qui vendiderint linum ad minutum etc.

588. Item quod omnes sint cives an sint forenses qui vendere voluerint linum ad minutum, videlicet ad pensam, debeant solvere intraticam ipsis linarollis, et esse de eorum paratico. Et si recussarent et vendiderint solvat quilibet pro banno qualibet vice quinque sol. placent. quorum tercia pars sit consulum mercadandie, et alia tercia consulum linarolorum, et alia tercia ipsius paratici linarolorum plac. Et hoc locum habeat in hiis qui continue dictam artem exercerent in emendo quoquo modo et revendendo.

De racione reddenda per fratres etc.

589. Item quod consules nuxii teneantur modis omnibus compellere quenlibet mercatorem plac. habentem in se seu penes se pecuniam comunem cum fratre seu cum fratribus ejus de iurisdictione nuxii plac. et eum compellant reddere et consignare fratri seu fratribus suis integram ractionem ad voluntatem ipsius seu ipsorum secundum iura tamen comunis nuxii de ipsa pecunia et lucro inde facto. Et si contrafecerint consules teneantur facere custodiri et personaliter detineri ad voluntatem ipsorum fratrum vel fratris, et in carzeribus poni, et de eis non sinere removeri, nisi primo fuerit concors cum fratribus vel fratre. Quod capitulum sit precissum in qualibet parte sui, et sine tenore consules illud debeant observare semper intelligendo quod tales fratres sint de iurisdictione nuxii plac. et hoc observentur ubique terrarum per consules nuxii plac. ibi existentes.

Quod fuselus, asides, cazole etc.

590. Item fuselus vel asides seu caze que sunt concesse stare ad stationes maioris Ecclesie pro mercadandia debeant apportari qualibet tercio mense in palacio mercadandie ad drizandum, et hoc fiat per consules nuxii vel alios quos ponere voluerint dicti consules. Et hoc sine tenore.

Quod nullus ponat ad bucham abeveratoris etc.

591. Item quod aliquis revenditor neque revenditrix nec aliqua alia

persona non debeat ponere ante beveratorium rivi s. Brigide erbas neque bancha, nec aliquid aliud. Et qui contrafecerit consules teneantur ei aufferre qualibet vice quinque sol. plac. et sine tenore.

Quod qui est de aliquo paratico etc.

592. Item quod aliquis qui sit de aliquo paratico alio quam de paratico mercadandie non possit incantare nec emere staderiam ferri nuxii, et sine tenore.

Quod liceat speciariis vendere lituarium.

593. Item quod speciarii possint mittere per civitatem plac. ad vendendum de lituario.

De banno accipiendo illi qui convenerit debitorem etc.

594. Item quod ille qui fecerit recipi terminum suo debitori sub examine consulum nuxii, non possit postea per se vel alium illum suum debitorem pro illo debito de quo recepisset terminum compellere neque convenire sub aliqua alia iurisdictione, in pena et banno quinque sol. pro qualibet libra. Et istud capitulum valeat tam in preteritis quam futuris et presentibus, et quod desistat a dicta lamentacione. Et si non desisterit quod non possit postea habere ractionem sub predictis consulibus de suis terminis ab illo die in antea quo predicta faceret non scribantur de suis terminis sub examine consulum nuxii. Et hec omnia sine tenore.

De ambaxatoribus mittendis Cremone (1).

595. Item addiderunt capitulo quod loquitur quod consules teneantur facere operam cum effectu penes dominum capitaneum quod mittat ambaxatores ad civitatem Cremone occasione ordinandi quod duo denarii

---

(1) Nel secolo XII., e XIII. i piacentini furono spesso in litigio coi cremonesi. Indi rappresaglie, e composizioni, e paci ecc. V. indietro la Rub. 585.

qui colliguntur in civitate Cremone de qualibet libra mercati, et alia plura faciendi, quod capitulum factum fuit in anno proxime preterito, quod consules proxime futuri teneantur precisse et sine tenore dare operam cum effectu penes dictum capitaneum quod dicti ambaxatores mittantur Cremonam pro faciendo ea omnia que continentur in dicto capitulo. Item quod dicti ambaxatores debeant similiter cum dominis potestate et capitaneo civitatis Cremone ordinare quod quilibet placentinus possit et debeat vendere et emere omnem mercadandiam, et quanlibet aliam rem cuilibet et a quolibet tam cive quam foresterio in dicta civitate Cremone sine aliqua pena seu banno. Et si dicti ambaxatores non poterint compellere ea que continentur superius, quod consules teneantur simile statutum facere ordinari contra cremonenses, secundum illud quod habent contra placentinos.

Quod consules alicuius paratici etc.

596. Item quod consules cuiuslibet paratici mercadandie non debeant recipere aliquem in paraticum suum nisi prius iuraverit in presencia consulum mercadandie, ut non fiat aliqua deceptio intraticis quas reciunt, in pena et banno viginti sol. plac. pro quolibet consule ipsius paratici qualibet vice. Et receptio illius qui non sic iuraverit sit cassa, et scribantur in uno libro qui stet penes consules mercadandie. Et sine tenore.

De non tenendo aliquam rem apicatam etc.

597. Item quod nullus qui sit iurisdictionis mercadandie debeat tenere aliquam rem que stet apicata ante stacionem suam sive domum modo aliquo seu ex aliqua causa a tabulla sua de foris propter quod impediatur stracta vel noceat alicui suo convicino in pena et banno decem solid. plac. qualibet vice. Et hoc sine tenore.

De staderia ferariorum.

598. Item ille qui habuerit staderias ferrariorum mercadandie possit eas tenere et gubernare in qualibet parte in burgo videlicet a turre

gotentestorum usque ad domum Tironi de mocia, quod ille qui habuerit dictas staderias non possit eas vendere, set cum sua propria manu et uno socio qui scit scribere illud officium debeat exercere. Et sine tenore.

De malosaria non fienda per aliquem etc.

599. Item quod nullus de iurisdictione mercadandie possit esse maloserius de illis rebus que pertinent ad suum misterium seu officium, nec habere partem in illa maloseria.

De duobus consulibus pro quolibet paratico.

600. Item quod nullus paraticus subpositus iurisdictioni mercadandie possit habere nisi tantum duos consules.

Quod represalie civitatum Lombardie et Tuscane etc.

601. Item quod consules teneantur infra mensem postquam intraverint eorum consulatu dare operam cum effectu penes potestatem et capitaneum plac. quod omnes represalie quas civitates lombardie et tuschane, seu singulares persone ipsarum civitatum habent contra placentinos suspendantur, et quod illud idem reformetur et ordinetur per comune placentie quod omnes represalie quas ipsum comune seu singulares persone habent contra aliquas civitates seu singulares personas ipsarum civitatum suspendantur et sint suspensse, dummodo per ipsas fuerit factum versus comune placencie, et homines ipsius civitatis et districtus illud idem, et sine tenore.

De pedagio solvendo occasione cambii etc.

602. Item quod quilibet civis plac. qui in civitate Janue vel eius districtu fecerit cambium de prevenexinis seu turonensibus vel de alia pecunia auri vel argenti et qualibet alia moneta cugnata (1), seu qui

---

(1) *Cugnata*. Evidentemente per *coniata*. Manca ai Glossarii.

cambium fecerit in dicta civitate vel districtu de auro vel argento, debeat solvere pedagium mercadandie officialibus qui pro mercadandia fuerint pro colligendo pedagium quod ibidem colligitur, seu officialibus qui illud pedagium receperint in civitate plac. si illud non solvisset in Janua ad ractionem duodecim denariorum pro quolibet centenario librarum. Et quod consules mercadandie debeant compellere ut supra sicut compellunt alios de mercadandiis aliis. Et hec omnia precisse. Et sine tenore.

De terminis receptis sub consulibus nuxii etc.

603. Item quod quilibet terminus receptus sub consulibus nuxii et qui recipietur de quo non sit publicum instrumentum qui steterit per viginti annos quod non sit requisitus, de qua requisicione non apparuerit per aliquam scripturam, quod sit cassus et iritus et pro casso et irito habeatur. Et hoc locum habeat tam in preteritis quam in futuris.

De canzelatione reformacionis super peciis fustanei.

604. Item quod reformacio mercadandie edita super peciis amplis fustanei sit canzellata. Et quod statutum factum actenus super hoc teneat et valeat, et addatur huic capitulo quod si capicium fili inventum fuerit minus XII. centenariorum fili condempnetur quelibet pecia in quinque sol. plac. et aliter non condempnetur.

De reditibus banitorum.

605. Item quod si aliquis banitus comunis plac. habet partem in redditibus comunis nuxii, quod dicta sua pars debeat retineri in pagamentum illius debiti, quod apparet ipsum banitum dare debere comuni nuxii quacunque occasione seu caussa.

De mercedibus dandis imblanchitoribus.

606. Item quod nullus imblanchitor possit habere de aliqua pecia fustaney pro imblanchitura ultra octo denarios ad plus in pena et banno danti et recipienti quinque solid. pro qualibet pecia.

De prohibendo ne meretrices etc.

607. Item quod consules teneantur eorum posse prohibere ne tabernarius domus palacii per se nec per alium det nec dare debeat in domo nec extra domum bibere meretricibus, cum indecens sit hominibus et vicinis, et aufferre domum ab eo teneantur si contrafactum fuerit.

De circhatoribus borearum.

608. Item quod circatores borearum sint quatuor, scilicet duo textores et duo massarii, et non sit aliquis circator nisi exerceat continue misterium suum, et cessent per unum annum post officium suum.

De arte tellarum scletarum.

609. Item quod nullus homo nullaque persona episcopatus exercens artem tellarum scletarum nichil solvere teneantur consulibus textorum pro feodo eorum.

De feodo paratici textorum.

610. Item statuerunt quod quelibet persona paratici textorum civitatis plac. et suburbiorum, et que iuraverit ipsum paraticum debeat solvere consulibus dicti paratici pro feodo eorum annuo pro primo tellario duos denarios, et a primo tellario supra pro quolibet tellario unum denarium, et currerio dicti paratici pro qualibet bora sive domo in qua laboratur unum denarium.

De consulibus qui refutaverint vel morientur.

611. Item quod si quis ellectus fuerit in consulem mercadandie, et refutaverit, vel non iuraverit, seu moriretur, quod electio alterius eligendi debeat reverti ad conscilium dicte mercadandie. Et sine tenore, capitulo aliquo non obstante.

De debitoribus non detinendis nec pignorandis ante etc.

612. Item quod consules non possint facere detineri aliquem debitorem ad postulactionem alicuius creditoris, neque pignorari occasione alicuius debiti ante terminum instrumenti seu termini seu debiti, nisi prius facta fuerit fides ad postulactionem dicti creditoris per duos vel tres testes bonos et ydoneos quod ille debitor non sit securus pro illo debito, vel quod vellet ille debitor se absentare.

De modo solvendi feodum consulibus.

613. Item quod consules mercadandie non possint recipere feodum eorum consulatus, neque camararius nec alter officialis mercadandie debeat eis solvere illud feodum nisi in hunc modum, videlicet in medio anni medietatem, et in fine anni aliam medietatem, et sine tenore.

Quando intrare debeant consules paraticorum.

614. Item quod consules cuiuslibet paratici subpositi mercadandie debeant intrare in eorum consulatu in festo s. Andree, sicut intrant Consules mercadandie.

De eo quod facere debent consules ut moneta non trabuchetur.

615. Item quod consules proxime venturi teneantur infra quindecim dies postquam intraverint eorum consulatum facere cridari quod omnes mercatores tenentes tabulas et staciones in civitate plac. quod ipsi non debeant trabucare neque pensare, neque faciant nec permittant aliquam personam trabucare neque pensare in stacione eorum nec alibi aliquam monetam grossam vel minutam occasione extrandi eam, et quod quilibet teneatur quenlibet contrafacientem dictis consulibus accusare. Et si quis contrafecerit condempnetur qualibet vice in decem libr. plac. quorum medietas habere debeat accusator, et teneatur privatus perpetuo. Et teneantur consules se opperari et facere quod hoc capitulum ponatur in statutis domini capitanei, et sine tenore.

De eligendo unum pensatorem per consules peciarum.

616. Item quod consules teneantur eligere unum bonum et legalem virum mercadandie, qui passare et mensurare debeat omnes pecias draporum que vendentur per aliquem foresterium vel civem plac. alicui drapperio vel mercatori in grosso in aliquo hospicio vel alibi si lis de mensura fuerit inter eos habendo tunc dictus mensurator a venditore pro qualibet pecia unum denarium.

Quo die elligi debeantur consules mercadandie.

617. Item quod deinceps consules mercadandie non elligantur in festo omnium sanctorum, set elligi debeant primo die non feriato post dictum festum.

De licencia vendendi ad credenciam.

618. Item quod omnes et singuli de paratico drapperiorum et stazonariorum possint vendere fustaneos et drappos in grosso mercatoribus plac. et forensibus cum denariis et sine denariis ad credenciam, et quod possint de fustaneis et drappis eorum facere ad eorum liberam voluntatem, videlicet unam peciam integram, et ab una pecia superius.

De zinellis fiendis.

619. Item quod omnes factores peciarum fustaney teneantur facere ab utroque capite pecie zinellas iuxta unam quartam deversus quamlibet textam ipsius pecie, et sine tenore.

De debitoribus detinendis et pignorandis etc.

620. Item quod siquis de iurisdictione nuxii debuerit alicui pecuniam cuiusconque occasione, et inde receptus fuerit terminus sub dictis consulibns, quod dicti consules, si eis lamentacio facta fuerit, et scripta in quaterno lamentacionum, teneantur precisse et sine tenore facere dictum debitorem pignorari vel eum personaliter detineri in palacio nuxii ad voluntatem creditoris usque quo per ipsum debitorem eidem creditori

facta fuerit integra soluctio de sorte et expensis omnibus alegacionibus, defensionibus et exceptionibus retromissis, salvo eo et expressim dicto, quod si dictus debitor paratus fuerit deponere debitum in pecunia numerata coram consulibus nuxii, non detineatur. Et (1) ille debitor postea probare voluerit aliquid contra dictum creditorem occasione illius debiti, quod tunc consules teneantur dictum debitorem facta deposicione ut supra dictum est audire et compellere dictum creditorem ad respondendum in dicta causa, et se deffendendum non obstante eo quod ipse creditor diceret seu dicere vellet se non esse de iurisdictione mercadandie.

De salario dando notario emendatorum.

621. Item teneantur consules infra quindecim dies postquam intraverint eorum consulatum dari facere per camararium mercadandie veterem illi notario qui fuerit notarius emendatorum capituli mercadandie pro suis mercedibus et salario viginti sol plac. et sine tenore.

De litigantibus coram consulibus.

622. Item quod consules nuxii debeant compellere partes coram eis litigantes in continenti cum fuerit dictis consulibus per ipsas partes vel aliquam ipsarum denunciatum ad prestandum idoneas cauptiones per utranqne partem de solvendo et satisfaciendo expensas victori cause.

De consulibus ellectis qui refutaverint.

623. Item quod si aliquis ellectus fuerit consul mercadandie, et uoluerit refutare consulatum, quod illud consulatum possit renunciare, quod non possit compelli ad recipiendum ulla occasione, capitulo seu reformaccione aliquibus non obstantibus.

Quod non possit aliquis eligi in consulem etc.

624. Item quod non possit aliquis elligi in consulem mercadandie

---

(1) *Et ille debitor*. Dopo l' *et* per il retto senso par mancare la condizionale *si*.

qui non habeat bene triginta annos, et a triginta annis supra, et sine tenore.

Addicio capituli litium coram consulibus etc.

625. Item addiderunt capitulo loquenti quod consules teneantur finire omnem litem et questionem vertentes coram eis infra quatuor menses postquam incepta fuerit etc., quod consules qui pro tempore fuerint possint et debeant reservare octo dies ultimos ultimi mensis dictorum quatuor mensium pro asumendo sapientem super diffinitiva ipsius cause, et pro sentencia diffinitiva proferenda.

Quod nulla persona debeat impetrare literam per quam impediatur officium consulum.

626. Item quod nullus homo nullaque persona de iurisdictione nuxii possit impetrare nec impetrari facere aliquam literam vel mandatum in aliqua parte, seu sub aliquo iudice, rectore vel officiali civitatis plac. tam ecclesiastico quam seculari, per quam literam impediatur officium dictorum consulum in aliquo. Et si quis contrafecerit, consules teneantur in continenti illam personam omnibus exceptionibus deffenssionibus et alegacionibus retromissis, facere in palacio nuxii personaliter detineri, donec per illam personam integre fuerit persolutum de toto et omni eo quod sibi debuerit, et illud mandatum in totum revocatum fuerit, et sine tenore.

De solucionibus in bonis alicuius absentati.

627. Item quod quelibet solucio facta et que in futurum alicui fiet per consules nuxii in bonis alicuius debitoris absentati simul cum aliis creditoribus per ordinem tam mulieri seu uxori dicti debitoris quam alicui alteri, valeat et teneat ac si facta esset per Judicem habentem meram iurisdictionem faciendi, non obstante eo quod non sit de iurisdictione neque obligata consulibus nuxii, et sine tenore.

De fide danda maloserio alicuius mercati etc.

628. Item addiderunt capitulo quod loquitur de faciendo haberi firmum quodlibet mercatum de quo dacta fuerit palmata seu denarius (1) dei etc. cum quo de pactis et precio illius mercati si lis fuerit inter partes credatur maloserio qui fecerit illud mercatum solo verbo eius, vel alicui alteri persone ydonee que ibidem fuerit presens. Videlicet a vigintiquinque libris infra, et ab inde supra debet compellere mercatum partibus presentibus et presentibus testibus.

De laboratoribus bambaxii et tellarum.

629. Item si aliquis laborator vel laboratrix qui vel que laborat bambaxium et file tellas seu burdos (2), receperit aliquem denarium ab aliqua persona causa merendi ad laborandum, et discordia fuerit inter eos de laborerio seu quod non vellet laborare, quod consules teneantur compellere dictum laboratorem et laboratricem ad restituendum illos denarios quos ab aliquo recepisset illi seu illis a quo vel a quibus receperit.

De burdis et tellis fiendis quinque quartarum.

630. Item quod nullus possit facere aliquam peciam burdi seu telle que sit minus quinque quartarum per amplitudinem. Et si reperta fuerit aliqua esse minus, quod consules teneantur facere scavizari.

De oblacionibus non fiendis nisi in festo S. M. Augusti.

631. Item quod consules non possint ullo modo facere aliquod festum, nec ire ad offerendum in aliqua parte nisi tantum ad festum S. Marie virginis de mense augusti, videlicet ad ecclesiam maiorem, neque facere congregari homines mercadandie causa eundi ad aliquod festum, salvo eo quod consules cum illis quos voluerint si requisiti fuerint, possint

---

(1) *Denarius Dei.* È la caparra o moneta che si dà per fermare un contratto. Così chiamavasi perchè dopo il contratto andava ad uso Sacro.

(2) *File tellas seu burdos.* Voci di oscuro significato.

ire cum dominis potestate et capitaneo ad ecclesiam s. Antonini in die festivitatis eius in pena et banno centum sol. plac. pro quolibet consule. Et sine tenore.

De albergatoribus.

632. Item quod aliquis civitatis plac, non possit nec debeat ire vel mittere obviam alicui persone causa faciendi eam venire ad albergum suum, nec aliquis albergator possit per stractam ante hospicium suum nec in aliqua alia parte vocare aliquam personam causa faciendi venire ipsam ad albergandum in domo suo, nec ostendere aliquam mensuram cum blava in stracta. Et si quis contrafecerit solvat qualibet vice pro banno viginti sol. plac. et quilibet teneatur accussare, et habeat medietatem banni, et teneatur privatus, et credatur duobus testibus, et cridetur hoc per burgum ea die qua consules intraverint consulatum.

De sartoribus.

633. Item quod sartores possint ire per staciones drapperiorum cum illis qui vadunt ad emendum drappos non obstante aliquo statuto drapperiorum et stacionariorum, cum stacionarii drapperii se periurent quia aliquando vadunt sartores per staciones, et drapperii quidam non dicunt eis aliquid.

De recipientibus terminos.

634. Item quod quilibet de iurisdictione nuxii qui facit recipere seu recepit terminos sub mercadandia, possit et debeat conveniri a qualibet persona sub consulibus mercadandie, sicut mercatores pro ipsis terminis receptis et recipiendis.

De reformationibus paraticorum non approbandis.

635. Item quod omnia statuta et reformaciones paraticorum supposito rum sub consulibus nuxii non valeant neque teneant nisi prius approbata fuerint per conscilium generale mercadandie vel saltem per approbatores capitulorum paraticorum mercadandie, et quod nullus homo nullaque persona teneatur illa vel illos observare in aliquo nisi

fuerit (1) approbata et approbate pro ut superius continetur, cum in capitulis dictorum paraticorum et reformacionibus ipsorum, multa per iura consequuntur.

De consulibus non elligendis nisi excesserint etatem XXV. *annorum.*

636. Item quod nullus possit esse consul mercadandie nisi excesserit etatem vigintiquinque (2) annorum, et qui cotidie non exerceat artem seu officium mercadandie, et quod consules qui pro tempore fuerint teneantur per sacramentum facere iurare ellectores quod non elligent aliquem in consulem contra hoc statutum. Et si contrafactum fuerit quod ellectio sit cassa, et quilibet ipsorum ipso iure sit condempnatus in viginti sol. placent. Et sine tenore.

De pedagio Janue recuperando.

637. Item quod quando societatibus mercatorum plac. quibus obligatum est pedagium mercadandie quod colligitur in Janua et in plac. et quod appellatur pedagium de Janua fuerit integre satisfactum et solutum de eo quod habere debent, et cuius occasione dictum pedagium est dictis societatibus obligatum, quod tunc facta eis dicta soluctione dictum pedagium colligatur per mercadandiam. Et de eo recuperentur redditus dicte mercadandie.

De bambaxio veteri.

638. Item quod nullus possit facere bambaxium vetus in canellis nec facere fieri, neque fileria (3) illud filare, neque textrix illud texere. Et si quis contrafecerit possint consules nuxii ab illo aufferre pro banno qualibet vice quinque sol. placent. medietas cuius banni sit accussatoris et reliqua medietas comunis nuxii.

---

(1) *Fuerit.* Errore di scritturazione nel Codice. Evidentemente dee leggersi *fuerint.*

(2) Deroga alla Rubrica 624 ove stabilivasi che niuno potesse esser console se non dopo i 30 anni. Più innanzi i 30 anni si vollero ancora. Vedi Rubr. 688.

(3) *Fileria. Filéra* per *Filatrice* è ancora oggidì nel vernacolo.

De fustaneis acordolatis fiendis.

639. Item quod quilibet massarius et massaria qui faciunt fieri fustaneos, liceat eis posse facere fustaneos acordolatos ad modum consuetum.

De staderia mercadandie incantanda.

640. Item quod consules mercadandie non possint vendere neque facere incantare staderias mercadandie neque redditus mercadandie, nec aliquid aliud de bonis mercadandie in aliquo conscilio generali, nisi fuerint ad minus viginti homines de dicto conscilio in palacio, et sine tenore.

De filis existentibus extra restam fustaneorum.

641. Item quod si aliqua resta (1) fustaneorum, tellarum, et bordorum inventa fuerit plena de filo sicut esse debet plena de iure, per circatores mercadandie quod per aliquod filum quod esset extra illam restam non possit auferri aliquod bannum.

De denariis laudagiorum et bannorum.

642. Item quod notarius mercadandie debeat dare et consignare camarario mercadandie singulis kalendis omnes denarios quos idem receperit de bannis et laudagiis mercadandie.

De hiis qui compelli possunt iurare sequelam mercatorum.

643. Item quod consules mercadandie possint et eis liceat compellere quamlibet personam que iverit seu ivisset extra civitatem plac. et districtum in aliqua parte causa faciendi mercadandiam, vel mutandi denarios, seu aliquid aliud faciendi quod pertineat mercadandie iurare sequellam eorum, et eos compellere tanquam mercatores ad respondendum cuilibet persone de se conquerenti, et satisfacere cuilibet habenti

---

(1) *Resta* è anche oggidì del dialetto piacentino ed è il *pettine* dei Toscani.

debere ab ea aliquid tanquam et sicut possunt compelli publici mercatores, et hec intelligantur tam in preteritis et presentibus quam in futuris.

De satisdactionibus prestandis per revenditores.

644. Item quod nullus homo nullaque persona possit esse venditor et venditrix, seu revenditor vel revenditrix per civitatem nec in domibus eorum de drappis, zogiis, neque de auro vel argento seu de aliqua alia re, nisi prius fecerit securitatem de custodiendo et salvando bona et res cuiuslibet persone que ad manus eorum pervenerint causa vendendi. Que securitas sit et esse debeat centum librarum plac. et quod consules possint eos et eas compellere ad predictam securitatem prestandam, qui revenditor seu revenditrix habere debeat et possit pro mercedibus eorum de qualibet re quam vendiderit que valuerit usque in sexaginta sol. plac., et a sexaginta solidos infra ab utraque parte quatuor denarios plac. Et de illa re que valuerit a sexaginta solidos plac. supra, ab utraque parte duos denarios pro libra, et non possint aliquid ultra ab aliqua persona accipere.

Quod currerii licenciam non habeant faciendi scribere terminum etc.

645. Item statuerunt quod aliquis currerius mercadandie non possit habere licenciam scribendi, nec possit facere scribi aliquem terminum debiti confessi quod ascendat a centum solidos plac. supra, nisi de illo debito fuerit publicum instrumentum, et si quem fecerit scribi quod ascendat a dictis centum solidos plac. supra, et de quo non sit instrumentum, quod idem terminus sit cassus et nullius valoris, et notarius mercadandie non possit illud terminum scribere.

De tellis mercaderiis que non sint minus de xxx. *etc.*

646. Item statuerunt et ordinaverunt quod omnes telle mercaderie esse debeant quelibet ipsarum de triginta portaturis (1) vel de decem filis

(1) *Portaturis. Portùra* dicono i tessitori della città e del contado piac. ad un fascio di fili formato sopra l' orditojo (Paiuola).

minus. Et si qua pecia inventa fuerit de minori quantitate quod debeat penitus scavizari in tribus boconis, et condempnetur illa persona que eam fecerit in decem sol. plac. pro qualibet vice.

De ractione reddenda per filios patribus.

647. Item addiderunt illis duobus capitulis loquentibus quod filii tenentur reddere ractionem patri suo de eo toto quod lucrati fuerint, et si reddere noluerint quod detineantur personaliter ad voluntatem patris eorum etc. quod dicti filii seu filius si non habuissent aliquod capitale a patre suo, quod non teneantur dicto patri suo reddere ractionem. Et quod dictus filius seu filii qui habuissent capitale a dicto patre eorum voluerint et parati fuerint reddere ractionem dicto patri eorum, non possint aliquo modo per consules mercadandie personaliter detineri. Et predicta locum habeant qui fuerint de iurisdictione nuxii.

De modo elligendi consules formagiariorum.

648. Item quod unus formaiarius ex illis qui morantur in burgo, et qui sit de conscilio formaiariorum, sit et esse debeat consul paratici formaiariorum, et sine tenore.

De cessantibus in suo misterio quod non possunt esse consules.

649. Item quod aliquis homo qui sit de aliquo paratico ex paraticis mercadandie qui fuerit per unum annum quod non faciat illud misterium de quo fuerit, non possit esse consul dicti paratici, et sine tenore.

De fustaneis fiendis cuiuslibet maneriei.

650. Item quod in civitate plac. possint fieri fustaney mediolanenses, cremonenses, pontremolenses, faciendo ipsos bonos et legales secundum quod fiunt in illis civitatibus. Et si quis contrafecerit puniatur qualibet vice in quinque sol. plac. et pecia que non fuerit bona et legalis scavicetur in duobus boconis. Additum est MCCCXIIJ. indict. XII. de mense octubris quod aliquis fustaneus strictus ex predictis non possit vendi

ad retalium per aliquam personam de mercadandia in pena et banno quinque sol. plac. pro quolibet brachio, et hoc non intelligatur in fustaneis acordolatis.

De opere fiendo per consules quod capitula nuxii observentur.

651. Item quod consules teneantur infra quindecim dies ab introytu eorum consulatus operari facere eorum posse penes potestatem et capitaneum et sapientes comunis quod consules mercadandie possint observare et teneantur capitula et consuetudines suas, et facere officium sicut in capitulis mercadandie continetur et consueti sunt facere, non obstantibus aliquibus statutis vel ordinamentis comunis plac.

De rudere et fango removendo.

652. Item quod si aliqua persona conduxerit vel apportari et conduci fecerit ruder, terram, fangum seu rumenta (1) in aliqua parte platee burgi, quod consules teneantur facere per illam personam que conduxerit vel conduci fecerit predicta removere, et infra terciam diem a precepto sibi facto per aliquem a consulibus nuxii in pena et sub pena quinque sol. plac. qualibet vice. Et hec teneantur consules facere cridari in platea burgi infra quindecim dies postquam intraverint eorum consulatu.

De ractione fienda foresteriis breviter.

653. Item quod consules mercadandie debeant facere cuilibet forestерio conquerenti de aliquo civitatis et districtus sumariam et brevissimam ractionem sine dactione libelli.

De penis impositis consulibus vendentibus bona nuxii.

654. Item quod consules mercadandie non possint nec debeant vendere, nec alienacionem facere aliquam de bonis mercadandie, neque ali-

---

(1) Il Du-Cange citando gli statuti piac. non bene interpreta questa voce. *Rumenta* erano i tritumi e la pula che resta sui fenili. Anche oggi in vernacolo vive la voce *Rômeint*.

quam taleam vel extimum imponere, nec mutuum facere nisi de voluntate et consensu conscilii generalis mercadandie congregati in palacio sono campane, in quo conscilio debeant esse ad minus sexaginta homines, et due partes in concordia facto partito ad scrutinium privatum ad fabas nigras et albas. Et si quis de conscilio aliter aringaverit vel consulerit quod sit ipso iure condempnatus in decem libris plac. et quod aliquis consul non possit petere aliquam absolucionem in pena et banno centum sol. plac et admitendi feodum eorum, que banna recuperari debeant per consules tunc proxime sequentes, et sine tenore. Additum est huic capitulo MCCCXIIJ. de mense octubris quod hoc non intelligatur pro expensis fiendis in festo S. Marie mensis augusti, quod ea occasione possint consules cum conscilio vendere, et quanlibet alienacionem facere non obstante superscripto statuto.

De consignacione fienda curreriis libri debitorum.

655. Item quod consules venturi teneantur infra quindecim dies ab introytu eorum regiminis consignare et facere copiam curreriis mercadandie de libro in quo scripti sunt debitores mercadandie, et habito dicto libro per ipsos currerios liceat ipsis accipere et elligere ex ipsis debitoribus ad eorum voluntatem tot quot assendet tunc summa eius tocius quod habere debebunt ipsi et heredes quondam alberici sachi, ita quod illi debitores quos recuperaverint et elligerint, sint et esse debeant omnes inter ipsos omnes et heredes dicti quondam alberici, et recuperari debeant per ipsos currerios.

De mercato fili et capiciorum.

656. Item quod mercatum fili et capiciorum quod fit omni die sabati in platea maioris Ecclesie reducatur a domo Guizardi de vixirano furnario usque ad Ecclesiam S. Crucis. Et qui contrafecerit teneantur consules paratici textorum ei aufferre qualibet vice pro banno quinque sol. plac. quorum tercia pars sit mercadandie. Et hoc intelligatur in qualibet persona paratici textorum. Et quod aliquis qui non sit de paratico textorum non possit condempnari ea occasione, et quod bannum consules dicti paratici si eis denunciatum fuerit teneantur aufferre in pena et banno decem sol. plac. pro quolibet consule.

De emendacione statutorum.

657. Item quod consules mercatorum debeant infra octo dies mensis octubris eorum consulatu proponere in conscilio generali de statutis mercadandie emendandis vel non emendandis, et tunc secundum quod ipsi conscilio placuerit procedere in predictis, statuto aliquo precisso vel non precisso loquente in contrarium non obstante. Et hoc sine tenore.

Quod consules habeant in scriptis omnes represalias.

658. Item quod consules teneantur infra mensem quo intraverint eorum consulatu facere operam cum eorum notario mercadandie quod habeant in scriptis penes ipsos consules seu in casia mercadandie omnes illas civitates que habuerunt represalias contra comune et homines plac. et nomina ipsarum civitatum, ad hoc ut omnibus de hiis postulantibus possint certam reddere ractionem, et sine tenore.

De hiis qui esse possunt curatores bonorum.

659. Item statuerunt quod nullus possit esse curator bonorum alicuius absentati vel mortui nisi fuerit de iurisdicione mercadandie, nec possit esse aliquis qui sit de alieno paratico quam de mercadandia.

De libris consiliariorum mercadandie fiendis.

660. Item quod duo libri in quibus scripti sunt illi de conscilio mercadandie fieri debeant per consules mercadandie infra unum mensem ab introytu eorum regiminis, unus quorum debeat stare semper penes camararium mercadandie sigillatum sigillo mercadandie, et alter debeat stare penes notarium mercadandie.

De laudagio solvendo camarario etc.

661. Item statuerunt quod aliqua sentencia seu instrumentum solu-ctionis de quibus et pro quibus debeat solvi aliquod laudagium comuni mercadandie non possit fieri neque pronunciari per consules, neque legi

per notarium nisi fuerit presens camararius mercadandie, qui ibidem in continenti ante naracionem instrumenti confiteatur habuisse dictum laudagium in pena et banno centum sol. plac. cuilibet consuli qui eam pronunciaverit, et sexaginta sol. plac. notario qui eam recitaverit. Et sine tenore.

De filiis mercatorum compellendis.

662. Item quod quilibet filius alicuius mercatoris sit et esse intelligatur de iurisdictione mercadandie et possit compelli tanquam mercator si usus fuerit mercadandia, et non aliter.

De peciis burdorum fiendis.

663. Item quod quelibet pecia burdi que fiet in plac. et episcopatu esse debeat de triginta portaturis sicut antiquitus esse consuevit.

De denariis bannorum non recipiendis per currerios.

664. Item quod aliquis currerius mercadandie non possit nec debeat recipere nisi a camarario mercadandie aliquem denarium de bannis et laudagiis comunis mercadandie causa sui feodi, vel alia occasione. Et si aliquis receperit quod sit ab officio cassus, et hoc circare et inquirere debeant consules. Et sine tenore.

De portis palacii nuxii claudendis quando statuta emendantur.

665. Item quod quando emendatores fuerint in palacio nuxii causa emendandi, quod consules mercadandie, notarius, currerii, seu alia persona non possit nec debeat stare in palacio, et quod porte palacii inferiores debeant stare clause.

De modo pigandi burdos et tellas.

666. Item quod massarii et massarie qui faciunt burdos et tellas ad vendendum non possint pigare burdos nec tellas in tercio pro vendendo, set debeant ipsas pigare ad zinogias in faldis sub pena duodecim denar. pro qualibet pecia tam emptori quam venditori.

De pena ponentibus pecias subtus bastum asinorum.

667. Item quod nullus imblanchitor peciarum fustaneorum audeat ponere aliquam peciam telle vel fustanei alicuius mercatoris subtus bastum assine sub pena quinque sol. pro qualibet vice.

De pena imposita tingentibus filum in galeto.

668. Item quod aliquis tinctor nec aliqua alia persona non possit tingere aliquod filum neque repe in galeto in pena et banno viginti sol. plac. pro qualibet vice.

De patribus et fratribus filiorum familias non compellendis etc.

669. Item quod si quis vel si qua filius seu filia familias fecerit aliquod debitum cum carta vel sine carta tam in civitate plac. quam extra civitatem sine consensu et parabola patris sui, quod pater et fratres eius non possint modo aliquo compelli ad illud debitum persolvendum, nec eorum bona in aliquo conveniri, capitulo aliquo ab hodie retro facto non obstante, et sine tenore.

De emendatoribus statutorum elligendis.

670. Item quod si capitulum mercadandie aliquo tempore sive anno debuerit emendari, quod consules teneantur debeant et possint elligere ad eorum voluntatem duodecim tantum emendatores ex melioribus civitatis plac. et quod si quando venerint emendatores ad emendandum, et fuerint in palacio tantum sex ex ipsis, quod illi sex possint emendare dicta capitula. Et claudere ad eorum voluntatem, et ea omnia que ipsi sex fecerint si plus non venerit sint firma et valida ac si per emendatores omnes facta fuissent capitulo aliquo non obstante.

De soluctionibus cassandis factis per curatores etc.

671. Item statuerunt et emendaverunt quod nullus curator datus et constitutus per consules mercadandie bonis alicuius absentis sive mortui

ad faciendum soluctionem creditoribus, non possit modo aliquo facere aliquam soluctionem nisi in palacio mercadandie in presencia et audiencia consulum et presente camarario, qui confiteatur ante narracionem instrumenti solucionis, habuisse et recepisse laudagium comunis mercadandie solutum pro dicta solucione facienda, et si contrafecerit quod dicta solucio et instrumentum cure sint cassa, et cassum et nullius valoris, et dictus curator ipso iure sit condempnatus ad dandum et solvendum comuni mercadandie in decem libr. plac. pro qualibet vice qua contrafecerit. Et sine tenore.

De soluctionibus estimatorum.

672. Item quod quiconque ellectus fuerit ad extimandum aliqua bona non possit habere pro suis mercedibus si non exierit de civitate et burgis plac. et iverit extra portam S. Brigide nisi tantum quinque sol. plac. pro qualibet si res quam extimaverit valuerit usque in quinquaginta libr. plac. Si vero a quinquaginta libris plac. supra valuerit, tunc habeant si duo fuerit ad ractionem duorum denariorum pro libra usque in centum libras, et hoc si iverit ad extimandum extra portam S. Brigide. Si vero aliquid extimaverint in palacio nuxii, tunc habeant pro quolibet quinque sol. si valuerit res quinquaginta libras. Et a quinquaginta libra supra, et ab illo precio supra, ad ractionem unius denarii pro libra. Si vero res valuerit minus quinquaginta libris, quod habere debeant ad ractionem duorum denariorum pro libra pro quolibet si iverint ad extimandum extra portam S. Brigide.

De salario iudicum et sapientum ferencium sentenciam.

673. Item quod aliquis iudex non possit habere pro aliqua sentencia diffinitiva quam dederit in palacio nuxii nisi tantum decem sol. plac., et sapientes mercadandie qui secum fuerint quinque sol. plac. pro quolibet si lis seu causa non ascenderit ultra quantitatem decem libr. plac. Si vero ascenderit ultra usque in vigintiquinque libris, tunc habeat iudex quindecim solidos, et quilibet sapiens quinque solidos. Si vero ascenderit a vigintiquinque libr. usque in quinquaginta, tunc habeat iudex viginti solidos et quilibet sapiens octo. Et si a quinquaginta libris ascen-

derit usque in centum, iudex habeat triginta solidos et quilibet sapiens decem sol. Et si a centum libris ascenderit usque ad cc. libr. habeat iudex quadraginta sol. et sapientes quindecim sol. pro quolibet. Et si a cc. libr. supra usque in ccc. libr. tunc habeant omnes iudex et sapientes ad ractionem trium denariorum pro libra, quorum iudex habeat duas partes, et sapientes terciam partem. Et si a ccc. libr. supra, tunc sit arbitrio consulum ita tamen quod consules non possint dare iudici ultra centum sol. et cuilibet sapienti ultra viginti sol. pro aliqua questione. Et teneantur consules hoc capitulum legi facere dictis iudici et sapientibus cum fuerint in palacio nuxii antequam habeant scripturas parcium, et sine tenore.

De banno et laudagio non recipiendis per notarium.

674. Item quod notarius mercadandie, vel aliqua alia persona non possit nec debeat aliquo modo vel iure recipere nec habere aliquod bannum seu laudagium mercadandie quod ascendat a duob. sol. plac. supra, sed ipsa banna et laudagia debeat recipere camararius mercadandie.

De solucionibus cimatorum drapporum.

675. Item quod quilibet cimator drapporum possit accipere de quolibet brachio drappi lombardi quem cimaverit semel unum denarium si ille drappus valuerit a quindecim sol. plac. infra pro quolibet brachio. Si vero cimaverit pro duabus vicibus duos den. pro quolibet brachio. Et si valuerit ille drappus a quindecim sol. supra et cimatus fuerit semel possit accipere tres mezanos pro quolibet brachio. Et si pro duabus vicibus cimaverit, tunc possit habere tres den. pro brachio. Et si cimaverit aliquem drappum franciscum qui valeat a viginti sol. plac. infra per brachium pro duabus vicibus habere debeat pro cimatura tres denar. pro brachio. Et si cimaverit aliquem drappum franciscum (1) qui valeat a viginti sol. plac. supra pro duabus vicibus, habeat pro cimatura

(1) È osservabile che i pannilani Francesi si mettevano in commercio non ancora cimati. Da un Registro autentico esistente nella Bibliot. pubblica si ha che nel 1579 i *Cimatori* ascritti al Paratico erano 57.

quatuor denar. pro brachio. Et ultra predictas quantitates superius determinatas non possit aliquis cimator accipere in pena et banno viginti sol. pro qualibet vice, et teneantur hec facere iurare in palacio nuxii omnes cimatores infra octo dies postquam intraverint eorum consulatu. Et sine tenore.

De eodem.

676. Item quod dicti cimatores non possint accipere ab aliqua persona pro cimatura drappi de agnellino (1), bixeto, medie lane, valdemagno, et quolibet alio drappo lumbardo nisi tantum unum denarium pro brachio. Et sine tenore. Additum est huic capitulo MCCCXVI. de mense octubris, in pena et sub pena quinque sol. placent. pro qualibet vice, et accussator habeat medietatem.

De penis impositis draperiis vendentibus in diebus Dominicis.

677. Item quod aliquis drapperius non possit nec debeat vendere neque monstrare drappum in stacione sua alicui persone in diebus dominicis, neque in festivitatibus domini nostri Jesu Cristi, et eius matris, nec in festivitatibus apostolorum in pena insuperscripta. Et predicta duo capitula non intelligantur pro mortuis.

De compellendis draperiis iurare etc.

678. Et predicta duo capitula teneantur consules facere iurare omnes drapperios et disipulos eorum in palacio nuxii, et mittere pro eis infra quindecim dies postquam intraverint consulatum.

De pena imposita facientibus pomellos.

679. Item statuerunt quod nullus faber possit facere, nec fieri facere aliquem pomellum (2) argenti nisi de liga placentini grossi, que liga

---

(1) *Agnellino.* Questi erano panni grossolani poichè davasi un denaro per braccio al cimatore, mentre per gl' indicati sopra davansene sin quattro.

(2) *Pomellum. Pomolo* o *Pomo* per *spade, picche, mazze* ecc. Anche oggidì *pômèll* è del dialetto.

est et tenet septem unz. et unius quarti argenti finis pro marco, in pena et banno decem sol. plac. pro qualibet uncia, et perdendi illud oppus.

De solucionibus curatorum et extimatorum.

680. Item quod siquis factus fuerit curator aliquorum bonorum in palacio mercadandie, et non fecerit aliquam solucionem pro eo quod creditor sive creditores fuerint concordes cum debitore, sive quod ille debitor vellet facere soluctionem de suis bonis dictis creditoribus suis, quod tunc eo casu dictus curator habeat et habere debeat pro suis mercedibus ab illo creditore qui eum curatorem fecit fieri ad cuius postulacionem facte fuerint cride, duos denarios plac. pro libra, si debitum seu debita de quibus debuerit fieri soluctio ascenderint usque in centum libr. plac., et a centum libr. supra unum denarium, et illud idem intelligatur si extimatores aliqui ellecti fuerint ad extimanda aliqua bona et extimaverint, et solucio aliqua de ipsis bonis non fuerit facta creditori seu creditoribus ista causa ut superius continetur, quod tunc dicti estimatores habere debeant ab illo creditore qui fecerit fieri cridas pro eorum labore medietatem tantum eius tocius quod habere deberent si soluctiones fierent secundum formam capituli mercadandie super hoc editi.

De feodo et salario consulum mercadandie.

681. Item statuerunt quod consules mercadandie habeant et habere debeant pro eorum feodo et salario unius anni pro quolibet ipsorum decem libr. placent. omnibus aliis capitulis loquentibus de feodo consulum in hoc capitulo computatis, et quod aliquis consul non possit, nec presumat, neque debeat ordinare nec ordinare facere in aliquo conscilio vel aliter quod dictum feodum eis augeatur ultra dictas decem libr. plac. pro quolibet ipsorum, in pena et banno vigintiquinque libr. plac. pro quolibet consule et arengatore, et quod sint cassi ab illo consulatu, nec possit esse consul mercadandie perpetuo.

De modo elligendi consules mercadandie.

682. Item quod quando consules mercadandie elligentur et debuerint

elligi, quod ellectores cum ellecti fuerint debeant stare et elligere dictos consules in palacio quod est deversus hospicium campremaldorum, et ibi debeant elligere dictos consules, et non in palacio in quo sit Consilium.

De ellectione extimatorum et eorum feodo.

683. Item statuerunt quod quando consules debebunt elligere aliquos extimatores ad extimandum aliquid, non debeant nec possint elligere nisi tantum duos extimatores bonos et ydoneos, qui extimatores habere debeant pro eorum feodo et mercedibus hoc modo. Videlicet si res quam extimaverint valuerit usque in quinquaginta libr. plac. tunc habere debeant unum denarium pro libra pro quolibet, si vero a quinquaginta libris plac. supra valuerit usque in centum libr. plac. tunc habere debeant dicti extimatores ambo ad ractionem trium mezanorum pro libra. Et si a centum libris plac. supra valuerit usque in centum quinquaginta libr. plac. tunc habere debeant ad ractionem unius mezani pro libra pro quolibet, et ab illa quantitate supra arbitrio consulum qui tunc fuerint ad banchum habendo dicti extimatores solucionem de tanto et pro tanto quantum ascenderint quantitates creditorum scriptorum in libro mercadandie ad creditum. Et non ultra, non obstante eo quod res extimata plus extimata fuerit dictis quantitatibus, et hoc si solucio facta fuerit creditoribus per consules sine per curatorem ipsorum bonorum. Si vero soluctiones, facte non fuerint dictis creditoribus, tunc dicti extimatores habere debeant ab illis creditoribus qui scripti fuerint ad creditum in libro mercadandie medietatem eius tocius quod habere deberent si soluctiones facte fuerint. Si vero dicti extimatores exierint de civitate plac. et steterint per unum diem et unam noctem tunc habere debeant per diem et noctem duos sol. placent. ultra predicta, factis eis expensis de victualibus capitulo aliquo non obstante, et sine tenore.

De eo quod habere debent curatores non facientes soluciones.

684. Item quod si aliquis curator datus fuerit aliquibus bonis et non fecerit soluctionem, quod tunc habere debeat medietatem eius tocius quod habere deberet si soluctiones facte fuissent ab illis creditoribus qui scripti fuerint in libro mercadandie, capitulo aliquo non obstante.

De inquisicione de debitoribus pedagii Janue et plac.

685. Item quod consules teneantur infra quindecim dies ab eorum introytu et debeant circare et inquirere omnes debentes dare comuni mercadandie occassione pedagii Janue et plac. et consignare in scriptis sindico mercadandie, et facere operam quod predicta debita in bonis debencium recuperentur, et hoc in pena et banno decem libr. plac. pro quolibet consule.

Quod consules preconizari faciant de solucionibus cimatorum.

686. Item addiderunt capitulo quod loquitur de eo quod habere debent cimatores drapporum pro cimatura, quod consules faciant et teneantur infra quindecim dies ab introytu eorum facere preconizari illud et quantum dicti cimatores habere debent pro cimatura drapporum.

Addicio super tellis et fustaneis scavizandis.

687. Item addiderunt capitulo quod loquitur de scavizando pecias tellarum et fustaneorum que non fuerint legales in tribus boconis, quod ibi ubi dicit in tribus boconis quod consules teneantur facere scavizari per lungum ab uno capite usque ad aliud caput.

De hiis qui esse possunt consules mercadandie.

688. Item statuerunt et ordinaverunt quod quilibet qui sit de iurisdictione mercadandie possit esse consul et officialis mercadandie dummodo ipse non sit de alio paratico quam de illo mercadandie non obstantibus aliquibus statutis in contrarium loquentibus. Qui consul habeat et habere debeat etatem triginta annornm et non possit elligi in consulem nisi excesserit dictam etatem.

De curreriis mercadandie et quot esse possint etc.

689. Item quod de cetero sint et esse debeant tantum quinque currerii pro officiis mercadandie exercendo. Et alii sint cassi. Qui quinque

habeant feodum consuetum. Et quod dicti currerii sint hij. Ugacius medexanus, Raymundus ferarius, Millanus de nova, Guillelmus sitilis, et Iustinus de bruza.

De potestate renunciandi consulatum nuxii.

690. Item statuerunt quod quilibet qui fuerit ellectus consul mercadandie possit renunciare ipsi consularie infra octo dies postquam fuerit ellectus in ipsa Consularia. Et quod ellectio illius consulis qui renunciaverit reddeat in illos quinque ellectores qui eum ellegerint, quam ellectionem dicti ellectores tunc debeant facere in loco consueto. Et si omnes quinque ellectores non fuerint presentes qui eum elligerint, quod quatuor ex eis possint elligere, quorum quatuor tres sint in concordia, et si quatuor non essent quod tunc dicta ellectio reddeat in conscilio generali mercadandie.

De solucione corateriorum et maloseriorum.

691. Item quod quilibet coraterius et maloserius qui fecerit vendere aliquas domos, terras, ficta, et possessiones tantum habeat et habere debeat pro suo coratagio si precium ascenderit usque in centum libr. plac. a venditore duos denarios pro libra, et ab emptore unum denarium et non ultra. Et si precium ascenderit a centum libris supra, habeat et habere debeat tantum set a venditore unum denarium, et ab emptore unum ansem.

De eodem.

692. Item quod quilibet curaterius non debeat accipere pro coratagio de aliqua pecia fustanei telle, et burdorum tam sgreciarum quam albarum quam vendere fecerit que sit de quinquaginta brachiis nisi duos denarios, set ab emptore unum denarium, et a venditore unum denarium.

De modo dandi sentencias diffinitivas.

693. Item statuerunt et ordinaverunt quod quelibet sentencia diffinitiva que decetero dabitur super palacio nuxii debeat dari per unum iudicem et duo mercatores.

De terminis constitutis iudicibus.

694. Item quod quilibet iudex qui ellectus fuerit ad consulendum super aliqua questione interlocutoria et sentencia diffinitiva quod teneantur dare et prestare suum conscilium super interlocutoria usque ad tres dies. Et super diffinitiva sentencia usque ad octo dies, aliquibus statutis in contrarium non obstantibus. Et si (1) ille iudex qui ellectus fuerit ad consulendum postquam sibi notificatum fuerit debeat renunciare vel retinere ea die qua sibi notificatum fuerit.

De consulibus cassandis qui steterint per mensem extra civitatem.

695. Item si quis ellectus fuerit consul mercadandie, et steterit per unum mensem seu plus extra civitatem et episcopatum plac. quod sit cassus a consulatu. Et quod alii consules qui tunc fuerint teneantur et debeant facere elligi unum alium consulem loco eius infra octo dies a dicto mense elapsso in conscilio generali mercadandie. Et si ipsi consules contrafecerint, admittant medietatem feodi eorum.

De pena imposita consulibus non venientibus ad bancum.

696. Item statuerunt quod si aliquis ex consulibus non venerit ad bancum per suam deguriam secundum quod consules inter se ordinaverint iusto impedimento infirmitatis quod deus advertat, cessante, quod perdat medietatem feodi sui. Quam medietatem alii socii ipsius debeant exigere ab illo talle qui contrafecerit, sub pena amissionis medietatis feodi eorum.

De contrahentibus societatem cum imblanchitoribus.

697. Item statuerunt et ordinaverunt quod siquis imblanchitor seu aliquis alius de dicta arte contraxerit et fecerit societatem cum aliquo magistro in dicta arte, et ipse talis postea vellet ante finem societatis dividere et partire a dicto magistro sive ab illo cum quo contrasiscet

---

(1) Per il retto senso in vece del *si* dovrebbe qui essere *quod*.

societatem, quod tunc ille qui sic vellet recedere non habeat partem nec possit petere aliquam partem in laborerio quod fecisset in dicta societate, et quo pro ipsa societate non esset expletum. Et teneatur nichilominus finire et complere ipsam societatem usque ad finem. Et hoc statutum intelligatur si iret ad laborandum cum aliquo magistro. Et si disensio veniret a parte magistri propter deffectum ipsius magistri sui, quod tunc ipse laborator habeat suam partem dicti laborerii quod incepisset.

De pena imblanchitorum recipientium laboratores alicuius magistri nisi etc.

698. Item quod nullus laborator imblanchitor qui laboraverit cum aliquo magistro et ipsi magistro aliquid dare debuerit, non possit nec debeat recedere ab ipso magistro suo nisi prius satisdederit in opere vel in peccunia de omni eo quod sibi dare debuerit. Et quod nullus alius magister possit recipere illum talem laboratorem ad laborandum secum sub pena viginti sol. pro quolibet magistro contrafaciente. Medietas cuius banni sit consulum et alia mercadandie.

Quod consules mercadandie teneantur facere circari pensarolos et alia pensa.

699. Item quod consules mercadandie infra unum mensem ab introytu eorum regiminis teneantur et debeant facere circare omnes pensarolos et pensas formaiariorum, speciariorum et fabricorum si fuerint bone iuste et legales. Et quod teneantur consules habere super palacio mercadandie unum pensarolum et alias pensas iustas ad hoc ut possint iudicare alias pensas.

In cuius consilii (1) reformatione facto partito inter eos de levando ad sedendum per dictum dominum potestatem, placuit omnibus in dicto

---

(1) *In cuius consilii etc.* La presente sanzione o confirmazione è come una conseguenza del preambolo che sta in capo allo Statuto. Ed è anche da osservarsi che fu scritta dopo aver abrase dalla pergamena altre Sanzioni ed autentiche più antiche, e riferentisi alla vita libera dei Comuni prima delle dominazioni Viscontea ed Ecclesiastica.

consilio existentibus nemine discrepante quod predicta statuta omnia comunis et mercadandie sint et intelligantur esse aprobata, ratificata et confirmata in totum et per totum, et pro aprobatis ratificatis et confirmatis haberi et teneri, et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari in omnibus et per omnia ut superius per dictum Sapientem consultum est, ac super omnia statuta ibidem seriatim et verbotinus lecta essent. Hoc adjecto quod unus liber seu volumen in quo sint scripta omnia statuta nuxii et mercadandie remaneat et remanere debeat semper penes dominum potestatem placencie, et non credatur alicui statuto seu ordinamento ipsius nuxii et mercadandie, nisi sit et reperiatur scriptum in ipso libro seu volumine existente penes dictum dominum potestatem.

EXPLICIUNT STATUTA ANTIQUA

STATUTA MERCATORUM RECENTIORA (1)

Hec sunt statuta et ordinamenta Comunitatis et Universitatis omnium mercatorum mercadandie et nuxii placencie, et omnium paraticorum subpositorum Jurisdictioni predicte mercadandie. Facta et ordinata per Dominos Carnelevarium cupalatam et Jacobum de furnaria abbates (2) et socios emendatores capituli mercadandie, tempore consulatus Dominorum Opizonis mancaxolle maioris, Francischi ferrarii, Jacobi de torsello, Manfredi spelte, et Francischi mancaxolle consulum mercatorum, mercadandie, et nuxii placencie, ad Honorem et reverenciam Sanctissimi patris et domini domini Joannis divina providencia pape xxij., et Sancte matris Ecclesie, ac Reverendi patris et domini domini B. (3) dei gratia tituli Sancti Marcelli presbiteri cardinalis, ac Sedis apostolice in lombardia legati, et ad bonum et pacificum statum Civitatis et districtus Placencie, et ad exaltacionem omnium fidelium amicorum eiusdem Sancte Romane Ecclesie. Annis curentibus MCCCXXIIJ, Indictione VII. de mense Novembris (4).

---

(1) Colla cacciata dei Visconti da Piacenza per opera di Vergiuso Landi che vendicò l' onta fatta alla propria moglie da Galeazzo, venne meno il Ghibellinismo. Ond' è che gli Statuti che qui si danno come appendice agli antecedenti hanno sapor Guelfo, ed accennano a regime dispotico, mentre i primi erano l' espressione della vita libera dei Comuni.

(2) *Abbates.* Così chiamavansi talora i capi delle arti ed anche del popolo. Gio. Villani ha: *Nel detto anno i Capitani di Genova, e l' Abao del popolo ecc.,* lib. 9. cap. 93.

(3) *B.* È il Cardin. Beltrando del Poggetto legato del Papa per la Lombardia.

(4) Il presente preambolo si riferisce anche agli statuti antecedenti, e vedesi infatti ripetuto in testa dell' intero volume, ove fu posto a modo di *confermazione* lasciando sussistere anche quello del 1321, che è Visconteo, e vi fu scritto dopo aver abraso l' antico preambolo Repubblicano. V. l' avvertimento posto a capo degli Statuti.

De auxilio dando dominis Rectori et Capitaneo per Consules Mercadandie.

1. Primo statuerunt et emendaverunt concorditer ad Honorem et Reverenciam Dei et Beate Virginis Marie, quod futuri consules huius paratici nuxii sive mercadandie debeant et teneantur dare Dominis Rectori et Capitaneo societatis mercatorum et paraticorum placencie forciam, conscilium, auxilium et iuvamen pro posse eorum ad manutenendum ipsos Dominos Rectorem et Capitaneum, et statum pacificum civitatis, et ipsam civitatem et districtum in libertate Ecclesie Sponse Dei, ad Honorem Sanctissimi patris et domini, domini Johannis divina providencia pape xxij., et Sancte Romane matris Ecclesie, ac Reverendi patris et domini B. divina gratia tituli Sancti Marcelli presbiteri Cardinalis, ac sedis apostolice in lombardia legati, et ad exaltationem omnium eiusdem Sancte Romane ecclesie fidelium et amicorum.

Nemo possit esse consul mercadandie nisi sit fidelis sacro sancte Ecclesie et amator . . . . . (1).

2. Item statuerunt quod nemo possit eligi nec esse Consul mercadandie, nisi sit fidelis Ecclesie sacro sancte et verus amator partis ipsius, et gaudens de presenti statu placencie, et si electus fuerit elecio non teneat de se facta, et elector non sit de conscilio nisi usque ad quinque annos proxime venturos. Et hoc capitulum teneantur consules qui pro temporibus fuerint execucioni mandare, et quod nemo possit esse consul mercadandie, neque oficialis eiusdem, neque de conscilio dicte mercadandie nisi fuerit amator et fidelis sancte Ecclesie Romane . . . . (2).

Quod nullus possit esse currerius mercadandie qui non sit de parte Ecclesie.

3. Item statuerunt quod nullus possit esse currerius mercadandie seu

---

(1) Qui fu abraso il manoscritto, e vi si leggeva probabilmente *amator partis ipsius,* come leggesi nella Rubrica.

(2) Qui fu parimente abraso il manoscritto, e presumo vi si leggesse *et de parte Guerfa,* come leggesi nella Rubrica seguente.

nuxii qui non sit de parte Ecclesie et de parte Guerfa (1) nunc regente in civitate Placencie. Et si consules contrafecerint perdant feodum eorum, et sine tenore.

Scribatur Conscilium dactum per sapientes ea die qua dabitur ante quam sol sit stramontatus.

4. Item statuerunt et emendaverunt quod si aliqui sapientes tam Judex quam mercatores electi fuerint ad consulendum super aliqua questione, teneantur scribi facere conscilium dicte questionis pro qua electi fuerint antequam sol sit stramontatus. Et si scribi non fecerint dictum conscilium antequam sol sit stramontatus, quod non possint postea scribi facere dictum conscilium, et quod nullum premium habeant neque habere possint pro eorum labore. Et predicta teneantur consules denunciare incontinenti sapientibus cum electi fuerint antequam scripturas parcium habeant. Et quod dicti Judex et sapientes non possint descendere de palacio nisi prius scripta fuerit sentencia. Et sine tenore.

Ille consul qui nunquam fuit consul mercadandie teneatur dare aliis consulibus prandium.

5. Item quod si quis electus fuerit in consulem mercadandie qui nunquam fuisset Consul, teneatur et debeat dare prandium seu unum convivium aliis consulibus et sociis suis, et notario mercadandie, et camarario ipsius infra unum mensem vel duos postquam intraverit consulatum. Et si predicta non fecerit, amittat feodum suum, et sine tenore.

De racione reddenda fienda contra et adversus dominos societatum.

6. Item statuerunt quod consules teneantur facere et reddere complementum Justicie cuilibet persone petenti aliquid alicui societati seu dominis alicuius societatis, et que habuerit aliquam pollezam factam per manum alicuius domini societatis quando dicta polleza aprobata fuerit

---

(1) La voce *Guerfa* sta cancellata nel ms. ma in modo che riesce leggibile, e senza incertezza.

esse scripta per manum alicuius ipsorum dominorum per duos vel tres bonos testes mercatores in palacio mercadandie. Hoc acto quod si illi testes qui testificare debuerint dixerint dictam pollezam esse scriptam manu dictorum dominorum vel alicuius ipsorum ex eo quod cognoscant litteras eorum per similitudinem, licet non fuissent presentes quando dicta polleza scripta fuerit, plene valeat dicta probacio. Et cum fuerit legiptimata dicta polleza et aprobata ut premittitur, Consules teneantur vincullo sacramenti reddere et facere sumariam et brevissimam racionem eidem postulanti ac si esset publicum instrumentum, et quod dominus sive domini societatis illius, et eciam omnes qui fuerint et esse consueverint ad faciendum et claudendum racionem dicte societatis, possint et debeant realiter et personaliter conveniri et detineri ad solvendum illud debitum seu quantitatem pecunie que in dicta polleza videbitur conveniri. Et eciam compelli ad consignandum librum seu libros racionis societatis illius debitoris seu debitorum, et si non consignaverint quod consules possint eum vel eos condempnare eorum propria auctoritate qualibet vice qua sibi preceptum fuerit et non consignaverint in decem libr. plac. et pluri arbitrio consulum, et sine tenore. Et hoc valeat tam in preteritis et presentibus, quam futuris.

De magistris restarum circhandis.

7. Item statuerunt et ordinaverunt quod consules mercadandie qui pro tempore fuerint debeant mittere infra quindecim dies postquam intraverint consulatum pro illis magistris qui faciunt restas pro tesendo quod non debeant facere aliquam restam a triginta portaturis infra a faciendo tellam mercaderiam que sint sigillate bulla eorum magistrorum, et facere eos iurare. Et si contrafecerint quod solvant qualibet vice quinque sol. plac.

Quod nullus possit esse notarius nisi exercuerit officium manu propria.

8. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus possit esse notarius mercadandie, nisi fecerit oficium sua manu propria, excepto quod pater possit facere pro filio, et frater pro fratre, et aliter non possit esse notarius.

Quod qui habet staderiam teneatur scribere totam mercadandiam que pensabitur.

9. Item statuerunt et ordinaverunt quod ille qui habebit staderiam mercadandie teneatur et debeat scribere aut scribi facere totam mercadandiam que pensabitur tociens quocies pensabitur, et precium illius mercadandie, et nomina emptorum et vendictorum, et diem mensis.

De racione reddenda de quolibet scripto facto manu alicuius mercatoris.

10. Item statuerunt et ordinaverunt quod consules mercadandie teneantur et debeant facere et reddere racionem cuiconque persone de quolibet scripto facto et scripto de manu alicuius mercatoris qui dicat ego talis debeo tibi tantam pecuniam, sicut facerent et redderent de instrumentis publici notarii.

De sofrano non bagniando.

11. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus specialis civitatis placencie non audeat nec presumat bagniare sofranum quem ponet in piperata, in pena et banno decem sol. plac. pro qualibet vice. Et quilibet sit accussator, et habeat medietatem banni et quod consules teneantur et debeant mittere pro pestatoribus piperis, et facere eos iurare quod accussabunt illos qui ponunt sofranum bagnatum in piperata (1).

Statuta facta per dominos Jacobum de torsello et petrum gimbellum abbates et socios emendatores capitulli mercadandie tempore consulatus dominorum Carnelevarii cupalati, Bernardi de Judeo, Bernardi scoti, Albertoni de Porta, et Oberti tridapanis Consulum mercatorum mercadandie et nuxii plac. MCCCXXV. Indicione nona de mense Octubris.

---

(1) Son da correggersi i Dizionarii che male descrissero questa *peverata*. Era veramente un condimento fatto con pepe e zafferano come risulta da diversi luoghi dei presenti Statuti.

Quod consules teneantur scribi facere omnia nomina et pronomina mercatorum.

1. Statuerunt et emendaverunt quod Consules mercadandie teneantur et debeant infra octo dies postquam eorum intraverint consulatum scribi facere omnia nomina et pronomina omnium mercatorum tenencium banchum sive cambium et staciones drapparie in burgo plac. et ipsa ponere in uno sacheto, et de ipsis debeant dicti consules extrahere singulis Kalendis unum de dicto sacheto qui teneatur et debeat pensare omnes florenos qui ei portabuntur ad pensandum, quod si facere non posset liceat ei comitere ad pensandum alicui de sua stacione, et non possit comitere alicui qui sit minor xx. annorum nec maior quinquaginta ann. Et quod ipsi consules teneantur mittere illi talli penssatori ballancias et pensas bonas et iustas ad quas pensare debeat et teneatur omnes dictos florenos, et duret per unum mensem tantum. Et finito ipso mense ipsi Consules extrahere debeant unum alium de dicto sacheto pro mense sequenti. Et sic procedere de mense in mensem quousque ipsa nomina fuerint finita. Quibus finitis a capite ad consimilia debeant reddere seu retornare. Qui pensator teneatur et debet diligenter et iuste pensare et recte iudicare. Et quod quilibet florinus qui reperiretur in lenguello (1) seu de ponta possit et debeat recipi pro bono et iusto per quasconque personas. Et quilibet florinus qui reperiretur esse minor iusto penso possit et debeat recipi per quascomque personas detraendo seu diminuendo de precio ad racionem sex denariorum pro quolibet grano quo minor esse reperiretur, quod granum sit de ramo, et quod quilibet pensator possit et debeat accipere pro eius remuneracione et paga ad racionem sex denariorum pro Centenario florenorum ab illo qui dederit ipsos florenos insolutum alicui si ibi fuerit presens. Et si non fuerit presens ab illo qui fecerit ipsos florenos pensare.

De eodem.

2. Item eodem modo et forma fiat in totum et per totum de omnibus

---

(1) *In lenguello seu de ponta.* Pare intendessero che se la bilancia stava in bilico i Fiorini erano tenuti buoni. *Lenguellum* potrebb' essere l' indice delle bilance che ne indica le oscillazioni.

tenentibus banchum sive cambium, staciones drapparie et speciarie circonquaque plateam maioris Ecclesie, et ponantur in uno alio sacheto.

Quod omnes processus qui fient sub consulibus nuxii teneant et valeant.

3. Item statuerunt et ordinaverunt quod omnes processus qui deinceps fient sub consulibus mercadandie tam diebus feriatis quam non feriatis teneant et valeant ac si facti essent diebus Juridicis, et contra ipsos processus nullus audeat resistere, et hoc in pena et banno centum sol. plac. illi qui resisteret, quod bannum consules teneantur ei auferre. Et sine tenore. Et hoc intelligatur si processus factus fuerit occasione alicuius mercadandie empte vel vendicte, vel eciam cambii.

Quod consules teneantur scribi facere hec statuta.

4. Item statuerunt et ordinaverunt quod proximi futuri consules teneantur et debeant infra sex menses postquam intraverint consulatum scribi facere hec statuta et has addiciones et omnia statuta ab hinc retro facta in cartis ovinis in volumine statutorum que non sunt in volumine statutorum. Et hoc sine tenore.

Statuta et ordinamenta facta per dominos Montenarium Maxillam, et Obertum tridapanem abbates et socios emendatores capituli mercadandie tempore consulatus dominorum Oberti scovaluci, Albertacii poysii, Dondacii de amico, Francischi aghinoni, et Christophori scoti Consulum mercatorum mercadandie et nuxii placencie MCCCXXVj. Indicione decima de mense Octubris.

Quod deinceps tres consules eligantur ad mercadandiam.

1. Primo statuerunt et ordinaverunt quod deinceps eligantur tres Consules ad mercadandiam tantum eo modo forma qua eligi consueverunt. Videlicet quilibet ipsorum ad quinque brevia per quinque electores, quorum maior pars sit in concordia, et qui consules cessent et cessare

debeant per unum annum, qui consules habeant pro eorum feodo triginta lib. plac. videlicet quilibet ipsorum decem lib. Et qui consules teneantur observare omnia statuta in eorum sacramento contenta precisse et sine tenore. Et qui electores sint de conscilio mercadandie, et nullus possit eligi in consulem nisi per homines de conscilio mercadandie.

Quod nullus possit esse consul nisi excesserit etatem triginta annorum.

2. Item quod deinceps nullus possit esse consul mercadandie nisi excesserit etatem triginta annorum et qui non exerceat aut exercere faciat cotidie artem seu officium mercadandie. Et quod consules qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint teneantur per sacramentum facere iurare electores quod non elligent aliquem in Consulem contra hoc presens statutum. Et si contrafactum fuerit quod electio sit cassa, et quilibet ipsorum electorum ipso iure sit condempnatus in viginti sol. plac. et quod dicti consules debeant hoc statutum facere legi in generali conscilio quando consules debuerint eligi et sine tenore.

Quod nullus paraticus nisi duos consules deinceps habere debeat.

3. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus paraticus, neque homines alicuius paratici qui sint supositi iurisdicioni mercadandie deinceps presumat facere nisi duos consules pro paratico. Et si contrafecerint condempnetur quilibet paraticus in centum sol. plac.

De florinis doratis.

4. Item quod consules mercadandie teneantur per sacramentum facere cridari quod nullus mercator debeat alicui dare nec ab aliquo recipere aliquem florinum auri qui sit doratus, nec aliquis faber audeat dorare nec dorari facere aliquem florinum auri in pena et banno decem libr. plac. cuilibet fabro (1).

(1) Non è ovvio l' intendere a quale scopo si potessero dorare i fiorini d' oro. Cosa rilevante dovea essere se misero la grave multa di dieci lire.

Quod consules teneantur detineri facere quemlibet debitorem fugitivum.

5. Item statuerunt et ordinaverunt quod si quis debuerit habere ab aliquo suo debitore aliquam pecuniam, et ipse debitor venerit coram consulibus causa accipiendi terminum de ipsa pecunia, et ipse debitor non esset homo sufficiens vel esset fugitivus, tunc consules ad postulacionem creditoris si ipse creditor pecierit, debeant ipsum debitorem facere detineri quousque solverit creditori suo id quod debuerit, aut dederit ydoneam securitatem, et hoc sine tenore.

Quod conscilium mercadandie sit deinceps Centum quinquaginta hominum.

6. Item statuerunt et ordinaverunt quod deinceps conscilium comunis mercadandie sit et esse debeat numero Centum quinquaginta hominum. Videlicet de hominibus paraticorum et qui utuntur mercadandia, aut qui faciunt fieri mercadandiam, et aliqui alii non possint esse de dicto conscilio. Et quod illi centumquinquaginta debeant scribi in libro statutorum in uno vel duobus foliis de litera cinabilis (1).

De festo fiendo ad honorem Dei et Beate Marie Virginis de Augusto.

7. Item statuerunt et ordinaverunt ad honorem Dei et Beate Virginis Marie et Curie celestis quod Consules futuri debeant per sacramentum omnibus annis per tres dies ante festum Sancte Marie mensis augusti facere requirere omnes consules paraticorum iurisdicionis mercadandie, et ipsis precipi facere quod ipsi consules cum hominibus eorum paraticorum debeant venire ad palacium mercadandie in Vigilla Beate Marie Virginis post nonam ad sociandum dictos dominos consules mercadandie ad oferendum ad Ecclesiam maiorem. Qui domini consules merca-

---

(1) *Cinabilis* per *cinabro*, manca ai Glossarii. Del resto i nomi dei 150 del consiglio si veggono pegli anni 1353, e 1360 scritti in cinabro in calce del ms.

dandie debeant habere tres brandonos (1) cere videlicet quilibet ipsorum unum brandonum de quatuor libris cere expensis mercadandie, et quod quilibet consul paratici habere debeat unum ceriollum cere de una libra. Qui blandoni et ciriolli omnes debeant portari ad dictam Ecclesiam magiorem ad oferendum per ipsos consules. Et omnes debeant reddire cum dictis dominis consulibus mercadandie ad palacium ipsius mercadandie. Et similiter dicti cunsules paraticorum cum hominibus paraticorum debeant reverti in die festi in mane ad dictum palacium, et cum dictis consulibus mercadandie ire debeant ad dictam Ecclesiam magiorem ad oferendum, et a dicta Ecclesia omnes debeant reddire ad dictum palacium mercadandie cum dictis dominis consulibus mercadandie. Qui domini consules mercadandie tunc debeant inquirere dictos consules paraticorum per sacramentum si ipsi consules paraticorum preceperunt omnibus hominibus de eorum paratico quod deberent venire ad asociandum ipsos dominos consules mercadandie, ut supra continetur. Et si quis dictorum hominum paraticorum inventus fuerit non venisse condempnetur et pignoretur in continenti in duobus soldis plac. pro quolibet. Et si consules paraticorum non precepissent condempnentur et pignorentur in quinque sol. plac. pro quolibet, quorum medietas sit consulum mercadandie, et alia medietas sit comunis ipsius mercadandie. Et hoc sine tenore.

Quod staciones mercatorum debeant clauderi in Vigilla Sancte Marie de Augusto.

8. Item statuerunt et ordinaverunt quod quilibet de iurisdicione mercadandie debeat claudere staciones eorum in Vigilla Beate Marie Virginis in hora none. Et ipsas staciones clausas tenere per totam illam diem Vigille a dicta hora in antea, et per diem festi, et hoc in pena et banno duorum solidorum pro quolibet, et sine tenore.

Statuta et ordinamenta facta per dominum Jacobum de Torsello ab-

---

(1) *Brandòn* è voce viva anche oggidì in dialetto piacentino, e serve ad indicare non torchj di cera, ma lanterne infisse su aste che si portano nelle processioni, ed in altre funzioni ecclesiastiche.

batem et socios emendatores capituli mercadandie tempore consulatus dominorum Carnelevarii cupalate, Oberti Scovaluchi, et Francischi tridapanis consulum mercatorum, mercadandie, et nuxii plac. Anno currente MCCCXXviij. Indicione duodecima de mense octubris.

Ne aliquis faber audeat dorare aliquam monetam alicui persone.

1. Statuerunt et ordinaverunt quod nullus faber audeat dorare aliquam monetam argenti alicui persone aliqua de causa, et hoc in pena et banno sexaginta sol. plac. pro qualibet vice.

Quod pecunia que debet dari mercadandie detur Camarario et non Consulibus.

2. Item statuerunt et ordinaverunt quod si aliquis de iurisdicione mercadandie dare debuerit aliquam pecuniam dicto comuni mercadandie, quod illam dare teneatur Camarario dicte mercadandie tantum, et non alicui ex consulibus mercadandie, nec eciam notario ipsius.

Statuta et ordinamenta de nouo emendata per dominos Johannem de magistro martino abbatem, et Bernardum scotum, Obertum scovalochum, Jacobum de Ziliano, Franciscum tridapanem, Johannem de Dominicis, Albertonum pertolensem, Albericum de meti, Obertum de Vixirano Martinum de numerario, Petrum bonum oliarium et socios emendatores capituli mercadandie tempore consulatus dominorum Jacobi de Torsello, Francischi Aghinoni, et Armani farixelli consulum mercatorum mercadandie et nuxii placencie Anno Domini MCCCXXviiij. Indict. XIII. de mense octubris.

1. In primis statuerunt quod si quis de iurisdicione nuxii debuerit habere ab aliquo pecuniam causa mercedum et inde fuerit tesera clavata, quod consules teneantur facere sumariam racionem de dicta tesera sine aliqua allegatione facienda. Et hoc sine tenore.

2. Additum est per dictos dominos abbatem et emendatores capitulo quod loquitur de forma pensandi florenos quod statutum fuit factum in anno MCCCXXvj. quod illi floreni qui fuerint inventi esse minus uno grano, et ab uno grano supra debeant vincere pensam.

Statuta et ordinamenta facta et de novo emendata per dominos Gerardum druncum Abbatem, Johannem de lantelmo, Gregorium raziam, Francischum aghinonum et socios emendatores capituli mercadandie tempore consulatus dominorum Bernardi scoti, Petri mastrucii, et Johannis dominici consulum nuxii plac. Anno ab Incarnat. Domini MCCCXXX. Indic. xiiij. de mense Octubris.

1. Primo statuerunt et emendaverunt quod consules mercadandie et nuxii teneantur vinculo sacramenti elligere unum bonum virum et ydoneam personam qui excesserit etatem xx. annorum qui tenere debeat pensum comunis ad ponderandum florenos. Et ille qui electus fuerit non audeat tenere cambium ad illud banchum ad quod tenebit dictum pensum et balancias. Que debeant bis in mense per ipsos consules mercadandie examinari et approbari. Et qui sit ellectus non possit approbare pro bono aliquem florenum quem ponderabit nisi transeat lenguellum dictarum balanciarum, nec eisdem balanciis nullum avantagium dare teneatur.

2. Item statuerunt ad honorem Sancti Andree quod consules debeant facere oblationem in festo Apostoli predicti, scilicet quilibet Consul de uno turonense argenteo, et camararius de uno veneto argenteo, et notarius de uno veneto argento, ac quilibet currerius de uno bolognino argenteo. Et qui contrafecerit incurrat penam expellendi ab officio suo.

3. Item statuerunt quod consules debeant in pena eorum salarii fieri facere unam turrim seu campaninum super qua ponatur campana mercadandie. Et ad quod fiendum pensiones stationum mercadandie converti debeant.

4. Item statuerunt quod de quolibet pisce salato qui ad civitatem plac. per aliquam personam conducetur in foliis et cavagnis, debeant dari vigintiocto lib. et iij. unz. pro quolibet pondere, eo quod detrahy debetur tres libr, et unz. iij, pro tara cavagnarum, foliarum, canavacii, et canarum.

Statuta et ordinamenta de novo emendata et ordinata per dominos Jacobum de Torsello abbatem, Guillelmum porum, Opizonem villanum, francischum Aghinonum, Johannem de Dominicis, Raymondum de Andreis, Rufinum gonduynum, Petrum mastrucium, Johannem de curte, Petrum bonum oliarium, Petrum Lorium, et Thomaxium de valenza

emendatores Capituli mercadandie tempore consulatus dominorum Carnelevarii cupalati, Albertacii podixii, et Armani farixelli consulum mercatorum mercadandie, et Nuxii plac. Anno ab incarn. domini MCCCXXXj. indict. quintadecima de mense octubris.

1. Statuerunt quod quelibet persona que conduxerit in civit. plac. pisses salatos siccos causa vendendi teneatur dare emptori pro benedicione unam libram cuilibet centenario.

2. Item statuerunt quod notarius mercadandie teneatur scribere per ordinem in quodam quaterno raciones introytus et exitus camararii mercadandie sicut scribit dictus camararius, ad hoc ut nulla fraus esse possit in ipsa racione. Et debeat retinere illud quaternum penes se.

3. Item statuerunt quod consules teneantur infra quindecim dies ab introytu eorum convocari generale conscilium in quo debeant proponere de procurando et ordinando quod statuta mercadandie debeant approbari per dominum Camerarium domini nostri domini Legati presidentem pro ipso domino Legato, et pro Sancta Romana Ecclesia in civitate plac.

4. Item quod Consules teneantur facere depingi arma Sancte Romane Ecclesie super palacio mercadandie, videlicet extra in duabus partibus, et intus in una parte ad minus.

Statuta et ordinamenta facta et de novo emendata per dominos Obertum tridapanem, abbatem, Andriolum de cornu, Guidonem tajaferrum, Palmerium tramotam, Johannem de puteo, Armanum farixellum, Jacobinum de burgo, Salvum maginum et socios emendatores capitulorum mercadandie tempore consulatus Cristofori scoti, Francischi Aghinoni, et Petri mastrucii Consulum mercatorum mercandie et nuxii plac. Anno ab Incarn. Domini Millesimo trecentesimotrigesimosecundo. Indict. prima de mense Octubris.

1. Cum ad honorem et augmentum tocius mercandie et nuxii civitatis plac. eo quod non elliguntur preter tres consules ad officium consulatus, et alia paratica elligant quatuor et sex consules, non sit honorabilis imo reddundat in dedecus, idcirco emendatores statuerunt sicut hactenus elligebantur tres consules, quod ammodo elligantur quatuor ad dictum officium.

2. Item statuerunt quod quatuor currerii sint deinceps qui servire debeant paratico mercandie et nuxii et consulibus.

3. Item statuerunt super capitulo quod loquitur quod nullus possit elligi in consulem mercandie qui suis manibus aliquam artem exerceat quod statutum factum fuit MCCCXXVj, illud cassaverunt et annullaverunt, ac iuberunt ex libris mercandie penitus canzelari, ita quod nullius sit valloris.

4. Item statuerunt quod quilibet lizator et quelibet lizatrix civitatis et districtus plac. ac quilibet alius faciens pecias fustaney et telle teneatur ipsas facere ad mensuram triginta portaturarum ad minus. Et quod pecie fustanei et tellarum facte ad formam Cremonensem, Papiensem et Pontremolensem nullus audeat facere nec presumat. In pena et banno trium libr. plac.

5. Item statuerunt quod quilibet faber teneatur et debeat laborare et laborari facere laborerium centurarum, frixaturarum, monilium, et aliorum guarnimentorum argentorum de liga argenti veteris plac. in banno v. sol. plac. pro qualibet unzia dicti laborerii, et quod laborerium sic factum de alieno argento omnino frangi et destrui debeat, et nichilominus ipsum laborerium reduci debeat ad ligam argenti veteris plac.

6. Item statuerunt quod si quis de paratico nuxii et mercandie bonis suis cessisset, vel dictis bonis suis cedere vellet, quod non habeat nec habere possit aliquod officium quod pertineat dicte mercandie, et quod si ad aliquod officium elligeretur quod eius electio sit cassa et nullius valoris, ac eciam quod de libris mercandie omnino debeat canzelari.

7. Item statuerunt quod consulibus mercandie liceat emere unum palium pro offerendo festo Beate Virginis Marie, in quo palio possint expendere usque in decem libras plac. et non ultra de avere dicte mercandie.

Statuta et ordinamenta de novo emendata per dominos Cristoforum scotum abbatem, Jacobum de torsello, Nicolaum de bubiano, Obertum tridapanem, Bernardum de Vicomarino, Leonardo de bondono, Gabrielem de puteo, Obertum de Viustino, Martinum de numerario, Petrum bonum oliarium, et Francischum de Larocha emendatores capituli mercadandie tempore consulatus dominorum Albertacii podixii, Johannis de puteo, Andrioli de cornu, et Armani farixelli Consulum mercatorum, mercadandie et nuxii plac. Anno ab incarn. Domini Millesimo trecentesimo trigesimo tercio indicione secunda. de mense Octubris.

1. In primis statuerunt quod consules futuri sint absoluti a vinculo sacramenti de faciendo fieri campaninum sive turrim super qua debebat poni campana mercadandie.

2. Item statuerunt quod aliquis de iurisdicione mercadandie qui exerceat aliquam artem non possit esse maloserius illius artis quam exercet sub pena viginti solid. pro quolibet mercato quod fecerit, et sit ille talis cassus ab officio dicte malosarie.

3. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus de iurisdicione mercadandie audeat vel presumat falsificare bullam mercadandie aliquo modo. Et si quis inventus fuerit facere contra predicta, condempnetur in Centum sol plac. Et ultra hoc puniatur pro comuni plac. pro falsario.

4. Item statuerunt quod consules futuri infra unum mensem post introytum suum teneantur facere totum posse quod pensum florenorum restituatur comuni mercadandie. Et debeant mitere expensis mercadandie unum vel duos bonos viros quos elligere voluerint ad dominum nostrum dominum Legatum, et eum rogare pro parte mercatorum et mercadandie plac. ut restituat dictum pensum dicto comuni mercadandie.

CAPITULA DE MERCATORIBUS FUGITIVIS

In nomine Domini Amen. Hoc est exemplum confirmationis et quorundam Capitulorum Statutorum Mercatorum Mediolani sumptum et exemplatum ab autentico et orginali libro dictorum Statutorum per me infrascriptum Remolium Panigayrolam notarium et gubernatorem Statutorum Comunis Mediolani et dictorum mercatorum, ad peticionem instanciam et requisicionem Uberti gazoti notarii publice persone presentis petentis et requirentis nomine et vice ac eciam procuratorio nomine Danielis de cario, Salvini de florenzola, et Dondacii de amico Civium placencie, ac nomine et vice cuiuslibet persone cuya (*sic*) interesse poterit. Quorum confirmacionis et capitulorum statutorum tenor talis est. In nomine Domini Amen. Millesimo trecentesimo quadragesimo primo. Indic. decima, die Veneris vigesimo octavo mensis Septembris. Prudens vir dominus Jacobus de strictis Vicarius magnificorum dominorum Johannis Dei gratia Episcopi Novarie, et Luchini fratrum de Vice-

comitibus Mediolani, et dominorum generalium. Et cum eo infrascripti de dominis duodecim presidentibus provissionibus et defenssionibus Civitatis Mediolani, quorum nomina sunt hec. Guillelmus de Lafera Jurisperitus, Alamaninus Alamanus, Ubertinus Mantegacius, Paxius de Vicomercato, Andreas de Carchano, Mapheus quondam Leonardi de Puteobonello, Achilles Stampa, Guidotus Ferrarius de Gradi, et Castellus de Lomatio. De voluntate et beneplacito predictorum dominorum Mediolani infradicta omnia et singula Statuta mercatorum in foliis quadraginta unius computato presenti primo folio in quo est confirmacio, et in capitulis Centum viginti tribus ultra prohemium per eos mercatores sive per illos quos eligere voluerunt facta et compillata, et eis dominis et Vicario exhibita ut confirmarentur tanquam statuta provide et consulte facta, et pro comuni bono utilia, sicut ipsi domini, Vicarius, et duodecim cognoverunt. Ea omnia et singula firmaverunt et corroboraverunt. Et providerunt statuerunt et ordinaverunt ipsa statuta et ordinamenta esse valitura, et debere observari a quibusconque in Civitate et districtu Mediolani tanquam statuta et ordinamenta dicte Civitatis, ac si firmata essent per generale conscilium ipsius Civitatis sicut iacent et sonant ad litteram. Salvo tamen et reservato quod in omnibus et singulis Capitulis dictorum Statutorum adicio, casactio, correctio et interpretatio remaneant prefactis dominis Johanni et Luchino dominis Mediolani. Ita et taliter quod ipsi domini Johannes et Luchinus ea omnia et singula mere possint cassare mutare minuere declarare interpretari, ac eis addere quociens eis placuerit ad eorum liberam voluntatem.

In primis namque statuerunt et ordinaverunt etc. Item etc. Quecumque persona aget vel conveniet de cetero ex causa negociationis vel cambii intelligatur esse mercator absque alia probacione. Scilicet simplex verbum amborum abbatum vel duorum consulum Justicie mercatorum sufficiat ad plene probandum quod aliquis sit mercator, et quod res aliqua sit mercadancia. Cum sepe accidat quod aliqui malo spiritu moti negociacionibus et rebus ad credenciam acceptis in magnis quantitatibus prout plus invenire et recipere possunt fraudulose se absentant, et fugam faciunt, et res suas immobiles si quas habent dimittunt impeditas per aliquos falsos seu nefarios contractus factos in fraudem creditorum, ad obviandum maliciis et fraudibus talium fugitivorum et qui similia vellent perpetrare, statuitur quod consules Justicie negociatorum Mediolani et

quilibet eorum omnia statuta facta et que de cetero fierent per comune Mediolani contra fugitivos et eorum defensores et factores in favorem creditorum suorum debeant et teneantur summarie observare et observari facere et execucioni mandare. Quecunque bona habuit fugitivus per menses tres antequam fugeret sua esse presumantur. Et si quis diceret se ea aliquo titulo aquisivisse, in fraudem alienata esse presumantur. Unde in eis habeant creditores ius pignoris et ypoteche alienacione aliqua non obstante (1).

Item quod si quis debitor ex causa negociacionis vel cambii vel peccunie commodate seu deposite, vel ex precio alicuius rei mobilis fugam fecerit et se abscentaverit, statim postquam de fuga ipsius constiterit, si non comparverit coram consulibus ex quo citatus fuerit, vel si comparuerit et non satisderit de solvendo ut superius, Consules mercatorum teneantur et debeant creditores ipsius fugitivi somarie ponere in possessionem et tenutam bonorum et rerum dicti fugitivi que per eum vel eius nomine, seu per aliquem vel aliquos de sua familia qualecunque sit sive serviens sive domicellus sive alius vel alia quecunque tenebantur et possidebantur tempore fuge seu abscentationis ipsius, vel per sex menses in nomine ipsius fugitivi, eciam sine banno vel alia solempnitate. Et in ea tenuta et possessione eos manutenere et defendere, et quod possint sumarie sine libelli dacione et sine strepitu iudicii cognoscere et procedere contra quemlibet qui diceretur ex aliquo simulato contractu velle defendere dicta bona in preiudicium vel dampnum creditorum, et difinire somarie et sine strepitu iudicii omnes questiones que predictis occasionibus moverentur donec venerit et satisdederit idonee de solvendo, et habeat locum tam in contractibus iam cellebratis cum illis qui fugerunt vel fugiunt quam in futuris celebrandis. Et in casibus tam preteritis quam presentibus et futuris. Et hoc aliqua lege non obstante.

---

(1) Lo Statuto antico non ha rubriche *de Mercatoribus fugitivis.* Onde pare che la disonestà in commercio fosse o ignota o men comune. La Rubrica 22. è così espressa *De pena suis bonis cedentis.* E s' interdice ai falliti di essere ufficiali di Mercanzia, vietando anche il negoziare con essi. Nello Statuto del 1346. la Rubrica dei Falliti sta così = *Quiconque honere debitorum oppressus de bonis suis fecerit cessionem non habeat nec habere possit officium nec beneficium nuxii, et reputetur tanquam infamis.*

Item quod tales fugitivi ubicumque reperiantur capi et detineri possint et bona eorum robari eciam sine aliquo banno. Et hoc non obstantibus aliquibus dilactionibus causarum vel capcionum, et capti detineantur nisi solvant creditoribus, vel ydoneam satisdacionem prestent arbitrio consulum de debito indicato solvendo.

Item statuerunt quod quidquid repertum fuerit ex bonis alicuius fugitivi vel que tenebat et possidebat tempore fuge vel per sex menses ante comparciant equaliter inter omnes creditores sive sint creditores vel esse appareant per cartam publicam et condempnacionem quantum ad bona fugitivorum. Inter tales creditores non sit cause vel temporis privilegium. Et si quis ex ipsis creditoribus peteret ultra quam in veritate recipere debebit, privetur et ipso iure privatus sit, et nichil ex predictis habeat, et insuper condempnetur in libras decem terciollorum. Cuius medietas sit Comunis Mediolani, et alia dicte societatis. Et hoc statutum habeat locum, solummodo inter mercatores publicos et usitatos exercentes mercadandias, et non contra alios qui non sint publici et usitati mercatores.

Si quis debitor vel defenssor alicuius ex causis supradictis dicatur et presumatur persona fugitiva et non secura seu non solvendo, et intelligatur ille debitor fugitivus quod non fuerit paratus satisdare vel non satisdederit cum bonis fideiussoribus de debitu solvendo, Consules ad peticionem creditoris teneantur et debeant eciam sine aliquo banno facere robari et capi et captum detineri ipsum debitorem vel fideiussorem usque vel solucionem debiti, vel quousque satisdederit de debito seu iudicato solvendo eciam infra terminum debiti solvendi, in quo casu consules recepta dicta satisdacione prorogent terminum debitori et fideiussori usque ad menses duos, nec possit opponere fedeiussor primo conveniendo fore principalem quam fideiussorem, set sit in arbitrio creditoris conveniendi quem velit primo non obstante lege aliqua in contrarium loquente.

Item si quis produxerit instrumentum vel condempnacionem vel scriptum in questione existente de rebus vel super rebus talium fugitivorum quod dicatur et videatur Consulibus et Judici suo fore suspectum vel simulatum, vel maioris quantitatis quam sit verum debitum, et quod dicatur produci pro rebus debitoris defendendis in preiudicium creditorum, Consules et Judex Consulum somarie et modis omnibus inquirere possint de suspectione vel simulatione contractus, et sacramenta recipere

a producente de veritate dicenda et eum condempnare in libr. viginti-quinque terciollorum, si post sacramentum prestitum dixerit per illud instrumentum vel condempnacionem vel scriptum recipere debere ab illo debitore fugitivo vel ex rebus eius id quod in veritate recipi non debeat, vel si aliter denegaverit post prestitum sacramentum, et insuper perpetuum scilencium imponere ipsi producenti. Quod possit et debeat sub pena libr. ducentarum terciollorum de suo salario inquiri per dominum Potestatem Mediolani et eius iudices contra fugitivos tam preteritos quam futuros seu qui in futurum fugerint per omne genus tormenti, et omnibus aliis modis quibus melius poterit non obstante ordine vel substancia vel solempnitate Juris seu Judicii, et non obstante quod legiptima iudicia vel coniecture non precesserint, dum tamen primo constet de fuga per publicam famam, et non obstante aliqua appellacione vel protestacione vel alia alegacione que dici vel excogitari possit, et quod predicti inquirentes de nullo gravari possint de processu quem fecerint qualitercunque fuerit, nec sindicari, nec sub sindicis respondere, sed pro absolutis ex nunc habeantur et reputentur.

Item quod patres fratres et filii et uxores talium fugitivorum et factores et socii et omnes ascendentes et descendentes qui cum eis stant ad unum panem et vinum teneantur, et obligati sint in solidum creditoribus eorum fugitivorum. Et contra eos et quemlibet eorum possit et debeat procedere quemadmodum contra fugitivos potest procedi.

Item statuerunt quod postquam tales fugitivi requisiti fuerint coram consulibus negociatorum Mediolani, vel alio Jusdicente de maleficio et fuga et persona suspecta et fugitiva, si comparverint teneantur satisdare de debito seu indicato solvendo. Et si non comparverint, vel si comparverint et non satisdederint ut supra, baniantur de malleficio et fuga et persona suspecta et fugitiva, in quo banno pretereantur infra dies octo. Et de quo banno non exhimantur nisi prius infra predictum terminum fecerint satisdactionem. Et omnis iniuria et offensio facta et data in persona et rebus talis banniti perpetuo remaneant impunita excepto homicidicio (*sic*).

Item quod predicti fugitivi et patres et fratres predicti, et filii factores et socii et alii descendentes talium fugitivorum a decemocto annis supra habeantur pro bannitis maleficii et fuge. Et ipso facto intelligantur et sint banniti malleficii et fuge de Civitate et Comitatu Mediolani.

Item quod aliquis de civitate vel comitatu Mediolani vel aliunde non audeat nec presumat tales fugitivos vel fratres vel factores vel socios vel eorum ascendentes et descendentes albregare (*sic*) vel receptare in persona vel rebus in domibus suis vel aliis, vel dare eis vel alicui eorum in persona vel rebus conscilium auxilium vel favorem, nec allegare vel advocare pro eis. Et qui contrafecerit condempnetur in libras ducentum terciollorum, et pro qualibet vice. Et nichilominus talis receptator et factor teneatur ad debita omnia dictorum fugitivorum. Et quod predicti potestas et eorum Judices et consules iusticie mercatorum Mediolani possint et debeant sub predicta pena librarum ducentarum sui salarii inquirere de predictis ut superius, et processum facere ipsis scientibus ipsos fugitivos esse.

Item quod liceat unicuique creditori talis fugitivi ubique capere et detinere, et capi et detineri facere illum talem fugitivum et fratres qui secum stabunt tempore fuge ad unum panem et vinum et filios et de bonis eius accipere et robare et in solitum retinere sua auctoritate cum banno et sine banno, et cum servitore et sine servitore.

Item quod quilibet creditor fugitivorum et eius nuncii possint impune sine banno et servitore vel nuncio Judicis capere et detinere et capi et detineri facere ipsos fugitivos, et captos detinere et consignare in forcia Comunis Mediolani vel consulum Justicie mercatorum. Et quod possit petere conscilium et auxilium a comunibus et hominibus burgorum locorum et terrarum. Et quod comunia et homines burgorum locorum et terrarum Comitatus Mediolani teneantur dare ipsi creditori et eius nunciis auxilium conscilium et iuvamen ad capiendum tales fugitivos sub pena libr. quingentarum terciollorum pro qualibet vice. Illud idem facere possint creditores de bonis fugitivorum.

Item quod contra tales fugitivos stetur dicto mercatorum qui adhybiti fuerunt per Judicem ad terminandum questiones talium fugitivorum eciam si de credulitate dixerint. Et quod Judex teneatur infra dies decem accipere mercatores ydoneos secundum quod ei videbitur ad huiusmodi inquisiciones faciendas. Sub pena libr. vigintiquinque terciollorum pro qualibet vice.

Item quod si tales fugitivi se concordaverint cum creditoribus suis infra duos mensses postquam fecerint fugam quod exhimantur de omnibus bannis. Tamen nichilominus semper sint infamati a mercadancia

Mediolani, et nunquam possint habere oficium vel beneficium pro mercadancia nec a comune Mediolani.

Item quod tales qui tenentur et habentur pro fugitivis non possint stare in Judicio per procuratores, nisi ipsi procuratores bonam et ydoneam satisdacionem fecerint de debito seu iudicato solvendo arbitrio Consulum vel Abbatum Mercatorum. Et nihilominus tamen questio mota terminatur et vigore et tenore presencium capitulorum quantum ad decisionem non tamen quantum ad penas.

Item statuitur quoque quod quicunque negociator vel campsor in futurum fugerit seu se absentaverit fraudolenter, de quo sit vel fuerit notorium pro eo quod non velit respondere creditoribus suis, vel non respondeat postquam fuerit requisitus coram consulibus et bannitus de malleficio et fuga, puniatur et condempnetur arbitrio potestatis si pervenerit in forcia comunis Mediolani. Et omnis iniuria et offensio facta in persona vel rebus ipsius remaneat perpetuo impunita excepto de homicidio, nec amplius recipiatur vel habeatur vel tractetur per Comune Mediolani tanquam suus civis vel contadinus, et hoc non obstante aliqua solempnitate Statutorum Comunis Mediolani loquente in contrarium, que omissa fuerit vel non servata. Et maxime statuto quo caretur de accusa vel denunciacione et citacione seu requisicione, et de scribendo in banno.

Item statuitur quod aliqua pax vel remissio vel finis non prosit tali fugitivo, nisi placuerit comunitati creditorum.

Item statuitur quod omnia bona que dictus fugitivus vet aliquis pro eo tempore fuge habebat, per sex menses ante intelligantur fuisse et esse ipsius fugitivi. Et quod sui creditores ponantur in possessionem per Comunem Mediolani ipsorum bonorum. Et quod ipsi creditores possint facere de ipsis bonis tanquam de suis propriis quidquid voluerint.

Item quod quilibet fugitivus possit capi et detineri in persona, non obstante dillatione presarum presente vel futura.

Item statuitur quod per Dominum Potestatem Comunis Mediolani detur opera cum efectu cum Comunibus et rectoribus cuiuslibet Civitatis, Castri, seu Terre, quod predicti mercatores et campsores fugitivi capiantur et detineantur in personis et rebus in suis partibus, et transmittantur Potestati Mediolani. Et quod non permittantur stare vel habitare in aliqua civitate, castro, vel terra. Et super hiis fiant pacta et conventiones cum aliis Civitatibus Castris et villis sicut melius videbitur.

Item statuitur quod potestas Mediolani et eius Judices et milites teneantur et debeant sub pena libr. ducentarum terciollorum Potestati, quinquaginta terciollorum cuilibet Judici et militi de suo proprio havere vel salario inquirere contra fugitivos tam preteritos quam futuros omnibus modis quibus melius poterint non obstante ordine vel substancia Juris non servata, vel quod coniecture non precesserint, dum tamen primo constet de fuga per publicam famam. Et non obstante aliqua appellacione vel protestacione vel alia allegacione que dici vel excogitari possit. Et quod predicti inquirentes de nullo gravari possint de processu quem fecerint qualiscumque ille fuerit, nec sindicari, nec sub Sindicis respondere. Sed pro absolutis ex nunc habeantur et reputentur. Et eciam intelligatur esse probatum plene de fuga hoc ipso quod non satisdat plene et ydonee de iudicato solvendo. Et hoc dummodo fiant inquisiciones secundum formam presencium Statutorum.

Statuitur quoque quod socii et deffensores talium fugitivorum teneantur ad debitum, scilicet illi socii qui sunt socii illius negociacionis. Et intelligantur defensores ad hoc ut teneantur ad debitum fugitivi illi qui prestant eis conscilium auxilium vel favorem ne ipsi fugitivi capiantur. Et qui impedirent ne ipsi fugitivi caperentur, vel eorum bona, vel eos receptarent.

Item quod predicta omnia statuta loquencia contra fugitivos locum habeant tantum in mercatoribus et campsoribus fugitivis qui fugam facerent cum alio havere, sive cum eo in quo aliis tenebantur.

Item statuerunt quod patres et fratres talium fugitivorum teneantur ad debita ipsorum fugitivorum, et eciam si starent seorsum a talibus fugitivis, nisi ostenderint divissionem factam inter eos per publicum Instrumentum, et non aliter. Quod instrumentum sit factum per menses sex ante fugam, vel steterint vel stetissent seorsum per decem annos sustinendo onera et factiones Comunis sui quilibet per se, hoc acto quod hoc statutum sit derogatorium aliis statutis in contrarium loquentibus. Et secundum hoc Statutum debeant intelligi omnia alia statuta circa hoc loquencia, eciam si huic in aliquo viderentur obviare.

Item statuitur quod si aliquis uteretur aliquo instrumento adversus bona et iura et acciones que erant tempore fuge ipsorum debitorum, vel infra sex menses a tempore fuge, vel que ei competebantur aliquo dictorum temporum, quod instrumentum videatur suspectum Potestati

vel eius Judicibus vel Consulibus Mercatorum Mediolani, quod dicti Potestas, Judices et Consules possint et debeant sub pena libr. ducentarum terciollorum seu sallarii, inquirere de tali suspectione per eorum officium, per testes vocem et famam vel aliis modis quibus melius ad inveniendum ipsam suspectionem poterunt. Et inventos punire tamquam pro falsitate. Et nichilominus teneantur ad debita fugitivorum in ea quantitate quam peterent per illud instrumentum.

Item quod predicta omnia Statuta loquencia contra fugitivos locum habeant et serventur in fugitivis tam preteriti temporis, quam pressentis et futuri.

Quilibet debitor vel fideiussor ex causa negociacionis seu mercadancie, vel gestionis alicuius negociacionis, vel pro cambiis vel depositis, vel recomendacionibus factis alicui Mercatori seu penes eum vel aliqua occaxione ex predictis orta vel secuta, dum constet de debito per cartam vel condempnacionem vel per scripturam manu debitoris stantem, vel aliqua earum, eciam si causa debiti non sit aposita in illa scriptura, vel alio modo appareat debitor, seu constet de debito, termino solvendi debitum ellapso teneatur et debeat solvere creditori tantum in peccunia numerata et non in alia re. Et nisi solverit debitum in pecunia numerata, capiatur personaliter et captus detineatur, nec exire possit de carcere nisi solverit debitum in peccunia numerata, vel se concordaverit cum creditore. Et hoc Statutum locum habeat in contractibus preteritis, pressentibus et futuris. Et si aliquod statutum in aliqua parte sui foret vel esse reperiretur aliqualiter in favorem alicuius fugitivi vel suorum convictorum de quibus supra facta est mencio, habeatur pro non facto, nec intelligatur fore factum nec valere quod videretur in favorem vel comodum eorum fugitivorum aliqualiter redundare.

In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem Millesimotrecentesimoquadragesimoseptimo. Indicione quintadecima Die martis decimoseptimo mensis Aprilis. Hoc exemplum per me subscriptum Remolum panigayrolam notarium scriptum et sumptum ex publico et originali libro dictorum Statutorum insinuatum fuit domino Christofano de bozachis de Regio Judici et Vicario domini Potestatis Mediolani ad Signum Leonis, eo pro tribunali sedente super pallacio novo Comunis Mediolani ad dictum signum. Et in eius presencia per me ipsum Remolum et alios infrascriptos notarios dilligenter cum ipso autentico originali libro Statutorum ascul-

tatum et concordare inventum. Et quia ipse dominus Vicarius cognovit illud exemplum cum ipso autentico et originali libro concordare, ut eidem exemplo de cetero tamquam ipsi originali plena fides adhibeatur suam et Comunis Mediolani auctoritatem interposuit et decretum. Et hoc ad peticionem instanciam et requisicionem suprascripti Uberti gazoti suprascripto nomine petentis et requirentis.

Ego Remollus Panigayrola filius quondam domini Remi notarius Civitatis Mediolani porte Vercelline, parochie Sancte Marie ad Portam, et gubernator Statutorum Comunis et Mercatorum Mediolani snprascriptum exemplum Statutorum loquencium de Mercatoribus fugitivis mea manu sumptum ex autentico et originali libro dictorum Statutorum, per me sinuatum fuit suprascripto domino Christofano de bozachis Vicario ut supra, et in eius presencia per me et alios infrascriptos notarios cum ipso originali libro diligenter ascultatum, et cum eo de verbo ad verbum concordare inventum. Et in premissorum fidem et testimonium me subscripsi, et meo solito signo signavi.

Ego Marcholus Porrus filius quondam domini Paulini notarius Civitatis Mediolani porte ticinensis, parochie Sancti Ambroxii in solayrolo suprascriptum exemplum manu suprascripti Remoli sumptum, una cum ipso Remolo panigayrola notario, et cum infrascriptis Blaxio porro et Bartolo de caxate notariis in presencia suprascripti domini Vicarii cum ipso autentico et originali libro diligenter examinavi et ascultavi, et concordare inveni. Ideo in testimonium premissorum me subscripsi.

Ego Blaxius porrus filius domini Ramengi notarius Civitatis Mediolani porte nove, parochie Sancti Stefani ad nuxigiam suprascriptum exemplum manu suprascripti Remoli sumptum una cum ipso Remolo et suprascripto Marcholo et infrascripto Bartolo notariis diligenter cum ipso autentico et originali libro in presencia suprascripti domini Vicarii ascultavi. Et quia utrumque concordare inveni, ideo in testimonium premissorum subscripsi.

Ego Bartolus de caxate filius quondam Johanolli notarius Civitatis Mediolani porte Vercelline, parochie Sancte Marie ad portam, suprascriptum exemplum manu suprascripti Remoli sumptum una cum ipso Remollo et suprascriptis Marcholo et Blaxio notariis, in presencia snprascripti domini Vicarii cum ipso autentico et originali libro excultavi (*sic*). Et quia utrunque concordare inveni, ideo in testimonium premissorum me subscripsi.

In libro Registri litterarum transmissarum per Magnificum et Excelsum dominum dominum Luchinum Vicecomitem Civitatis Mediolani, Placencie etc. Dominum generalem Nobili viro domino Ottoni burro potestati Civitatis plac. et districtus pro dicto domino Luchino suprascripto, ac sapientibus et Comuni dicte Civitatis talis littera reperitur = Luchinus Vicecomes etc. Volentes improbis auferre materiam malignandi, et ipsorum actus formidato supplicio refrenare, auctoritate qua fungimur edicimus, volumus et mandamus quod omnes et singuli malefactores et alii cuiuscunque gradus existant de Civitate nostra Mediolani bannum, habeant de malleficio, de Civitate nostra placencie bannum habere intelligantur, et pro bannitis tractentur, et e converso quod banniti ipsi de Civitate Mediolani in Placenciam se reducentes et habitantes, sint in eodem gradu quo essent si Mediolani habitarent, ac subiaceant eisdem penis tam realibus quam personalibus quibus subiacerent si in Mediolano essent. Et e converso volumus quod Statuta Mediolani de mercatoribus et fugitivis personis mencionem faciencia locum habeant in Placencia, et eandem quam in Civitate Mediolani obtinent debeant in Civitate nostra firmitatem roboris obtinere, sicque in Mediolano et Placencia malefactores ipsi ac fugitivi equaliter pertractentur non obstantibus Statutis vel provisionibus in contrarium loquentibus, que nullius esse volumus roboris vel valoris. Data Mediolani Sexto Februarii MCCCXLVJ. = In scripcione huius littere continetur: Nobilibus viris Potestati, Sapientibus, et Comuni nostris Placencie. Ego Grixantus catarus notarius et dictator Comunis Placencie suprascriptam litteram ex libro Registri literarum Comunis Placencie extrassi et subscripsi.

Ego Opizo miluus notarius autenticum huius exempli vidi et legi in quo continetur ut supra, et manu propria fideliter exemplavi et subscripsi.

Ego Symon de montecuco notarius autenticum huius exempli vidi et legi in quo continetur ut supra, et manu propria fideliter exemplavi et subscripsi.

Anno ab Incarnatione Domini Millesimotrecentesimoquadragesimoseptimo. Indicione quintadecima. Die vigesimo octavo Mensis Madii. Placencie in domibus Comunis iusta banchum Dictarie, Coram Boniohanne de Vicino filio quondam Jacobi vicinie Sancti Andree in Burgo, Nicolao de Ziliano filio quondam Gregorii vicinie Sancte Margarite, Leonardo podixio filio quondam Albertacii vicinie S. Symonis et Jude testibus rogatis

= Sapiens et discretus vir dominus Franciscus de Syrigariis de Papia Judex et Vicarius Nobilis viri domini Johanoli de Mandelo honorabilis Potestatis Civitatis Placencie et discrictus pro Reverendo in Christo Patre et Domino Johanne Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Mediolanensis Ecclesie Archiepiscopo, et Magnifico domino domino Luchino fratribus Vicecomitibus Civitatum Mediolani Placencie etc. dominis generalibus, precepit michi Oberto malclavello notario infrascripto utpote publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice domini Opizonis vilani de porta, et Bernardi et Nicolini fratrum de Vicomarino, et Raynaldi cuppalate de porta Civium et Mercatorum Placentinorum, ac Consulum Mercatorum Civitatis Placencie, et eciam omnium mercatorum Placentinorum, quatenus suprascriptum exemplum confirmacionis viginti septem capitulorum Statutorum Mercatorum Mediolani sumptum et exemplatum ab autentico et originali libro dictorum Statutorum per suprascriptum Remolum Panigayrolam notarium filium dicti quondam domini Remi, et insinuatum suprascripto domino Christofano de buzachis per suprascriptum Remolum, et dictos Marcholum porrum et Blaxium porrum et Bartolum de caxate, et subscriptum per ipsos notarios, et eciam quatenus superscriptam litteram extractam ex dicto libro Registri placencie per suprascriptum Grixantum catarum notarium, et postea exemplatam et scriptam per Opizonem miluum notarium, ex autentico exemplo huius littere, et postea exemplatam et scriptam per Symonem de montecuco notarium ex dicto autentico, deberem pure et in publicam formam redigere et scribere. Ita quod inde vim et robur obtineat ut predicta exemplum Statutorum et autenticum dicte littere auctoritatem qua fungebantur et eandem fidem eisdem adhibeatur.

Ego Obertus malclavellus notarius suprascriptum exemplum confirmacionis et Capitulorum Statutorum et superscriptam litteram precepto predicti domini Francischi sumpsi et sumpta publicavi, exemplavi, et manu mea propria fideliter subscripsi.

Ex parte Consullum mercadandie Civitatis Placencie requiritur a nobilibus et sapientibus viris dominis Consulibus mercadandie Civitatis Mediolani ut provido viro Opizoni villano Consuli mercadandie Placencie latius presens Conscilium vellint exhibere super capitulis infrascriptis.

Primo in capitulo si quis mercator fugam fecerit, quomodo iudicatis de fuga. Talis ordo servatur.

Quod citato debitore ut compareat personaliter coram nobis, si non comparverit vel si comparverit et non satisdederit de debito seu judicato solvendo, habetur et reputatur pro fugitivo.

Item quem ordinem tenetis in citacione fienda de mercatoribus fugitivis. Talis ordo servatur.

Quod talis debitor citatur ex parte Consulum ad propriam domum habitacionis presentibus duobus testibus ut compareat personaliter ad satisdandum cum bonis fideiussione de debito seu iudicato solvendo occaxione talis debiti. Si comparverit tenetur satisdare aut ire ad carceres, et datur terminus in citacione octo dierum si est absens. Si non est absens datur ei terminus unius diei. Et si dictus debitor non comparuerit datur ei bannum malleficii et fuge in quo prebeat a diebus octo in ante quam bannum datum coram consulibus mercatorum.

Item quem modum observatis in dividendo bona ipsorum inter Creditores suos cum carta vel sine carta. Talis ordo servatur.

Quod omnia bona dictorum fugitivorum compartiuntur equaliter inter omnes creditores habentes cartam vel condempnacionem vel scriptum manu debitoris factum, et non inter alios non habentes cartam, vel condempnacionem, vel scriptum.

Item si dant fidem Instrumentis factis in lombardia in alienis civitatibus, et ultra montes. Talis ordo servatur.

Quod ubicunque facti fuerint contractus occaxione negociacionis vel cambii, adhibetur plena fides ipsis contractibus. Et super eis fiunt processus contra debitores ac si facti forent in Civitate Mediolani.

Item si postquam ille mercator fugitivus fuerit detentus, et eo existente detento et non habente quod unde possit debitis creditorum responderi, possit procedi contra patrem matrem et fratres. Tallis ordo servatur.

Quod pater potest compelli ad solvendum debitum filii sui obligati aut ipsi filio obligato assignare partem legiptimam omnium suorum bonorum, ex qua et super qua quatenus atingerit creditor solucionem suam consequatur, et bene potest procedi contra patres fratres filios et uxores tallium fugitivorum a decemocto annis supra.

Item qualiter intenditis de hujusmodi mercatoribus, et quales dicitis mercatores. Talis ordo servatur.

Quod omnes contrahentes ex causa negociacionis vel cambii habentur et reputantur pro mercatoribus.

Item si conscilium vestrum mercadandie est solum de mercatoribus aut sociatum aliis non mercatoribus. Talis ordo servatur.

Quod Consulles mercatorum elliguntur per habbates mercatorum, qui habbates sunt mercatores. Et qui habbates non elligant aliquem in Consulem nisi fuerit mercator, aut predecessores sui steterint mercatores.

Ego Vantirolus Collionus notarius et canzellarius officio negociacionis Mediolani mandato dominorum Abbatum et Consulum mercatorum Mediolani predictas omnes responsiones factas ipsis capitulis scribi feci et me subscripsi in testimonium premissorum. MCCCL. Indicione tercia. Die XXVj. Mensis Februarii.

EXPLICIUNT STATUTA MERCATORUM.

10052142

STATUTA ANTIQUA

COMMUNIS PLACENTIÆ

10052142

STATUTA ANTIQUA COMUNIS PLACENTIE (1)

LIBER PRIMUS

In nomine sancte et individue trinitatis: et ad laudem dei omnipotentis eiusque piissime matris: et beati antonini militis protectoris huius civitatis totiusque curie celestis ad reverentiam sancte matris ecclesie et sancti Romani imperii ad exaltationem et statum perpetuum magnifici domini nostri domini Galeaz (2) vicecomitis: comitis virtutum Mediolani placentie pergami cremone laude cumarum verzellarum etc. domini generalis ad bonum et pacificum statum civitatis placentie et districtus infrascripta sunt statuta: deo propicio perpetuo valitura facta condita emendata et correcta sumpta etiam ex statutis (3) episcopatus et districtus domini generalis.

Quod dominus Galeaz sit et intelligatur dominus placentie et cetera.

1. In primis statutum et ordinatum est quod idem dominus galeaz vicecomes virtutum Mediol. etc. dominus generalis sit et intelligatur esse per se heredesque suos in perpetuum civitatis placentie episcopatus et

---

(1) Corpo di Leggi anteriore a quello di Galeazzo I.° Visconte non è più reperibile. Il presente viene edito sulla prima rarissima stampa del Sec. XV., e sopra un ms.° membranaceo di proprietà del Conte Bernardo Pallastrelli, che porta lo Statuto del 1336. il quale dicesi nel preambolo fatto compilare da Galeazzo I.° e quindi ratificato anche da Azone nel suddetto anno. L' antico Statuto de' tempi liberi è perduto.

(2) Questa di Galeazzo Conte di Virtù non è che una confermazione ch' egli fece nel 1391; ma la compilazione dello Statuto presente risale a Galeazzo I.° come risulta dal ms.° Pallastrelli che reca anche una conferma di Azone Visconti fatta nel 1336. V. in fine Nota A.

(3) *Ex statutis.* Un ms.° del Comune nel *liber Dominici* ha *sumpta etiam ex statutis olim bone memorie quondam domini Galeaz Vicecomitis Civitatis Placencie Episcopatus et districtus domini generalis.*

districtus dominus generalis et habeatur et intelligatur habere per se suosque heredes civitati episcopatui et districtui merum et mixtum imperium et gladii potestatem iurisdictionem omnimodam et exercitum eorundem: ita et taliter quod dictus magnificus dominus noster dictum imperium et iurisdictionem exercere possit in civitate predicta episcopatu et eius districtu placentie plenarie et expresse per se vel cui commiserit libere sine aliqua legum vel statutorum contradictione dantes et concedentes eidem ex abundanti plenum et generale arbitrium et bailiam de exercendis dictis imperio et iurisdictione in civitate episcopatu et districtu predictis sicut et quo modo eidem videbitur et placuerit concedentes etiam eidem omnia iura civitatis nostre: tam in redditibus quam in fluminibus et aque ductibus montibus et piscationibus venationibus tesauris et alia quecunque ad dictam civitatem nostram eiusdemque episcopatum et districtum pertinere noscuntur de consuetudine vel iurisdictione taliter quod de predictis omnibus facere possit pro eius libito voluntatis: et in ipsum magnificum dominum nostrum eiusque heredes potestatem omnem communis predicti et imperium transferentes. Statuentes etiam quod quidquid idem dominus dominus noster magnificus per litteras vel in alio modo preceperit iniunxerit decreverit vel mandaverit pro lege vel statuto civitatis nostre precise debeat observari: ita quod eius voluntas in quolibet casuum declaret addat corrigat suppleat minuat: et de novo faciat statuta et eorum interpretationem: suppletiones et minutiones et correctiones et presentibus statutis et futuris in perpetuum in civitate placentie predicta. Et predicte declarationes additiones correctiones suppletiones minutiones et de novo factiones pro statutis et legibus debeant observari: non obstantibus quantum ad predicta vel aliquod predictorum aliquibus legibus, vel canonibus statutis vel consuetudinibus, privilegiis vel decretis que predictis vel alicui predictorum viderentur quomodolibet esse contraria.

Quod in consilio generali eligantur lx. *ad brevia.*

2. Item statutum et ordinatum est quod deinceps electio potestatis communis placentie fiat hoc modo videlicet quod in consilio generali communis placentie eligantur sexaginta electores ad brevia scilicet decem pro qualibet porta qui eligere debeant potestatem futurum: de quibus debeant

esse quadraginta in concordia: et ille qui habuerit quadraginta voces sit et esse debeat potestas secundum formam statutorum et ordinamentorum communis placentie et quod dicti ellectores debeant elligi in dicto consilio in mane ante tertiam: et teneantur et debeant elligere potestatem antequam pulsetur ad completorium fratrum minorum vel predicatorum. Alioquin sint privati iure elligendi et ulterius elligere non valeant illa vice: et elligantur de novo alii ellectores in consilio generali modo supradicto qui elligant potestatem forma supradicta: et potestas teneatur facere legi hoc statutum ipsis ellectoribus postquam simul fuerint congregati: et hec omnia precise debeant observari: que ellectio fieri debeat per duos menses ante exitum cuiuslibet potestatis.

De sindico mittendo potestati.

3. Item statutum est et ordinatum quod dominus potestas placentie presens: et qui pro tempore fuerit teneatur et debeat mittere sindicum tubatorem communis placentie cum uno notario dictarie placentie infra sex dies electo in potestatem a die ellectionis facte de ipso potestate ellecto: et quod dominus potestas teneatur et debeat facere examinari litteras et sindicatus instrumentum que mitti debebunt electo in potestatem duobus iurisperitis si facta fuerit iure debito: et si dictus potestas hoc non observaverit sindicetur et sindicari debeat et condemnetur in xxv. libris placen. nulla exceptione obstante. ita quod propter ipsam ellectionem non aquiratur ius aliquod alicui qui elligeretur in potestatem nisi ipsa ellectio fuerit sibi denunciata: et salarium promissum per sindicum communis placen. et nisi venerit ad dictum regimen de quibus acceptatione et presentatione et predictis omnibus per ipsum notarium qui mittetur fiat publicum instrumentum.

De sacramento potestatis et familie sue et sindicatu ipsorum.

4. Ego potestas civitatis placentie iuro ad sancta dei evangelia ad honorem altissimi creatoris et gloriose virginis marie: et beati martiris sancti antonini defensoris huius civitatis (1) et omnium sanctorum bona

(1) Il ms.° del 1336 ha anche *et Beati Donini, et omnium Sanctorum* ecc.

fide et sine fraude remotis odio amore timore et spetiali proficuo et damno meo et alieno ac omni malignitate et fraude regere et gubernare et salvare civitatem placen. et districtum et omnes et singulos civitatis placentie et districtus: et rationem facere per me et iudices meos civiliter et criminaliter de omnibus petitionibus et querimoniis ac lamentationibus seu acusis que mihi fient et iudicibus meis et ad me pervenerint, seu ad iudices meos usque ad finem mei regiminis secundum formam datam mihi et iudicibus meis per statuta et reformationes communis placentie factas et fiendas et secundum iura communia in casibus per statuta non terminatis: Et septem (1) iudices habebo unus quorum sit vicarius et assessor et alius ad maleficia. aliorum vero unus sit in causis civilibus ad rationem reddendam ad banchum cervi: et alius ad banchum grifonis: alius ad officium camere pro debitis et pecun. communis exigendis: alius super victualibus: alius super viis et pontibus et stratis deputatus: et tres milites seu sotios mecum habebo et tenebo toto tempore mei regiminis: et pro feodo et sallario meo ero contentus pro me et iudicibus meis: tota mea familia si fuero ellectus et regimen fecero civitatis placentie et districtus usque ad sex menses in mille trecentis libris placen. tantum pro me et iudicibus meis et tota mea familia seu sotietate secundum quod in conventionibus factis inter me ex una parte et commune placen. vel eius sindicum ex alia plenius continetur: Quod salarium habere possim et non aliter per tres terminos videlicet tertiam partem primis duobus mensibus: Aliam tertiam partem secundis duobus mensibus. Ultimam tertiam partem ultimis duobus mensibus dicti mei regiminis. Salvo quod de hac tertia parte ultima ducente libre placen. deponi debeant penes idoneum et legalem campsorem civitatis plac. et illas ducentas lib. sic depositas penes idoneum et legalem campsorem possim habere et debeam finito tempore sindicatus si fuero absolutus nec ultra predictam quantitatem habere vel requirere possim nec debeam per me vel per alium aliquo modo casu vel ingenio nec occasione hospitii: seu domus vel aliqua alia occasione: nec possim exire de districtu placen. toto tempore mei regiminis: nec inde licentiam petere consilio vel communi

---

(1) Il ms.° del 1336 ha *Et sex*. Ma per errore di scritturazione, perchè le attribuzioni sonovi poi ripartite pei sette Giudici.

placen. nisi pro negotiis et utilitatibus spetialibus communis. In consilio due partes ipsius consilii sint in concordia de licentia danda mihi potestati. Item quod ego potestas non possim repatriare aliqua ratione seu modo vel causa. Idem observetur de iudicibus et militibus potestatis quod non possint repatriare aliqua ratione seu modo absque licentia consilii generalis communis placentie et cum licentia consilii generalis comunis placentie possint repatriare et non aliter possint stare per x. dies et non plus: et ero contentus de dicto salario tantum nec aliquid ultra recipiam ab aliquo etiam esculentum vel poculentum, nec cum aliquo cive comedam in civitate placentie ita quod proponi non possit consuli vel arrengari per aliquem de dicto salario augumentando vel aliquid ultra dictum salarium mihi dando. Et si consiliarii de civitate et districtu in civitate placentie in consilio generali vel privato vel arengo seu alio modo vel aliquis alius diceret consulendo vel recordando quod potestas ultra predicta haberet vel reciperet condemnetur et condemnatus sit ipso iure qualibet vice in centum libris placentie nulla defensione ei data quas solvere teneatur infra quindecim dies postquam fuerint predicta: et quam condemnationem ipse potestas exigere teneatur infra dictum temporis xv. dierum. Alioquin ipse potestas perdat de feodo suo ipso iure libras centum placen. et omnes iudices et milites quos mecum habuero stare faciam in civitate placen. toto tempore mei regiminis ad regimen civitatis placentie nisi aliquis de familia mea haberet licentiam a consilio generali predicto modo: et ipsos ibi tenebo, nec aliquem mutabo aliqua ratione vel causa nisi forte causa mortis, et (1) casu quo mihi liceat alium accipere loco defuncti: et super hoc non possim habere vel requirere consilium: et si receptum fuerit nihil valeat. Sed sit cassum et irritum et nullius valoris: et tenear ego potestas habere et habebo toto tempore mei regiminis in mea familia vigintiduas personas ad minus computatis in his iudicibus et militibus meis et octo domicellis quos tenere debeo: et etiam computatis sex regatiis (2) quos tenere debeo: et ultra predictum numerum habebo. xxv. baroarios sive soldatos pedestres quorum quilibet habeat de havere communis placentie viginti denarios placen. tantum; inter

---

(1) Il ms.° 1336 ha *Et eo casu mihi liceat* ecc.

(2) Il ms. 1336 ha *sex ragaciis*.

quos non sit nec esse debeat filius aut frater seu nepos mei potestatis aut iudicis seu militum meorum vel alicuius eorum: et quilibet sit maior decemocto annorum: et qui soldatarii et baroarii non possint aliquid accipere vel habere in civitate placen. vel suburbiis pro aliquo pignorando seu pro aliquid exequendo in pena sexaginta solidorum et in pena potestati. xxv. librarum: et iudicibus eius nisi faciant restitui: et si contingeret aliquem ex dictis baroariis ire ad pignorandum in episcopatu et districtu placen. pro debito privato quod tunc possit habere pro eius salario sive mercede pro quolibet eorum denar. quatuor pro quolibet milliari pro eundo et redeundo dummodo non sint ultra duos: et tenear habere et habebo toto tempore mei regiminis duodecim equos continue inter (1) quos sint destrarii et v. alii equi de armis: quos ego potestas habebo et tenebo meo rixigo et fortuna seu casu in veniendo ad dictum regimen stando et redeundo eo salvo quod si destrarius vel equus de armis, vel roncinus mei potestatis fuerit mortuus in prelio servitio communis placentie possim habere pro emenda et restitutione ipsius destrarii vel roncini estimatione eius quod fuerint extimati secundum formam statuti quod legitur de hoc: et per v. dies ante introitum mei regiminis ero personaliter cum tota mea familia in civitate placen. et iurabo antequam descendam ad hospitium super libro statutorum clauso et sigillato: et ipsa statuta super quibus iurabo observabo in totum: et observari faciam iudicibus et militibus et familiariis meis: et etiam alia statuta et provisiones que fient per commune placen. et tenear ego potestas civitatis placen. et tota mea familia stare et stabo continue in civitate placen. causa sindicatus per x. dies in quibus debeam sindicari cum tota mea familia per sindicatores qui electi fuerint non habendo aliquid a communi pro me et familia mea: eo salvo quod si usque ad. v. dies post exitum meum contra me vel aliquem de familia mea non fuerit aliquid dictum vel propositum impune possim et libere repatriare cum tota mea familia, et non possim petere licentiam ego potestas nec aliquis de familia mea seu de mea sotietate per me vel per alium seu absolutionem redeundi seu repatriandi ante dictos. x. dies dicti sindicatus si fuerit mihi dictum vel propositum contra me vel aliquem de familia ut supra dictum est.

---

(1) Il ms.° ha *inter quos tres sint dextrarii.*

Et si contrafecero vel fieri permisero ipso iure sim condemnatus in trecentis libris plac. et licentia data vel habita nihil valeat ipso iure: sed sit cassa irrita et nullius valoris. Quam condemnationem potestas qui pro tempore fuerit teneatur et debeat exigere et recuperare et ipsum potestatem cum tota sua familia personaliter detinere donec de predictis satisfecerit comuni placen. Alioquin ipse potestas qui non recuperaverit ipsam condemnationem amittat de feodo suo et salario trecentas libras (1) placen. ipso iure: et ille qui allegaverit vel arengaverit contra predicta vel aliquod predictorum in consilio generali vel spetiali sit condemnatus ipso iure in libris centum placen. qualibet vice quas potestas teneatur exigere infra xv. dies. Alioquin perdat ipse potestas de suo feodo libras centum placen. et tenear stare ad sindicatum predicto modo et forma; ita quod non possim sindicari nec debeam: nec aliquis de familia mea possit sindicari durante officio mei regiminis: sed post finem mei regiminis: et finito meo regimine debeam sindicari ego et familia mea modo predicto: et non aliter: et totum id in quo fuero condemnatus reddam et restituam communi plac. vel illi seculari (2) persone cui fuero condemnatus, seu cui fuerit condemnatus aliquis de familia mea infra x. dies a tempore condemnationis facte per ipsos sindicatores infra dictum temporis x. dierum vel post. Et antequam exeam de dicta civitate ego et familia mea solvam condemnationes predictas in pecunia numerata. Que omnia superius ordinata significentur potestati (3) per litteras communis placen. tempore quo regimen vel potestaria denunciabitur ipsi potestati: et hoc statutum et omnia et singula que in ipso statuto continentur sint precisa et precisum: et in qualibet parte sui: et precise in qualibet parte sui debeant observari: et de hoc non possit dari neque peti licentia a consilio generali seu spetiali seu arengo: et inde (4) peti possit absolutio ab aliqua persona ecclesiastica seu seculari nec recipi preterquam a domino (5). Et si data fuerit seu facta vel recepta non teneat ipso iure nec valeat: sed semper omnia et singula superius ordinata

---

(1) *Trecentas libras.* Il ms.° ha *centum libras.*
(2) Il ms.° ha *singulari.*
(3) *Potestati.* Il ms.° ha *Rectori, vel Potestati.*
(4) Nel ms.° dopo *l' inde* sta *non.*
(5) *Preterquam a domino.* Questa clausula non è nel ms.°

precise inviolabiliter observentur: et si contingeret ipsum potestatem condemnari per sindicatores comunis quod occasione dicte condemnationis in civitate sua nunquam possint accipere repressalias contra commune: et homines et res civitatis placen. et precise teneatur iurare tempore presentationis sui regiminis se observaturum predicta.

De sacramento iudicum.

5. Omnes potestates iudices et milites seu potestatis sotii teneantur iurare in consilio generali communis placen. prima die vel sequenti introitus regiminis potestatis quod facient eorum officia bene et legaliter et observabunt statuta et ordinamenta comunis placen. facta et fienda in pena librarum xxv. placen. si dictum non prestaverint sacramentum.

De officio potestatis eius iudicum et familie sue.

6. Teneantur potestas et eius iudices et quilibet de ipsius familia officium eorum exercere et exerceri facere expensis ipsius potestatis tam in civitate quam districtu placen. ita quod nihil habere vel requirere possint a comuni placen. vel aliqua comunitate vel villa sive etiam ab aliqua singulari (1) directo vel per obliquum: pro eo quod irent in districtu plac. vel pernoctarent in ipso districtu plac. occasione eius vel eorum officii quacunque occasione seu causa cum sint et esse debeant contenti salario dicto potestati ordinato per statutum non obstante aliquo statuto consuetudine vel reformatione in contrarium loquentibus.

De equis potestatis estimandis.

7. Teneatur potestas infra x. dies ab introitu sui regiminis estimari facere equos suos per tres bonos viros inter quos sit unus equorum mareschalcus eligendus per sapientes tunc negotiis comunis placentie presidentes. Et fiat monstra de dictis equis et tota familia sua et baroariis ipsius potestatis quolibet mense coram dictis tribus bonis viris cum dictis

(1) Nel ms.° dopo il *singulari* sta *persona*.

tribus ex sapientibus: et quod dicti tres boni viri iurent bene et legaliter facere omnia que in dicto statuto continentur.

De officio camerarii.

8. Omnes et singuli officiales comunis placentie cogantur reddere rationem sui offitii et sue administrationis officiali seu officialibus super hoc deputatis. Et reliqua inferre camerario comunis placen. infra mensem post exitum sui officii numerandum in pena libr. x. Et nihilominus ad rationem reddendam teneantur. Que rationes reddantur ipsis officialibus cum duobus bonis viris ad hoc per potestatem seu sapientes negotiis comunis plac. tunc presidentes eligendis.

De ratione camerarii reddenda.

9. Camerarius comunis placentie teneatur reddere rationem quolibet mense in consilio generali facta prius et discussa dicta ratione per ipsum camerarium coram sex sapientibus iuratis: videlicet duo pro qualibet porta per potestatem: sive sapientes qui pro temporibus fuerint eligendi: quorum quilibet habeat a comuni pro suo salario. xviii. denar. pro quolibet die quo fuerint circa examinationem ipsius rationis. Qui camerarius teneatur quicquid receperit et quicquid solverit pro comuni scribere seu scribi facere per ordinem in libris introitus et exitus ad hec deputatis et reddita ratione dicti libri remaneant in comuni: ita tamen quod cum dictis sapientibus sint tres ex sapientibus tunc negotiis comuni presidentibus.

De revisamentis contra comune plac.

10. Nullum revisamentum valeat nisi factum fuerit de licentia et mandato consilii generalis. Nec etiam aliquis possit scribi ultra viginti soldos pro creditore comunis in libris creditorum comunis placen. absque licentia et mandato consilii generalis: usque vero in xx. soldis possit scribi per camerarium de mandato sapientis (1) et sapientum qui pro temporibus fuerint. Salvo quod non obstantibus predictis camerarius possit

(1) *Sapientis.* Nel ms.° è *de mandato Potestatis et sapientum* ecc.

concedere et dare revisamentum tubatoribus et curreriis comunis placentie pro feodis eorum de condemnationibus comunis plac.

De alienatione camerarii de re comunis prohibita.

11. Non possit camerarius comunis placen. aliquam rem comunis placentie vendere locare vel in emphiteosim dare seu aliqualiter alienare seu in alium trasferre nisi de mandato et consensu consilii generalis. Salvo statutum quod loquitur quod Camerarius possit concedere vel vendere aquas: seu ius earum.

De compensatione non fienda contra comune placen.

12. Nullus debitor comunis ex quavis causa possit obiicere compensationem eius sive pro eo quod habere debet a comuni nisi pro suo facto habere deberet non ex aliqua cessatione (1) quo casu teneatur potestas et eius iudices ipsam condemnationem omnino admittere.

De recuperatione bonorum et debitorum comunis.

13. Teneatur potestas et iudex camere toto posse exigere et recuperare quicquid habere debet comune tam per captionem bonorum et rerum quam etiam si opus fuerit personarum.

De roba tubatorum.

14. Item statutum est quod quilibet potestas teneatur et sit obligatus vinculo sacramenti dare unam robam magnam uni ex tribus tubatoribus ut hactenus est consuetum.

De condemnationibus consignandis camerario.

15. Omnes condemnationes et absolutiones criminales que fient per potestatem vel alios quoscumque comunis officiales teneantur potestas et

---

(1) *Cessatione.* Nel ms.° sta *cessione.*

ipsi officiales incontinenti postquam fuerint late in publica comptione tradere et consignare camerario comunis placentie seu notario camere pro ipso notario et camerario.

Qui notarii teneantur usque ad octo dies in pena decem librar. placentie scribere ipsas condemnationes et registrare in libro camere ad hoc spetialiter deputato: et sub pena predicta teneatur camerarius ipsas sic facere registrari et scribi et ipsis scriptis sic et registratis originale penes ipsum camerarium debeat remanere. Et nihilominus dicte condemnationes debeant remanere penes potestatem et vicarium.

De rebus comunis consignandis camerario.

16. Quicquid de havere vel rebus comunis placen. pervenerit ad potestatem seu alium officialem vel eius familiam. Teneatur potestas et quilibet alius officialis tradere et tradi facere et consignari camerario ipsius comunis eadem die: vel sequenti in pena quinquaginta librarum qua si secus fecerit incurrat ipso facto.

De nominibus potestatum et eorum familie seribendis in libro.

17. Camerarius comunis placen. teneatur habere unum librum de cartis edinis vel pecorinis in quo scribantur nomina potestatum, iudicum, militum seu sotiorum eorum et aliorum officialium comunis placen. Et ad que officia et per quantum tempus sunt deputati et nomina omnium notariorum deputatorum ad ipsa officia et quodlibet eorum ad hoc ut acta que fient scribi valeant per quos fuerint scripta quotiens fuerit opportunum. Et quod vicarius potestatis teneatur compellere camerarium ad perficiendum predicta in statutis contenta.

De buleta potestatis.

18. Nullus potestas vel officialis comunis placentie, vel alia quavis singularis persona collegium vel universitas habere possit de pecuniis comunis placentie nisi habeat bulletam a potestate: seu sapientibus tunc presidentibus negotiis comunis placentie. Que bulleta sit registrata in actis dictarie comunis et per eos facta.

De hospitibus non molestandis.

19. Nullus potestas iudex officialis stipendiarius vel persona in officio vel extra officium constituta possit aliqualiter cogere vel cogi seu compelli facere aliquem hospitem albergatorem vel aliam personam contra eorum voluntatem ad comodandum vendendum locandum vel aliqualiter concedendum sibi vel alicui alii persone lectos seu eorum apparatus contra eorum voluntatem in pena decem librarum placent. cuilibet contrafacienti et qualibet vice.

De confessione potestatis.

20. Potestas teneatur per publicum instrumentum facere confessionem camerario comunis placen. de omni solutione salarii sui tempore quo recipiet ultimam solutionem salarii sui.

De electione sindicatorum potestatis.

21. Teneatur potestas prima vel secunda die introitus sui regiminis congregare consilium generale in quo eligantur septem sindicatores potestatis predecessoris sui: et eius familie, scilicet, I. pro qualibet porta: et alius indifferenter, inter quos sit unus iudex de collegio iudicum comunis placentie (1). Et alii laici quorum electio fiat secundum quod ipsi consilio placuerit qui habeant pro quolibet ipsorum. xx. soldos pro eorum salario.

De officio iudicum rationis.

22. Iudices rationis ad civiles causas ad banchum grifonis et cervi deputati possint et teneantur reddere ius cuicunque conquerenti in civilibus: tam in civitate placen. quam de districtu vel aliunde: et tam eclesiastico quam laico modo infrascripto in civilibus. Quod per iudicem rationis deputatum ad banchum cervi reddatur ius in homines sive contra homines et personas trium portarum scilicet porte sancti antonini:

---

(1) *Placentie.* Nel ms.° sta dopo questa voce *et unus notarius de collegio notariorum placencie.*

porte sancti laurentii et porte nove et deguriarum et ultra nuriam et ultra ardam: et per iudicem rationis de bancho grifonis ius reddatur in homines et contra homines et personas aliarum trium portarum scilicet porte sancte brigide: porte mediolanensis: et porte gariverti: et deguriarum de intus nuriam et treviam: et si aliter factum fuerit sit cassum et nullius valoris (1). Possit tamen vicarius domini potestatis reddere ius quibuscumque hominibus civitatis et episcopatus: excepto quod non possit dare tutores nec curatores.

De his ad que spetialiter potestates tenentur.

23. Teneatur potestas dare operam cum effectu infra tres menses ab introitu sui regiminis inquirere toto posse bona et iurisdictiones et iura et res comunis placen. tam salinarum castrorum iurisdictionum domorum possessionum: quam rerum cuiuscumque conditionis et qualitatis existant: et ea sic reperta poni facere in registro comunis placen. absque mora.

De absentia eius sive potestatis sive alterius, de cuius preiuditio tractatur.

24. Quotiens aliquid in aliquo consilio generali vel spetiali est tractandum vel fiendum de aliqua re que tangat potestatem vel eius familiam: vel alium quemcumque principaliter, potestas vel ille de cuius negotio principaliter agitur absint et removeantur de dicto consilio. Alioquin potestas incurrat penam quinquaginta librarum et quicquid factum fuerit in favorem eius de cuius negotio agebatur non valeat ipso iure.

Quod nullus iudex valeat se intromittere de alterius officio.

25. Nullus ex iudicibus potestatis possit se intromittere de officio alterius nisi ex commissione sibi facta a potestate que appareat per pu-

---

(1) Nel ms.° sta la seguente importante aggiunta: *Et hoc non habeat locum in pendentibus et preteritis causis et litibus, et quod stent in palacio, et bancha ipsorum ordinentur per comune placencie intus palacium inferius.*

blicum instrumentum in pena xxv. librarum placen. Et etiam sit iritum si secus fuerit attemptatum.

Quod milites potestatis teneantur eorum favorem dicto potestati tradere.

26. Milites autem potestatis toto eorum posse teneantur dare consilium et adiutorium et favorem potestati faciendi et complendi suum regimen et potestariam usque ad finem ad maiorem utilitatem et honorem et bonum statum civitatis et hominum placen. et districtus: et quicquid eis commissum fuerit per potestatem pro comuni placentie bene et fideliter facere. Ita tamen quod ipsi milites non possint nec debeant se intromittere de officio iudicis seu aliquo officiorum iudicum. Verum liceat eis occasione rixarum: et sturmi: et maleficii et similium capere et capi facere et detineri facientes seu facientem predicta vel aliquod predictorum: et ab eo vel ab eis tollere securitatem: et eos presentare et presentari facere coram potestate et similia facere que pertinent ad officium militum.

Quod potestas nec non eius milites non teneantur aliquem percutere (1).

27. Statutum est quod potestas vel aliquis societatis eius vel familie non percutiat vel percutere possit gladio vel fuste seu baculo vel manu aliquem civitatis placentie vel districtus: nisi esset in hostili campo: vel prope inimicos, vel nisi esset in rixa quam aliter dividere non posset, sub pena librarum quinquaginta placentie.

De emptione rei comunis prohibita.

28. Potestas nec aliquis de sua familia nec aliquis forensis possit emere nec recipere aliquam rem comunis vel que debeat devenire in

---

(1) In questi tempi chiamati barbari veniva severamente impedita la bastonatura. Nel secolo XIX, e precisamente nell' anno di Grazia 1854, un Codice Penale decreta *Che quando la maggiore malizia del contravventore lo esiga potrà usarsi il castigo corporale che consiste in colpi di verghe* ecc. !!! Vedi Regolam. di Polizia Estense. Modena 1854. pag. 66.

comune nec etiam pignus aliquod nec aliquid ad incantum: sub pena decem librarum placentie, et quilibet alius emptor teneatur reddere pignus infra octo dies ei cuius fuerit restituto sibi pretio cum expensis iustis sub pena decem librarum emptori hec facere recusanti.

De portis potestatis tenendis apertis.

29. Reddat se facilem ut possit adiri potestas et teneat hostia et portas apertas et patentes a mane. scilicet ab hora campanarum usque ad tertiam a nona usque ad vesperas nisi hora comestionis vel iusta causa intercedat.

Quod iudices horis congruis ius reddere teneantur.

30. Omnes iudices potestatis si in civitate fuerint teneantur bis in die sedere horis consuetis publice ubi reddi ius consuevit ex eorum officio exceptis diebus ieiunii in quibus semel in die sedere eis sufficiat. Et potestas bis in ebdomada sub pallatio comunis ubi redditur ius sedere publice pro tribunali teneatur nisi iusto impedimento potestas vel eius iudices fuerint impediti exceptis diebus feriatis quibus sedere ut premittur minime teneantur.

Quod potestatis non possit arbitrium petere in aliquo consilio.

31. Si potestas petierit arbitrium sibi dari ab aliquo consilio comunis placen. condemnetur et incidat in pena trecentarum librarum plac. et ipsum arbitrium non valeat ipso iure. Et siquis hoc proposuerit vel consuluerit in pena centum librarum incidat ipso facto.

De festo beate marie virginis: et beati antonini.

32. Ad honorem dei et beate virginis marie potestas teneatur facere fieri semel in anno festum honorabile maioris ecclesie placen. in assumptione dicte virginis marie pro salute animarum placen. civium et omnium defunctorum eorum quod fiat per potestatem et milites et paraticos et populum placentie.

Et quod omnes oblationes in laboreriis ipsius ecclesie convertantur: et quod potestas teneatur congregare consilium generale occasione dicti festi solemniter ordinandi.

Et eodem modo teneatur potestas facere circa ordinem beati Antonini festi martiris et militis et defensoris civitatis placen. quod festum celebratur de mense iulii. Et quod ultra predicta omnes ville et castra habentes potestatem vel vicarium ac etiam omnes ville cuiuslibet plebatus teneantur et debeant et cogi possint et debeant per dominum potestatem placentie ad faciendum omni anno dictas oblationes in dictis festis videlicet quelibet villa habens potestatem seu vicarium unum palium condecentem, et omnes ville cuiuslibet plebatus insimul unum palium pro quolibet plebatu secundum eius facultatem et prout faciunt paratica civitatis placentie que omnia convertantur ad laboreria dictarum ecclesiarum. Et quod potestas et anciani placentie teneantur et debeant eligere tres bonos viros qui supersint et superesse debeant laborerio dicte ecclesie sancti antonini: et qui recipiant oblationes predictas prout electi sunt ad laborerium ecclesie maioris placentie. Et quod quilibet potestas placentie teneatur predicta in totum executioni demandare et predicta fieri facere sub pena periurii et librarum centum applican. comuni placen. et hoc teneatur spetialiter iurare in principio sui regiminis: et si contrafecerit possit et debeat sindicari.

De vacatione regiminis.

33. Cum vacatio munerum a iure sit inducta merito duximus statuendum quod quilibet potestas placentie, et eius iudices et milites seu sotii et universa eius familia cessent a tempore exitus sui regiminis vel officii per triennium continue a regimine vel officio quod habuerant in civitate placen. statuto aliquo non obstante. Et hoc in pena cuilibet contrafacienti florenorum quinquaginta auri et contra hoc non possit dispensari per consilium generale; et ancianos comunis placen.

De concordia fienda inter cives per potestatem.

34. Quia concordia res parue crescunt et discordia maxime dilabuntur, ut bonum publicum augeatur teneatur potestas cum effectu omni-

bus remediis pretoris quibus melius sibi videbitur expedire cives placen. inter se discordiam habentes cogere ad concordiam et veram pacem.

De campana placen. horis congruis pulsanda.

35. Campanam comunis teneatur potestas facere pulsari horis consuetis videlicet in aurora diei una vice: et circa horam prime tribus vicibus interpolatis, et post nonam hora consueta tribus vicibus interpolatis: et circa horam completorii propter salutationem beate virginis marie fiendam, in prima hora noctis hora consueta ne gentes discurrant per civitatem tribus vicibus interpolatis. et in qualibet vice pulsetur ipsa campana xx. ictibus aliquantulum raris ad hoc ut unusquisque possit audire ipsam campanam et ad domum se reducere.

De meretricibus non possentibus habitare intra fossata.

36. Nulla meretrix publica habitet vel permittatur habitare infra fossata civitatis, nec etiam questum corporis facere subtus pallatium vel in platea: seu circa plateam comunis placen. Et teneatur potestas predicta cum effectu prohibere et de viciniis civitatis infra dicta fossata sitis ad requisitionem massarii, seu alicuius ex vicinis ipsam compellere quoties sibi notificatum et requisitum fuerit in pena xxv. libr. quam incurrat potestas ipso facto. Quibus meretricibus infra dicta loca nullus locet vel tradat domos ad habitandum in pena centum soldorum placen. et de ipsis domibus potestas nihilominus in pena xxv. librarum eas expellere teneatur.

De processibus maleficiorum fiendis.

37. Super quacumque accusa denunciatione vel inquisitione que vertitur coram iudice maleficiorum possit et teneatur potestas, et ipse iudex cognoscere et procedere diebus feriatis et non feriatis: Potestas teneatur ipsas accusas denunciationes vel inquisitiones sive fuerint incohate coram ipso sive coram predecessore suo terminare diebus feriatis et non feriatis infra duos menses a die contestationis vere vel ficte numerandos condemnando vel absolvendo in pena xxv. librarum placen. qualibet vice qua contradixerit faciendum, quam penam incurrat ipso facto.

Et ut predicta citius valeant expediri, teneantur notarii qui pro temporibus predecessorum potestatum fuerint ad maleficia deputati in pena x. libr. placen. consignare omnia acta maleficiorum que habuerint tempore sui officii potestati infra mensem ab introitu regiminis ipsius potestatis.

De detentione personarum non fienda per potestatem.

38. Nemo detineatur personaliter per potestatem vel eius iudicem seu per aliquem officialem comunis placen. pro aliquo debito si paratus fuerit prestare idoneam securitatem, nisi pro maleficio pro quo debet personaliter puniri. Quod si secus fecerint potestas pena xxv. libr. placentie: et quilibet alius officialis incurrat ipso facto.

De militibus potestatis ad merchata mittendis.

39. Potestas teneatur mittere unum ex iudicibus vel militibus suis ad quodlibet merchatum quod fit in episcopatu a civitate placen. infra quattuordecim miliaria, ut per hoc rixe cessent et banniti capiantur: et quod statutum locum non habeat in mercatis florenzole et castri sancti ioannis.

De electione consilii generalis.

40. Ut perfectius placen. civitas gubernetur. Statuerunt quod de cetero fiat et eligatur consilium generale ipsius civitatis hoc modo videlicet. Quod potestas teneatur congregare seu congregari facere priorem fratrum predicatorum cum tribus de fratribus discretioribus sui conventus civibus plac. et guardianum fratrum minorum cum tribus ex discretioribus sui conventus civibus placen. qui fratres (1) quatuor bonos viros civitatis placen. duos de progenie militum: et duos populares pro qualibet porta: de quorum electione eorum sint conscientie onerate, et ipsos sic electos tradant in scriptis potestati, quos potestas cogere teneatur per sacramentum eorum eligere et scribi facere ipsum consilium generale videlicet centum pro qualibet porta bonos et idoneos et boni et publici

(1) *Qui fratres.* Dopo queste parole il ms.° ha *elligant* che è necessario alla sintassi.

amatores quorum consiliariorum quilibet sit etatis annorum xx. ad minus, quos consiliarios sic electos cogat potestas corpore iurare de consulendo et ordinando quicquid pro bono comuni ipsius civitatis crediderint expedire: et quando congregabitur ipsum consilium ad aliquod ordinamentum esse debeant ducenti ad minus ex dictis consiliariis, in quo consilio non intersint aliqui qui non sint de ipso, nec in eo possint proponi seu fieri ultra quatuor poste seu articuli: et quod nullus consulat ultra id quod in ipsis postis et articulis continetur. Et quicquid per maiorem partem ipsorum consiliariorum facto partito inter eos palam (1) per scrutinium fore secretum prout eis videbitur; valeat et teneat in totum et per totum perinde ac si factum esset per universum populum placentie. Salvo quod quando fiendus esset sindicus occasione electionis potestatis vel denunciandi potestariam: seu promittendi salarium potestati vel sindico qui sindicare habeat potestatem, vel alium officialem vel sindicum ad vendendum gabellas seu introitus comunis placentie publice ad incantum, seu quando camerarius vel alius officialis reddet in consilio rationem, tunc non habeat locum dicta solemnitas, sed sufficiat maior pars consiliariorum qui in dicto consilio fuerint congregati, hoc videlicet observando quod potestas teneatur antequam congregetur pro aliqua re consilium generale facere ipsum preconizari per civitatem, et causam propter quam habeat congregari: premissa non habeant locum in consilio in quo dantur brevia: et officia comunis placen. eligantur, de quo consilio quod vocabitur de cetero consilium generalissimum possint esse omnes cives placen. maiores quatuordecim annorum, in quo fiendo servetur talis ordo, quod potestas per octo dies ante faciat preconizari quod quilibet civis placen. etatis predicte qui esse vult de dicto consilio faciat scribi nomen suum per notarios super hoc deputatos. Et quod quicumque qui fecerit sic se scribi de ipso consilio habeatur: dummodo substineat onera realia et personalia in civitate placen. Et quod filiusfamilias quantum ad hoc substinere intelligatur dicta onera si pater eius substineret, et quod de triennio in triennium per electores de quibus fit mentio in dicto statuto examinetur dictum consilium, ut si aliqui ex dictis consiliariis essent mortui vel se absentassent quod

---

(1) *Palam.* II ms.° ha *palam vel per continuum secretum.*

in locum eorum alii ponantur, et possint addere et detrahere dicto consilio prout melius videbitur eis dummodo remaneat in numero predicto et fiat hoc de mense martii.

De fossatis comunis per potestatem videndis.

41. Singulis duobus mensibus teneatur potestas videre seu videri facere omnia fossata magna vel parva comunis placen. et sapellos existentes in civitate placen. vel circa ipsam civitatem, et facere aptari ubicumque fuerint devastata seu destructa et nihilominus punire devastantes.

De statutis et provisionibus comunis observandis.

42. Potestas et eius iudices et quilibet officialis comunis placen. teneatur observare statuta provisiones reformationesque comunis placen. facta et fienda in pena quinquaginta librarum potestati; et xxv. librarum cuilibet officiali pro quolibet statuto non servato si de hoc fuerint requisiti (1); in pena potestati xxv. librarum. Et decem librarum cuilibet officiali comunis placen. pro quolibet statuto non servato.

De portis civitatis videndis mandato potestatis.

43. Teneatur potestas semel in tempore sui regiminis videre seu videri facere per se vel per aliquem ex iudicibus vel militibus suis omnes et singulas portas civitatis: et si fuerint discooperte facere ipsas cooperiri et aptari secundum quod opus fuerit.

De auxilio dando per potestatem officialibus petentibus.

44. Quotiens potestas ab aliquo officiali comunis placen. fuerit requisitus, teneatur sibi prestare auxilium et favorem ad eius officium exercendum et effectui demandandum.

---

(1) Qui fu ommissione negli Statuti a stampa. I mss. Pallastrelli e *Dominici* hanno *et si non fuerint requisiti in pena potestati* XXV. *librarum* ecc.

De mittendo unum iudicem vel militem pro maleficiis.

45. Quando aliquod homicidium diceretur factum in districtu placen. teneatur potestas mittere unum ex iudicibus vel militibus suis ad locum maleficii pro ipso maleficio inquirendo.

De officiis notariorum ad brevia dandis.

46. Omnia officia notariorum que dantur ad brevia vel per sortes per v. ellectores elligantur quorum tres ad minus sint concordes.

Quod potestas non permittat stare intra baras aliquam personam quando dantur officia.

47. Quando officia dantur ad brevia vel per sortes, potestas non permittat aliquem notarium vel alium stare intra barras vel aliquam opportunitatem nutum vel signum electoribus facere re vel verbo pro officio obtinendo: et nullus possit esse ex ipsis electoribus nisi sit maior quatuordecim annorum.

Quod nullus notarius possit retinere plura officia.

48. Nullus notarius possit habere vel retinere plura officia uno eodemque tempore: et si ad plura officia notarius elligatur, elligat unum quod malit: quo facto officia alia ad que fuerat ellectus aliis notariis per sortes et per brevia dentur in consilio in quo dantur.

Quod nullus notarius ad aliquod officium compellatur.

49. Nemo invitus ad aliquod officium comunis placen. compellatur.

Quod notarii teneantur stare horis debitis ad officia.

50. Notarii qui habent officia stare teneantur horis consuetis ad eorum officia exercenda in pena pro qualibet vice. v. solidorum nisi iusta causa fuerit excusatus.

Quod duo fratres minores debeant interesse dationi officiorum.

51. Duo fratres minores et non alii stent tempore quo brevia dantur causa scribendi officia et nomina eligentium et notariorum electorum prout hactenus est consuetum, cum quibus fratribus stet unus iudex potestatis tantum, nec cum vocatis ad brevia vadant aliqui de familia potestatis, seu cum dictis fratribus stent aliqui de dicta familia vel aliunde. Sed dicti vocati soli intrent et hoc statutum legatur tempore quo brevia erunt danda.

De notariis eligendis ad officia.

52. Notarii qui elliguntur ad officia ad brevia vel ad sortes (1) de collegio notariorum placen. et in matricula collegii notariorum: et sint maiores quatuordecim annorum: et non sint seu sit clericus prebendarius, nec ad ea alii aliqualiter admittantur: sed sint penitus ab ipsis officiis exclusi et exceptati.

De vacatione notariorum.

53. Siquis notarius exercuerit officium maleficii vel victualium sive ad hoc fuerit electus, sive ipsum exercuerit nomine alieno, cesset omni anno a dictis officiis per sex menses subsequentes, nisi ad ipsa officia vel alterum eorum pro sex mensibus subsequentibus ad brevia vel ad sortes sit electus.

De notariis constituendis et ponendis in matricula.

54. Quilibet de civitate vel episcopatu placentie oriundus, qui fuerit investitus de officio notarie ab eo qui habet ab imperio iurisdictionem faciendi hoc, sit maior quatuordecim annorum: si est filius vel frater vel abiaticus alicuius notarii, et si fuerit alius de civitate vel episcopatu plac. oriundus, et sit maior sedecim annorum possit intrare in collegium notariorum: et consules notariorum teneantur eum admittere: et in ma-

---

(1) Negli Statuti stampati manca qui un *sint* che è nei mss., ed è necessario per il retto senso.

tricula collegii notariorum scribi facere, dummodo prius examinetur per ipsos omnes consules si adesse ad hoc voluerint: et si adesse noluerint quod ad hoc compellantur per potestatem plac. vel eius vicarium qui pro tempore fuerit ad postulationem intrare volentis dictum collegium et duodecim sapientes bonos notarios et sufficientes in latinando et scribendo: et si per maiorem partem ipsorum consulum et sapientum fuerit approbatus facto scrutinio secreto inter eos: et si fuerit filius seu frater vel abiaticus alicuius notarii de ipso collegio solvat ipsi collegio viginti solidos placen. Alius vero quilibet solvat sexaginta soldos placen. Et si aliquis est vel fuerit scriptus in matricula notariorum dicta forma non servata; non habeatur pro notario nec possit aliquod officium obtinere, sed de ipsa matricula penitus cancelletur et pro cancellato habeatur ipso iure.

Quod aliquis non possit exercere artem notarie nisi sit in matricula notariorum.

55. Item quod nullus notarius qui non sit oriundus de civitate placentie vel districtu: et qui non sit approbatus in nota per collegium notariorum placentie et in matricula dicti collegii scriptus possit vel valeat operari seu exercere artem, seu officium notarie in civitate placen. vel districtu. et siquis contrafecerit, ea qua fecerit non valeant nec teneant ipso iure.

De electione notariorum quando officia dantur ad brevia.

56. Ad ordinem officiorum notariorum comunis placen. perpetuo observandum firmiter ordinamus quod omnes notarii civitatis placentie de collegio notariorum elligantur per sex menses ad officia infrascripta in tribus portis: videlicet in porta sancti antonini: porta nova: porta sancti laurentii: et in aliis sex mensibus elligantur in porta sancte brigide: porta mediolani et porta gariverti: et sic deinceps per sex menses servetur ordo prelibatus inter ipsas portas: et quod sint et elligantur ad sortes et brevia in consilio generalissimo more solito in ipsis tribus portis sex notarii videlicet duo pro qualibet ipsarum trium portarum ad maleficia et duodecim ad officia reddenda banchorum grifonis et cervi: videlicet

duo pro qualibet dictarum trium portarum ad quodlibet banchum cuiuslibet iudicis rationis: et duo pro qualibet trium portarum ad cameram comunis: et tres ad officium capitanei. Videlicet pro qualibet dictarum trium portarum unus: et tres ad dictariam videlicet unus pro qualibet dictarum trium portarum et duo ad officium salis: et i. ad officium pignorum. Videlicet i. pro qualibet dictarum trium portarum: et tres notarii ad officium stratarum pontium et viarum et operum publicorum tam civitatis placentie quam districtus, scilicet unus pro qualibet porta in dictis tribus portis. Et unus notarius potestatis florenzolle, unus potestatis vallis arde: et unus potestatis vallis ceni: unus potestatis vallis tari, unus potestatis bobii: unus potestatis castri Sancti ioannis: unus potestatis roncharoli dictis tribus portis secundum quod sors dederit in qualibet dictarum trium portarum: tamen illa porta ex dictis tribus portis in qua semel pervenerit aliquod ex dictis officiis Videlicet potestatis florenzole, vallis arde, potestatis vallis ceni: potestatis vallis tarii: potestatis bobii: potestatis castri sancti Ioannis: potestatis roncharoli: non habeat iterato officium illud quousque alie due porte illud idem officium obtinebunt. Qui notarii elligantur in illa et de illa porta in qua scripti sunt in matricula notariorum.

Qualiter consules notariorum recomandare habeant.

57. Statutum est quod consules notariorum qui modo sunt, et qui pro tempore fuerint teneantur sacramento facere venire coram se omnes notarios civitatis et episcopatus plac. et scribi facere nomen cuiuslibet notarii in uno quaterno: et iuxta nomen eius omnes inbreviaturas quas penes se habent de aliquo notario defuncto et nomen notarii defuncti: et facere ipsos notarios qui coram eis venerint manifestare si sciunt aliquam personam que penes se habeat imbreviaturas alicuius notarii defuncti similiter.

Qualiter potestas tenetur dare ordinem de imbreviaturis notariorum recomendandis.

58. Item statutum est quod dominus potestas plac. semel tempore sui regiminis teneatur in pena. xxv. librarum placentie fieri facere pre-

conizationem generalem per civitatem plac. quod omnes et singuli cuiuscumque conditionis existant habentes penes se vel scientes alios quam notarios habentes penes se imbreviaturas alicuius notarii defuncti, teneantur infra octo dies subsequentes ipsas imbreviaturas coram dicto domino potestate vel eius vicario manifestare sub pena. x. librarum plac. cuilibet penes se imbreviaturas habenti, et ipsas non manifestanti, contra quos dictus dominus potestas vel eius vicarius ex suo officio et ad requisitionem seu notificationem consulum collegii notariorum et alterius cuiuscumque inquirere et procedere: eosque punire repertos de predictis culpabiles teneantur: Et quod dictus dominus potestas seu vicarius eius teneantur auferre ipsas imbreviaturas notarii que reperte fuerint penes alias personas quam notarios: et ipsas imbreviaturas recomendare penes unum bonum et idoneum notarium morantem in civitate placentie de collegio notariorum civitatis placentie eligendum per illum penes quem fuerint dicte imbreviature. Et si ille non elligeret per ipsum dominum potestatem vel eius vicarium elligatur. Et quod dictus dominus potestas seu eius vicarius teneatur omnia nomina et prenomina illorum notariorum quorum fuerant dicte imbreviature et nomina illorum penes quos ipse imbreviature reperte fuerint et recomendate scribi facere in uno libro ad hoc spetialiter deputato: qui liber stare debeat penes camerarium communis placen. ut omnes videre valeant. Et ad hoc ut predicta melius sortiantur effectum, teneantur consules notariorum civitatis placen. hoc statutum potestati placen. vel eius vicario intimare et notificare et procurare et sollicitare ut contenta in hoc statuto effectui demandentur sub pena centum soldorum placen. pro quolibet consule.

Qualiter adhibeatur fides instrumentis finiendis per notarios ad imbreviaturam alterius notarii.

59. Consuetudo est et fuit in civitate et districtu placen. longo et longissimo tempore approbata cuius initii vel contrarii memoria non existit quod quibuscumque instrumentis finitis; et in publicam formam redactis per aliquem seu aliquos notarios publicos placen. (1) eorum vice et

---

(1) Dopo queste parole è nel ms.° *ad imbreviaturam alterius seu aliorum notariorum publicorum placentinorum eorum vice* ecc.

mandato detur et adhibeatur, et data et adhibita fuit, et est plena fides in iuditiis et extra: Et valeant et teneant et valuerunt et tenuerunt ac si instrumenta finita: et in publicam formam redacta et reducta essent et fuissent manu illius notarii seu notariorum qui dicta instrumenta scripserunt seu breviaverunt. Quam consuetudinem approbamus et confirmamus et pro statuto civitatis placen. et districtus habere volumus. Additientes quod de cetero notarii publici placen. et districtuales qui tradent aliqua instrumenta per eos breviata alii notario placen. districtus eorum notarie seu vice et mandato finienda et scribenda, teneantur et debeant post gruppum et scriptionem illorum notariorum qui sic dicta instrumenta finierint et scripserint se ipsis instrumentis subscribere cum eorum gruppo vel signo consueto.

De fide adhibenda instrumentis autenticatis.

60. Consuetudo est et fuit in civitate et districtu placen. longo tempore ac longissimo observata cuius initii vel contrarii memoria non existit quod quibuscumque instrumentis auctenticatis seu publicatis mandato iudicis ad postulationem quorumcumque per quoscumque notarios publicos plac. absque presentia seu requisitione partis, datur et adhibetur et data est et adhibita plena fides in iudiciis et extra. Et valeant et teneant et valuerunt et tenuerunt ac si ipsa instrumenta auctenticata et publicata essent presentibus partibus vel requisitis et aliis iuris solemnitatis observatis. Quam consuetudinem approbamus et confirmamus et pro statuto civitatis placen. et districtus haberi volumus. Salvo quod presens statutum non vendicet sibi locum in aliquo instrumento depositi seu mutui vel cambii monete modo predicto auctenticato quantum ad exactionem ipsorum debitorum. Sed solummodo valeant ipsa instrumenta debitorum dicto modo auctenticata ad defensionem, et predicta non preiudicent nec utilitatem afferant alicui in aliqua questione vel causa nunc pendente.

De non possendo finire aliquod instrumentum ad imbreviaturam mortificatam.

61. Statutum est quod aliquis notarius non possit nec debeat restituere ad imbreviaturas mortificatas instrumentum aliquod quod pertineat

ambabus partibus vel alteri earum tantum: et potestas vel iudices vel officiales non possint precipere alicui notario ut ipsum instrumentum restituat nisi citata fuerit bis altera pars et de ipsa relatione citationis currerii fiat publicum instrumentum: et si contrafactum fuerit ipsum instrumentum pro nihilo habeatur et nullius momenti sit et sit penitus cassum et irritum. Salvo quod si illa pars que fuerit citata et cuius interesse venerit et dixerit quod sibi placet et vult, quod instrumentum restituatur et detur requirenti. Et hoc scribatur in actis: tunc notarii possint ipsum instrumentum libere restituere sine aliqua citatione. Ita tamen quod si pars citata comparuerit et dixerit se contradicere restitutioni quod tunc petitio seu requisitio qualis qualis scribatur in actis per illum qui petit sibi restitui et super hoc procedatur sumarie: et de plano sine strepitu et figura iudicii quolibet die feriato et non feriato. Ita tamen quod instrumenta sindicatus procur. tutele cure inventariorum tutorum et curatorum et quorumlibet factorum inter partes possint restitui ad postulationem cuiuslibet requirentis cuius interest vel interesse posset absque requisitione alicuius persone.

De curreriis.

62. Nullus de cetero possit esse currerius comunis placentie nisi sit de ipsa civitate vel episcopatu oriundus, vel nisi steterit sive habitaverit in civitate placen. per x. annos: et nullus qui sit famulus vel scuterius alicuius: et quod quilibet currerius qui eligetur eligatur per potestatem vel eius vicarium et sapientes tunc presidentes negotiis comunis placen. vel per maiorem partem eorum. Et teneantur omnes currerii comunis presentes et futuri iurare et dare idoneam securitatem de x. libris coram iudice camere de suo officio legaliter exercendo, que scribatur in libro actorum seu scriptorum camere in quo libro etiam scribantur omnia nomina curreriorum per ordinem: et ad hoc ut possint cognosci ubicumque. Volumus quod omnes currerii tam presentes quam futuri teneantur in pena x. solidorum pro qualibet vice quam incurrant ipso facto quotiescumque duxerint contra faciendum portare super caput caputium vel zaffardam de panno iano (1) cum signo ad arma comunis. Que caputia seu zaffarda dentur eis expensis comunis placen. quolibet anno in festo

(1) Il ms.° Pallastrelli ha *de pano ialno.*

annunciationis beate virginis marie de mense martii ad hoc ut predicta facilius et melius impleantur. Que omnia teneatur potestas adimplere et facere adimpleri in pena xxv. librarum. Que pena incurrat ipso facto si secus duxerit faciendum. Et quod dictum est de dictis zaffardis et caputiis non intelligatur in currer. de equo qui vocantur cavalcatores.

Qualiter currerii debent facere citationes.

63. Item statutum est quod ubicumque in statutis comunis plac. fit mentio seu dicitur quod aliquis possit vel debeat citari seu illi preceptum seu notificatio fieri ad domum quod predicta fieri possint et sufficiat ad domum quam ille tunc habebit seu tenebit vel familia eius in civitate plac. Et si ille tunc non habebit seu tenebit domum in civitate plac. tunc predicta fieri debeant ad domum eius habitationis si habuerit vel habitationem tenuerit in districtu: et si tempore citationis seu notificationis fiende ad domum, ille non habuerit nec tenuerit domum vel habitationem in civitate plac. vel districtu, tunc possit et sufficiat fieri citatio et notificatio ad domum ubi stare et habitare consuevit.

Qualiter currerii debent facere citationes et saximenta referre.

64. Item statutum est quod nullus currerius civitatis plac. possit nec debeat facere alicui citationem aliquam seu preceptum vel pignoramentum ex parte et de mandato alicuius iudicis vel officialis comunis plac. in civitate plac. vel districtu ad postulationem vel instantiam alicuius, nisi habita et obtenta ab illo iudice vel officiale commissione predicta faciendi: et nisi illam citationem vel preceptum dictus currerius illi cui fecerit det et dimittat in scriptis personaliter vel ad domum eius solite habitationis vel eius familie si vivit vel ad domum eius heredum si non vivit. Et quod dictus currerius teneatur et debeat relationem suam de citatione precepto saximento et pignoramento que fecerit et de eo quod sibi fuerit commissum dicto iudici vel officiali vel notario ipsorum referre: et illa scribi facere in actis illius iudicis vel officialis ex cuius parte vel mandato dicta citatio seu preceptum saximentum vel pignoramentum seu commissio emanaverit infra secundum diem: si facta fuerint in civitate placen. vel confinia seu fieri debuerint. Et intra v.

dies si facta fuerint vel fieri debuerint in districtu placen. Et si aliter factum fuerit per aliquos currerios non valeat nec teneat ipso iure. Et nihilominus quilibet currerius qui contrafecerit in predictis vel aliquo predictorum condemnetur qualibet vice in soldis viginti placen. ipso facto nisi dictus currerius legiptimam excusationem fecerit.

Quam penam solvere teneatur et compellatur incontinenti absque aliqua condemnatione de ipso currerio fienda. Et nihilominus ad restituendum illi qui ipsum currerium miserit totum illud quod ab eo recepisset occasione predicta fienda et cuius pene medietas sit comunis: et alia medietas partis ad cuius postulationem predicta facta fuerint: salvo quod quilibet currerius possit facere libere penes quoscumque in civitate placen. et districtu saximen. et sequestrat. ad postulationem quorumcumque ex parte cuiuscumque iudicis competentis absque aliqua comissione per ipsum iudicem dicto currerio fienda et absque aliqua scripta portanda.

Et hoc non vendicet sibi locum in saximentis que fient consulibus villarum et hominibus villarum et locorum districtus placen. de fructibus, que saximenta fieri debeant cum litteris scriptis per notarios iudicis ex cuius parte facta fuerint dicta saximenta.

De limitatione salariorum currerіorum.

65. Item statutum est quod nullus currerius audeat nec presumat aliquid petere percipere exigere extorquere vel habere pro eius solutione salario vel labore ab aliquo civitatis vel episcopatus placen. quem citaverit vel pignoraverit seu cui preceperit seu ab alio pro eo quacunque de causa preterquam ex maleficio pena corporis vel sanguinis ingeritur: sed quilibet ad cuius postulationem missus fuerit aliquis currerius teneatur ipsi currerio solvere et satisfacere et non ille cui missus fuerit: et si aliter per ipsum currerium factum fuerit puniatur: et solvat qualibet vice qua contrafecerit nomine pene soldos xx. placen. sine aliqua condemnatione de ipso currerio fienda et quilibet possit denunciare et accusare: et habeat medietatem dicte pene. Et nihilominus compellatur dictus currerius ad restituendum illi a quo habuerit vel receperit in duplum totum illud quod ipse occasione predicta duxerit faciendum.

Quod consules villarum teneantur dare auxilium curreriis (1).

66. Item statutum est quod consules et homines villarum et locorum districtus placentie teneantur et debeant ad requisitionem currerii comunis placentie dare ipsis curreris auxilium conscilium et favorem ad pignorandum quoscunque in eorum villis et locis, et ad conducendum ipsa pignora placentie coram Judice et officialle ex cuius parte currerii missi fuerint in pena et sub pena Centum sol. plac. pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, cuius pene medietas sit comuni, et alia medietas partis ad cuius instantiam et postulatum predicti currerii fuerint destinati. Et quod nullus currerius audeat vel presumat aliqua pignora per eum pignorata de loco vel villa ubi ea pignoraverit exportare, nec alicui quacunque de causa ipsa pignora vendere destrahere, seu pignori dare nec obligare absque licentia et mandato illius iudicis vel officialis ex cuius parte factum fuerit pignoramentum. Sed ipsa pignora teneatur et debeat dictus currerius recomendare penes ydoneam personam in villa vel loco ubi fecerit pignoramentum si factum fuerit in districtu. Et si factum fuerit in civitate placentie recomendare penes ydoneam personam in vicinia in qua habitaverit illa qui fuerit pignoratus. Et hoc in pena et sub pena centum sol. plac. pro qualibet vice qua fuerit contrafactum et in amissione salarii, quod dictus currerius habere debeat occaxione predicti pignoramenti fiendi ab eo qui eum misit.

De numero tubatorum et eorum sallario.

67. In civitate placentie sint tantum sex tubatores comunis qui teneantur tenere continue quilibet unum roncinum et habeant pro eorum sallario a comuni placen. quadraginta solidos pro quolibet eorum. Qui teneantur cridas quas fecerint facere per omnes portas et cruces portarum Civitatis consuete et per alia loca consueta in pena decem sol. pro qualibet vice in qua contrafecerint, quam penam incurrant ipso facto.

---

(1) La rubrica presente manca nelle stampe, ove erroneamente fu posta la seguente lasciando sussistere per stranissimo errore il titolo di quella che fu ommessa.

De tubatoribus induendis.

68. Item quod comune et homines placen. teneantur singulis festivitatibus beate marie virginis de mense augusti induere omnes tubatores placen. videlicet unum gonellum, duas caligas, et unum caputium pro quolibet quod consuetum est fieri in civitate placentie.

De salario curreriorum.

69. Habeat currerius pro ambassiata quam fecerit in civitate placen. vel sub urbiis duos denarios tantum salvo quod de ambassiata quam fecerit in platea comunis vel circa plateam habeat unum denarium tantum; pro ambassiatis autem que fecerit seu fient in districtu placen. et de pignoramentis que fient in civitate placen. et districtu habeat secundum quod convenerit inter eum et mittentem.

Alioquin arbitrio iudicis relinquatur duntamen pro ambassiatis vel pignoramentis in episcopatu factis non habeat currerius ultra quantitatem quatuor denariorum pro quolibet milliare pro eundo et redeundo. Ita quod (1) non possit currerius recusare aliquam ambassiatam seu pignoramentum facere in civitate placen. vel districtu: et ad ipsam ambassiatam vel pignoramentum fiendum cogatur remediis pretoris quilibet currerius nisi pretendat iustam causam que iudicis arbitrio relinquatur. Et quod ipsi currerii teneantur observare statuta et provisiones factas ipsis curreriis sub pena librarum x. placen. cuius pene medietas sit camere prefati domini et alia accusatoris.

De taxatione tubatorum pro cridis mortuorum.

70. Quando fient cride occasione mortuorum tubatores non accipiant pro eorum labore nisi duodecim denarios pro qualibet porta civitatis in qua cridaverint ipsos defunctos: ad quas cridas teneantur ipsi tubatores in pena xx. soldorum pro qualibet vice. Et nihilominus ad predicta per iudicem compellantur.

---

(1) In entrambe le stampe qui il testo è guasto in modo inintelligibile.

De cridis tubatorum scribendis.

71. Cridas quas facient tubatores precepto potestatis vel alicuius officialis alterius faciant scribi ipse potestas et alii officiales qui facient eas fieri infra tres dies postquam fuerint facte. Et hoc habeat locum in negotiis comunis placen. publicis tantum et aliter non valeant dicte cride.

De solutione tubatorum.

72. Statutum est quod potestas teneatur precise facere fieri solutionem tubatoribus comunis de feodo eis ordinato omni mense. Et etiam curreriis habere debentibus salarium a comuni.

De officiis estimatorum et eorum cessatione.

73. Quia per statuta condita super estimatoribus bonorum debentium pro inde est provisum. Volumus quod officia estimatorum qui consueverunt elligi per sortes ad brevia penitus cessent: et quod de cetero dicti estimatores et notarii comunis plac. minime elligantur.

De potestatibus Vallistarii fiendis etc.

74. Quibuslibet sex mensibus fiat potestas vallis tari et fiat potestas vallis ceni: fiat potestas florenzole: fiat potestas castri sancti ioannis: fiat potestas bobii: qui omnes potestates sint cives placentini: et habeant quilibet eorum unum notarium plac. Qui potestates et notarii per consilium generalissimum elligantur ad brevia: et habeant salarium secundum quod per consilium generale fuerit ordinatum. Et qui potestates eligantur per septem brevia per electores quorum quatuor ad minus sint concordes: cetere autem alie potestarie vallium et plani episcopatus placentie sint casse: et pro cassis et irritis penitus habeantur et deinceps fieri non possint et ab hodie in antea nullus possit eligi ad aliquam potestariam in episcopatu placen. exceptis predictis tantum in pena et banno electoribus librarum. l. et electo si contigerit eum acceptare. l. librarum: et nihilominus eius electio sit cassa. Salvo quod tempore guerre possint fieri si comuni videbitur pro meliori: et quicunque fuerit

potestas electus in aliqua dictarum potestariarum et ipsam acceptaverit non possit elligi ad dictam potestariam infra annum a die depositionis officii numerandum.

De questionibus terminandis per consules mercatorum (1).

75. Item statutum est quod consules sotietatis mercatorum civitatis placen. non possint nec eis liceat se intromittere cognoscere vel terminare aliquam questionem vel causam: vel de aliqua questione vel causa nisi vel ad debita sit causa vel questio que pertineat ad mercantiam seu ad cambia monete vel ad debita contracta causa mercadandie vel de contractibus depositi vel mutui inter homines societatis mercatorum tantum initis pro facto mercadandie: et nisi inter homines societatis mercatorum tantum. Et si secus factum fuerit non valeat ipso iure: non obstantibus aliquibus statutis vel provisionibus vel ordinamentis ipsorum mercatorum: vel paraticorum vel societatis vel alicuius ipsorum factis et fiendis que contra predicta non valeant ipso iure.

De consulibus mercatorum et eorum iurisdictione.

76. Item statuimus quod aliquis qui non sit de collegio seu paraticho mercatorum, seu mercandie civitatis placentie non possit ibi recipere terminum: nec se aliqualiter supponere iurisdictioni ipsius societatis vel collegii seu consulum ipsius societatis, nec possit ibi conveniri aliqua de causa casu vel iure: et siquis ibi terminum receperit vel dicte iurisdictioni se supponere voluerit, vel se supposuerit, ipso iure dictus terminus seu dicta suppositio et quidquid postea secutum fuerit non valeat nec teneat in aliquo, nec per consules dicte sotietatis mercatorum possit aliqualiter conveniri vel molestari.

De his quibus consules mercatorum non habent iurisdictionem.

77. Nullum statutum vel reformatio vel provisio facta vel fienda per

---

(1) Questa e l' antecedente rubrica recano nelle antiche stampe titoli erronei.

aliquos consules vel consilium societatis mercatorum seu aliorum paraticorum vel collegiorum civitatis placen. vel per aliquos paraticos seu per aliquod consilium vel sapientum ipsorum que sunt contra statuta seu ordinamenta comunis placen. facta vel fienda in derogatione seu diminutione iurisdictionis comunis plac. vel iurisdictionis potestatis placen. vel aliquorum ex iudicibus ipsius, non valeant nec teneant ipso iure: et omnino sint cassa: et nihilominus quilibet observans talia statuta vel ordinamenta provisiones vel reformationes factas per dictos consules vel mercatores seu paratiços vel consilium in pena l. librarum placen. postquam ei notificatum fuerit vel denunciatum incidat ipso iure. Quam penam potestas placen. exigere teneatur.

De paraticis non facere debentibus aliqua statuta.

78. Nullus paraticus seu homines paratici facere valeant aliquod statutum vel ordinamentum contra vel in preiudicium alicuius paratici seu hominum ipsius paratici, quod si secus factum fuerit non valeat ipso iure. Et nihilominus paraticus contrafaciens penam x. librarum incurrat ipso facto.

Quod nulla provisio valeat si non fuerit aprobata a consilio generali.

79. Item statutum est quod nulla provisio seu reformatio que de cetero fieret valeat nec teneat nisi fuerit facta mandato prefati domini domini nostri vel auctoritate consilii generalis centum octuaginta. Salvo quod possint fieri provisiones per iudices et sapientes victualium secundum formam statutorum comunis placen. super hoc loquentium.

De consulibus paraticorum non imponere debentibus aliquam taleam.

80. Statutum est quod consules paraticorum placen. vel consilii seu paratici non possint imponere vel exigere aliquam taleam vel collectam inter homines ipsius paratici vel collegii nisi ex iusta causa. Que causa exprimatur in impositione ipsius talee vel collecte: nec aliquis de dicto

paratico vel collegio possit conveniri vel molestari occasione alicuius talee vel collecte nisi causa expressa sibi fuerit et manifesta, propter quam dicta talea vel collecta fuerit imposita in pena vigintiquinque libr. consulibus et consiliariis qui dictam taleam imposuissent seu exigerent. Et nihilominus impositio dicte talee non valeat ipso iure.

De condempnationibus exigendis.

81. Statuimus quod potestas et iudex camere teneantur infra menses duos post condemnationes factas de aliquibus que devenire debeant in comuni placen. per ipsum potestatem et alios officiales comunis placen. de quibus date fuerint fideiussiones seu securitates exigere et recuperare cum effectu in pena librarum quinquaginta potestati et vigintiquinque iudici camere.

Salvo quod predicta omnia non intelligantur in condemnationibus factis vel fiendis per iudicem salis vel doane. Et etiam dicti potestas et iudex camere teneantur exigere et recuperare omnes condemnationes de quibus non fuerint date securitates toto posse suo non fingendo se sub pena predicta.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

10052142

INCIPIT SECUNDUS

De iudiciis et instanciis causarum.

1. Quoniam leges sacratissime laudandos estimant eos qui lites exercitant vere laudis avidos, convenit pro posse insistere ut fomenta litium de medio auferantur, que ne dum in privatorum verum etiam ipsius rei publice detrimenta sepius nutriuntur, nutrita pullulant, pullulata durescunt, durata quieti vite obstacula se opponunt. Que si quidem omnia animo sane voluentes statutarii volentes quieti rei publice providere ad ipsas lites brevius terminandas duxerunt in modum qui sequitur salubriter, et deo propitio statuendum. Videlicet quod instantia cuiuslibet cause (1) excedentis quantitatem vigintiquinque librarum placen. finiatur et sit atque intelligatur finita infra septuaginta dies utiles a die contestationis vere vel ficte computandos: qui dies et instantia ordinati sint et intelligantur modo infrascripto. Oblato enim libello persone que ad iudicium vocatur; vel ad domum eius in ipsis causis et litibus in quibus libellus debet offerri et in actis scripto legitimatis personis iudicis actoris et rei, fiat per partes litis contestatio super ipso libello infra dies duos iuridicos die ipsius legitimationis minime computanda exceptione aliqua non obstante. Quibus duobus diebus elapsis si non fuerit facta litis contestatio per ipsas partes habeatur, et intelligatur litis contestatio facta esse ac si per ipsas partes vel vere vel legitime facta esset: et in ipsa causa procedatur: salvis et reservatis utrique parti tempore

---

(1) Il ms.° Pallastrelli ha *cause civilis.*

diffinitive sententie exceptionibus et defensionibus competentibus et competituris et iuribus quibuscunque. Lite ergo vere vel ficte (1) premittitur contestata, data sit et intelligatur ab ipso die tantum unica peremptoria dilatio triginta dierum utilium inclusive die ipsius contestationis minime computata utrique parti ad probandum: tam per testes quam per instrumenta. Et omne probationum genus: et ad faciendum etiam deponere testium dicta. Dumtamen instrumenta quibus partes uti voluerint infra quindecim dies utiles a die quo dicti xxx. dies currere inceperint computandos in iudicio producantur. Quibus xv. diebus ellapsis dicta instrumenta ulterius in dicta causa produci non possint. Quibus xxx. diebus elapsis extunc testes si qui producti fuerint in causa vel lite intelligantur, et sint aperti et publicati: et tunc iudex teneatur facere fieri copiam partibus de ipsis testibus et dictis (2), et omnibus aliis in causa actitatis si fuerit requisitus per partem. Ab ipsa vero die publicationis et aperture testium, die ipsius aperture minime computata, sit et intelligatur data unica et peremptoria dilatio quindecim dierum utilium utrique parti ad accipiendum copiam testium et aliorum actitatorum in causa: et ad deliberandum reprobandum et reversandum testes et dicta testium, ac etiam ad reprobandum instrumenta et scripturas, et omnia producta in causa vel etiam actitata. Elapso autem termino dictorum quindecim dierum utilium artatis partibus per iudicem cause ad dandum confidentes suos, teneatur ipse iudex utraque vel altera parte instante in pena xxv. librarum placen. assumere i. vel plures de collegio iudicum placen. sapientes ad consulendum diffinitive super dicta causa infra tres dies utiles post dictos quindecim dies computandos. Qui iudex cause infra tertiam diem a dicta die assumptionis compellat partes ad deponendum salarium pro consilio, oppositione aliqua non obstante. Et quicumque unùs vel plures fuerint assumpti ad consulendum, diffinitive teneantur deposito salario: quod salarium stet in deposito nec consultori detur, donec ipse consultor consilium infra tempus instantie dederit in scriptis apud acta iudicis utraque seu altera parte instante, dare consilium suum in scriptis clarum et certum: per quod consilium appareat quis obtinuerit, et quis subcubuerit in causa et questione: et cum certa et expressa

---

(1) I mss. hanno dopo *ficte*, *ut*.

(2) Il ms.° Dominici ha *dictis eorum*.

quantitate expensarum in quibus victus fuerit condemnandus: et etiam expensas ipsius consultoris sibi restituendas per partes apud acta iudicis infra xv. dies utiles a die ipsius assumptionis, dicta die assumptionis minime computata sub pena centum soldorum et amissionis salarii illius consilii et plus et minus arbitrio iudicis: et nihilominus ipse consultor teneatur ad restituendum partibus omnes expensas factas in illa causa in qua fuerit per partes assumptus si eius defectu vel negligentia suum consilium intra tempus instantie non dederit apud acta ut predictum est. Quod consilium sic datum (1) apud acta, teneatur iudex cause utraque seu altera parte instante in pena vigintiquinque librar. citatis partibus publicare et pronunciare ante finem dicte instantie lxx. dierum utilium, nisi interim dicta causa esset per concordiam terminata. Sane capitula intentionum data per partes vel alterutram ipsarum et testes ad probandum super eis admittantur, salvo iure impertinentium tempore disputationis diffinitive sententie et non admittendorum. Hoc videlicet observando quod lite contestata libellus non possit mutari emendari annullari: vel aliquid in eo addi vel minui seu etiam reformari. Siquis vero post litem contestatam dixerit se gravatum vel gravari ab aliquo precepto, interlocutoria vel processu, quod gravamen interponi possit eadem die vel sequenti iuridica et non ultra, vel suis expensis petierit consilium sapientis, teneatur eadem die vel sequenti dare confidentes suos ad accipiendum sapientem de dicto collegio, et deponere salarium pro consilio: quod consilium sit suis expensis et deponere decem solidos parti adverse: si super ipso gravamine subcubuerit applicandos, nisi ipsi gravamini vel consilio renunciaverit ante assumptionem sapientis: quem sapientem assumptum iudex cogat ad dandum consilium suum omnibus remediis iuris infra octo dies iuridicos. Et quo sapiente assumpto super aliis super quibus non asumptus fuerit nihilominus procedatur. Si vero dicens se gravatum vel suis expensis petens consilium sapientis predicta non observaverit, hoc ipso intelligatur renunciasse ipsi gravamini et consilio quod petebat. Ita quod per aliquod gravamen vel petitionem sapientis, quod vel que interponeretur nullatenus impediatur assumptio sapien. in causa super diffinitiva debito modo et tempore facta vel

---

(1) *Sic datum.* Il ms.° Pall. ha *sit clarum.*

fienda: et pronunciatio consilii illius assumpti in dicta causa infra tempus instantie ordinate. Preterea siquis ex litigatoribus dixerit se habere testes vel instrumenta extra provinciam lombardie, et ob hoc petat terminum ad probandum, detur sibi terminus et peremptorius ad probandum et producendum arbitrio iudicis, inspectis locorum distantia et negotii qualitate cum moderamine infrascripto: quia ille qui petit dictam dilationem requirat eam infra quinque dies utiles post litem vere vel ficte contestatam: et infra dictum tempus assignet et deponat in publico duos soldos pro qualibet libra extimationis litis, et nomina testium quos producere intendit apud acta det in scriptis que pena (1) parti adverse applicetur, nisi ipsos testes et instrumenta produxerit infra dictam dilationem sibi per iudicem assignandam. Qua dilatione elapsa, testes si qui producti fuerint per partes, vel alteram earum, sint et intelligantur apperti et publicati: et ex tunc elapso dicto termino, omnes termini et dilationes currant et sint dati: et omnia observentur que fienda et observanda usque ad finem cause supra dicuntur quando elapsi fuerint dicti triginta dies: et in hoc casu dumtaxat quando modo predicto datur dilatio propter testes et instrumenta existentia extra provinciam lombardie, possit non obstantibus predictis instantia cause se extendere ultra dies lxx. utiles aliis nihilominus in suo robore durantibus. Durante autem termino predicto triginta dierum utilium seu dicta dilatione que dabitur ad probandum quando testes vel instrumenta extra provinciam lombardie existere ut premittitur dicerentur, iuretur de calumnia quam citius fieri poterit partibus hoc requirentibus vel altera earum. Quod iuramentum per principales personas et per advocatos et procuratores eorum (2) prestetur si fuerint tempore dilationis ambe partes in civitate placen. vel districtu. Alioquin si dicte partes vel altera earum tunc non fuerit in civitate placen. vel districtu procedatur in causa absque aliquo calumnie iuramento. Sed si ante assumptionem sapientis super diffinitiva per quinque dies utiles ambe partes que fuerint absentes vel quarum altera fuerit absens, fuerint presentes in civitate placen. vel districtu, tunc iuretur de calumnia per ipsas partes principales si ab eis vel altera earum fuerit requisitum. Quo calumnie iuramento prestito ut dictum

---

(1) *Que pena.* Il Cod. Pall. ha *que pecunia.*

(2) *Procuratores corum.* Il ms.° Pall. ha *procuratores partium.*

est, possint non obstantibus predictis fieri positiones vel interrogationes per partes vel alteram earum ante assumptionem sapientis super diffinitiva in quacumque parte litis, nihilominus semper currentibus omnibus dilationibus et terminis supradictis, de quibus positionibus copia detur in scriptis parti contra quam fient. Ita quod per unam diem continuam super eis valeat consulere et deliberare, intellecto quod propter iuramentum calumnie vel positiones prelibatas nulli processus dilatio vel termini supradicti aliqualiter impediantur vel retardentur. Sed nihilominus currant non obstantibus ipsis positionibus vel calumnie iuramento. In omni vero causa vel lite que est xxv. librarum placen. vel infra usque in quantitatem xl. soldorum placen. exclusive procedatur per iudicem cause summarie et de plano sine figura et strepitu iudicii: ita tamen quod instantia dicte cause a die querimonie peragende dicta die minime computata triginta dies utiles inclusive non excedat, in pena vigintiquinque librarum placen. iudici cause, si infra triginta dies utiles causa non fuerit per diffinitivam sententiam terminata. Si vero non petatur certa quantitas vel certa res, tunc durare possit instantia quemadmodum si causa esset ultra quantitatem vigintiquinque librarum: quam penam ipse iudex cause incurrat ipso facto si per ipsum iudicem steterit. In omni vero causa lite seu questione que est a quadraginta soldis infra, possit iudex cause procedere cognoscere terminare et diffinire summarie: et de plano sine figura et strepitu iudicii diebus feriatis et non feriatis: et sine libello vel petitione: seu memoriali in scriptis et absque aliqua instantia: prout et sicut dicto iudici placuerit et videbitur expedire: et absque aliquo consilio sapientis assumendo. Et quod nullus possit interponere approbationem vel nullitatem, vel gravamen vel petitionem sapientis a sententia, que per ipsum iudicem in dicta causa lite seu questione fuerit lata usque ad dictam quantitatem xl. soldorum vel infra, aliquibus aliis statutis comunis vel iuribus in contrarium loquentibus non obstantibus: Et quia supra dies utiles sepius nominantur, dies utiles convenit intelligi omnes, exceptis diebus feriatis introductis in honorem dei et sanctorum eius: et aliis diebus feriatis introductis propter messes et vindemias, prout omnes dicte ferie in statutis comunis placen. continentur: ac etiam feriis repentinis que inducte essent vel inducerentur, et diebus quibus iudex non sedet publice in loco ubi ius reddere consuevit: exceptis etiam diebus quibus in causa vel lite seu super eis inter

partes compromissum fuerit et duraret. Insuper ut omnis via cavillandi penitus auferatur quilibet advocatus teneatur diligenter prestare patrocinium suum in omni causa in qua fuerit advocatus: et qualibet parte cause quotiensque usque ad finem cause fuerit opportunum: et procurator suam (1) satisfacto eis de salario suo secundum quod ordinatum est vel ordinabitur dando medietatem salarii in principio cause; et aliam medietatem in fine. Ita quod per eorum tarditatem processus et sententia minime retardetur in pena xxv. librarum advocato: et decem librarum placen. procuratori comuni plac. applicanda. Notarius vero actorum teneatur ponere celeriter, videlicet ea die qua acta fuerint vel sequenti scripturas litis in libro actorum. Et quod in omni causa et questione in quocunque iudicio omnes scripturas quas partes fecerint vel fieri fecerint seu facere voluerint, teneantur ipse partes antequam iudex descedat a bancho dare in scriptis dicto notario actorum, vel eas scribi facere per ipsum notarium in actis: quas scripturas sive notas scripturarum dicto notario datas in scriptis teneat ipse notarius penes se custodire et salvare: et quod dictus notarius non teneatur nec debeat nec possit aliter ipsas scripturas recipere nec eas in actis ponere: et quod dictus notarius teneatur de ipsis scripturis dare copiam partibus quandocunque fuerit requisitus, satisfacto sibi competenter de labore suo secundum quod ordinatum est vel ordinabitur. Alioquin centum soldorum penam qualibet vice incurrat ipso facto, si dictus notarius contrafecerit in aliquo predictorum. Simili modo easdem penas xxv. librarum incurrat advocatus et procurator x. librarum si assumpto sapiente super diffinitiva opposuerit aliquam oppositionem cavillationem seu instrumentum vel scripturam de novo quo minus lis seu causa termino debito finiat: et si predicti advocati et procurator in tota causa non perseveraverint patrocinium suum ut opportunum erit in causa restituant salarium quod recepissent, insuper condemnetur advocatus in xxv. libris et procurator in x. libris. Et que dicta sunt de advocatis procuratoribus et notariis: tam in causa principali quam approbationis (2) vendicent sibi locum. Et quod notarii teneantur ponere ad librum omnes scripturas et acta omnia

---

(1) *Procurator suam.* I mss. hanno *et procurator procurationem suam.*

(2) *Quam approbationis.* I mss. hanno *quam appellationis.*

et omnia instrumenta que receperint infra unum mensem postquam ipsa receperint sub pena flor. x. auri pro qualibet scriptura non posita ad librum applicanda pro medietate parti: et pro reliqua medietate comuni: et quod iudex sub quo erit dictus notarius teneatur et debeat bis in mense facere scrutinium ipsis notariis, si dictas scripturas et instrumenta posuerint in libro, et signare et scribere super quadam vacheta que scriptura est illa et diem, et in fine regiminis ipsius iudicis teneatur dare ipsas vachetas rationatoribus comunis placen. qui statim teneantur dare exactoribus nomina illorum notariorum et quantitatum. Qui exactores teneantur ipsas exigere absque aliqua alia condemnatione sub pena cuilibet iudici contrafacienti librarum xxv. pro qualibet vice et totidem notariis et totidem exactoribus. Et quod quilibet sindicus teneatur sindicare ipsos iudices de hoc quando potestates sindicabuntur, nec possit aliquis iudex opponere nec allegare quod hoc statutum non fuerit sibi denunciatum. Et hoc solummodo habeat locum a calendis ianuarii proximi venturi in antea.

De forma libelli servanda.

2. Sufficiat in quolibet libello exprimere causam: et nomen actoris in libello nemo exprimere teneatur.

De appellationibus.

3. In causa appellationis infrascripto ordine procedatur. Quia appellans in casibus in quibus appellare licet iuret quando appellat coram iudice a quo appellatur se: nec dolo nec calumnia, sed credens iustam fovere causam appellasse. Qua appellatione interposita appellans teneatur porrigere in dicta causa libellum infra tres dies utiles inclusive si fuerit in civitate vel habitaverit seu habitationem habuerit ille cui libellus debet offerri. Et si in episcopatu infra v. dies inclusive iudici ad quem appellatum fuerit et etiam appellatio seu legiptime persone pro eo personaliter vel ad domum. Alioquin qui appellaverit reputabitur non appellans: et ad executionem principalis sententie procedatur. Quo libello porrecto et in actis dicti domini iudicis ad quem appellatum fuerit scripto, legiptimatis personis iudicis actoris et rei, infra duos dies sequentes utiles,

die ipsius legiptimationis computata (1), sit et intelligatur facta litis contestatio inter ipsas partes exceptione aliqua non obstante, salvis et reservatis utrique parti tempore diffinitive dicte cause exceptionibus defensionibus competentibus et competituris et iuribus quibuscumque.

Lite igitur in ipsa causa ut premittitur contestata, data sit et intelligatur ab ipsa die, dicta die contestationis minime computata, unica tantum et peremptoria dilatio utrique parti quindecim dierum utilium ad probandum de iure suo: quocumque genere probationum quod de iure sit alias admittendum. Et salvo quod si aliqua partium producere voluerit aliqua instrumenta que producta non fuerint in causa principali, ipsa instrumenta producat primis quinque diebus dictorum quindecim dierum utilium: et aliter ipsa de novo instrumenta non producat. Elapsis vero diebus xv. et tunc si qui testes producti fuerint in dicta causa intelligantur et sint aperti et publicati: et tunc iudex teneatur facere fieri copiam partibus de ipsis testibus et eorum dictis et omnibus aliis in causa actitatis. Ab ipsa vero die ultima dictorum xv. dierum utilium, dicta ultima die minime computata, sit et intelligatur data unica et peremptoria dilatio utrique parti decem dumtaxat dierum utilium ad accipiendum copiam testium si qui producti fuerint et aliorum actitatorum in dicta causa et deliberandum reprobandum et reversandum ipsos testes et dicta eorum: et etiam ad reprobandum instrumenta et scripturas, et omnia alia producta in dicta causa seu omnia actitata.

Post vero lapsum dictorum decem dierum, iudex cause arctatis partibus ad dandum confidentes suos, teneatur utraque vel altera parte instante in pena xxv. librarum placen. assumere unum vel plures de collegio iudicum sapientes ad consulendum diffinitive super dicta causa infra duos dies utiles computandos post dictos dies x. In quacunque tamen parte cause predicte post litem contestatam usque ad assumptionem sapientis super diffinitiva, possit iurari de calumnia, fieri positiones et interrogationes modo et forma que dicuntur in statuto quod loquitur de causa principali nullo ob hoc impedimento obstante quominus labatur instantia dicte cause per terminos prelibatos, dum tamen instantia dicte appellationis xliiii. dies utiles non excedat numerandos a die contesta-

---

(1) *Computata.* Il ms.° Pall. ha *non computata.*

tionis, ipsa die contestationis minime computata. Et quicumque unus vel plures assumpti fuerint in dicta causa ad consulendum diffinitive ut predicitur, sapientes teneantur deposito salario suo, quod salarium stet in deposito, nec consultori detur donec ipse consultor consilium suum infra tempus instantie dederit in scriptis apud acta iudicum utraque seu altera parte instante, dare consilium suum in scriptis apud acta iudicis infra xv. dies utiles die ipsius assumptionis minime computata sub pena centum soldorum et amissionis salarii illius consilii. Et nihilominus ipse consultor teneatur ad restituendum partibus omnes expensas factas in illa causa in qua fuerit assumptus, si eius deffectu vel negligentia suum consilium infra tempus instantie non dederit apud acta, et plus et minus arbitrio domini nostri prelibati. Quod consilium sic datum apud acta teneatur iudex cause predicte utraque seu altera parte instante in pena xxv. librarum citatis partibus publicare et pronunciare infra duos dies utiles post dictos dies xv. supranominatos. Et iudex qui assumptus fuerit super diffinitiva sententia vel interlocutione possit et debeat cogi quandocunque ad dandum consilium suum in scriptis etiam post tempus statutum infra quod dare debeat consilium suum. Ita quod propterea assumptio de ipso facta non intelligatur esse cassa vel remota, dumtamen infra tempus instantie dictum consilium pronuncietur, et quod dicitur de dando consilium per sapientem post tempus infra quod dictum consilium dare debeat, vendicet sibi locum in causa principali. Hoc videlicet intellecto quod dictum est in statuto quod loquitur in causa principali de intentionibus admittendis salvo iure impertinentium quando videlicet testes in causa appellationis alias producti valeant. Et quod dictum est quod libellus non possit mutari, emendari, cumulari, vel in eo addi vel minui seu aliquid reformari: Et quod dictum est quando aliquis senserit se gravatum vel suis expensis petierit consilium sapientis et de sapiente assumendo et cogendo et de interlocutoriis certo modo et infra certum terminum terminandis: et quod dictum est quod sapiens assumptus teneatur dare consilium suum clarum et certum, per quod consilium appareat quis obtinuerit et quis subcubuerit in ipsa causa cum taxatione et expensarum certa quantitate expressa in quibus victus fuerit condemnandus: et etiam expensas consultoris per partes sibi restituendas etiam in causa appellationis vendicent sibi locum: dumtamen instantia dicte cause appellationis dictorum dierum utilium modos vel terminos

non excedat. Sane ut appellationes que plerunque ad querenda subterfugia fuerint modo debito refrenentur. Siquis appellans in causa appellationis subcubuerit solvat pro pena duos soldos pro qualibet libra estimationis litis. Et si lis non fuerit de certa quantitate, ipsa lis estimetur et extimata sit et intelligatur habito respectu ad salarium quod consultor in causa et lite habuerit a partibus, cuius pene medietas comuni plac. applicetur, et alia medietas appellato, in quam penam hoc ipso sit et intelligatur condemnatus: et etiam in expensis legitimis factis per adversarium tam in causa principali quam in appellationis causa supradicta, de quibus pena et expensis solvendis ut predicitur teneatur qui appellaverit coram iudice appellationis infra octo dies utiles post contestationem litis dicte cause, vel ante prestare apud acta idoneam cautionem labentibus nihilominus dicte instantie prelibatis terminis. Alioquin appellationi renunciasse intelligatur si ut predicitur dictam non dederit cautionem.

De modo et forma appellandi.

4. Quicunque appellaverit in causa civili in casibus in quibus appellare licet si a sententiis iudicis rationis duxerit appellandum, appellet ad iudicem maleficiorum. Si vero appellaverit a sententiis iudicis stratarum vel iudicis victualium vel iudicis gabellarum vel iudicis gabelle salis in quo casu appellare licet, appellet ad vicarium potestatis vel ad iudicem rationis quem appellans ellegerit: si autem appellaverit a sententiis iudicis camere deputati ad exactiones comunis placen. in casibus in quibus appellare licet, appellet ad iudicem rationis quem appellans ellegerit vel ad vicarium potestatis. Si autem a sententiis iudicis maleficiorum in casibus in quibus appellare licet ut puta, a sententiis quas tulerit in questionibus aquarum seu rivorum et quacunque alia causa civili appellatum fuerit vel si appelletur a sententia vicarii potestatis, appelletur ad potestatem. Verum si appellans in causa appellationis obtinuerit sententialiter et pars adversa duxerit appellandum ab ipsa sententia que ferretur in causa appellationis per aliquem iudicem predictorum eo casu appelletur ad potestatem. Qui potestas nullam causam ad se per appellationem devolutam possit committere alicui ex iudicibus potestatis coram quo dicta causa principaliter vel per appellationem fuerit devoluta: Sed eam committere possit et debeat oblato appellationis

libello coram eo alio ex iudicibus prelibatis. Ita tamen quod in aliqua causa vel occasione alicuius cause idem non possit bis appellare nec bis dicere nullam. Et quicunque appellaverit ab aliqua sententia in casibus in quibus appellare licet teneatur et debeat in ipsa appellatione proponere si voluerit nullitatem infra tempus. x. dierum a iure datum ad appellandum: et si appellaverit et proposuerit nullitatem et petierit restitutionem vel alterum ipsorum fecerit intra dictum tempus possit et debeat infra tempus instantie appellationis ipsius de ipsis et super ipsis appellationis nullitate restitutione et altera ipsorum procedi cognosci terminari et sententiari sicut de ipsa et in ipsa appellatione, et quo tempore x. dierum elapso amplius non possit quis sententiam dicere nullam per modum agendi, nec etiam excipiendi, nec appellare, et quod quilibet qui voluerit principaliter agendo vel excipiendo dicere sententiam nullam si ipsius sententie prolationi non fuit presens nec procurator eius qui fuerit in causa possit ipsam sententiam dicere nullam infra x. dies et non ultra numerandos a die proclamationis ipsius sententie vel notificationis facte sibi vel eius procuratori vel ad domum ipsius solite habitationis in scriptis per curam comunis placen. vel aliter de ipsius sententie prolatione.

De appellationibus recipiendis.

5. Potestas seu iudex ad quem fuerit appellatum teneatur appellationem recipere in casibus in quibus licet appellare sub pena xxv. librarum placen.

De modo procedendi in appellatione.

6. In causa appellationis non recipiantur novi testes nisi nova emerserit questio vel inciderit vel causa. Et hoc vendicet sibi locum si aliquis testis vel aliqui testes fuerint producti et deposuerint in causa principali. Alias possint testes produci in causa appellationis hoc statuto non obstante: et si quis succubuerit in causa nullitatis interposite per eum alicuius cause vel questionis, quod ab ipsa causa nullitatis in qua succubuerit non possit appellare, nec etiam possit dicere nullam: et quod quilibet qui diceret sententiam nullam teneatur dare satisdationem quemadmodum tenetur ille qui appellat. Et quod causa nullitatis principalis:

et etiam restitutionis in integrum que peteretur per maiorem xiiii. annorum, non duret nec durare possit ultra tempus appellationis finiendum. Et quod in ipsa causa nullitatis et in causa restitutionis in integrum que peteretur per maiorem xiiii. annorum procedatur cognoscatur et terminetur: et omnes solennitates dilationes et instantie fiant et observentur que fieri et observari debent in causa appellationis. Et quod predicta locum habeant in futuris questionibus tantum. Et quod sententia non possit dici nisi semel nulla si succubuerit ille qui dixerit semel nullam per eum qui eam dixerit semel nullam.

De eisdem.

7. Item statutum est quod nullus ab aliqua sententia interlocutoria lata in aliqua causa vel questione in qua non fuerit oblata vel necessaria petitio vel memoriale scriptum in actis secundum formam statutorum comunis placen. nec ab aliquo gravamine vel petitione sapientis, nec etiam a sententia que super ipsis gravamine vel petitione sapientis ferretur nec etiam ab aliqua taxatione espensarum possit appellare, nec etiam interponere nullitatem nec petere restitutionem: Sed possit dicere se gravatum et petere consilium sapientis semel tantum et secundum formam statutorum comunis placentie super hoc loquentium.

De diebus feriatis.

8. Statutum est dies feriatos totius anni modo qui sequitur observandos. videlicet.

De mense ianuarii diem calendarum ipsius mensis usque ad octavam inclusive et festa sanctorum illarii, Savini et Pauli apostoli: agnetis et vincentii: et Sebastiani (1).

Et quod qualibet die feriata et non feriata possint fieri saximenta et sequestrationes: et de ipsis cognosci summarie et de plano et sine figura et strepitu iudicii, et de satisdationibus ipsorum saximentorum prestandis.

De mense februarii festa beate sancte brigide, sancte marie virginis, sancti blasii, sancte agate, sancti petri, et sancti mathie apostoli.

---

(1) La feria di S. Sebastiano manca nei mss. Pall. e Dominici.

De mense martii festa sancti gregorii doctoris ecclesie, sancti benedicti, et beate marie virginis.

De mense aprilis festa sancti georgii et sancti marci evangeliste et sancti petri martiris.

De mense maii festa apostolorum beatorum iacobi et philippi, inventio sancte crucis, sancti ioannis ante portam latinam.

De mense iunii a calendis ipsius mensis inclusive usque ad calendas augusti, et de dicto mense iunii festa sancti barnabe apostoli: sanctorum gervasii et protasii, sancti ioannis baptiste et apostolorum petri et pauli, ac sancti iuliani (1).

De mense iulii festa sancti antonini martiris, sancte margarite virginis Marie magdalene, sanctorum nazarii et celsi, et sancti iacobi apostoli, sancte marie, sancte anne.

De mense augusti festa sancti petri ad vincula, sancti dominici, sancti sixti, sancti laurentii, assumptionis beate et gloriose virginis marie, sancti bartholomei apostoli, sancti augustini doctoris ecclesie, decolatio sancti ioannis baptiste.

De mense septembris festa beate virginis marie, sancti matei apostoli et evangeliste, sancte iustine, exaltatio sancte crucis, sancti michelis, sancti hieronymi (2), sancti nicolai de tolentino.

Et quintamdecimam diem ipsius mensis septembris usque ad quintamdecimam diem mensis octobris inclusive propter vindemias et seminationes salvo quod tempore nundinarum possit reddi ius de omnibus pertinentibus ad ipsas nundinas.

De mense octobris festa sancti luce evangeliste, et Sanctorum Simonis et iude apostolorum, sancti francisci, sancti donini et sancti galli.

De mense novembris festa omnium sanctorum, et diem sequentem in quo fit commemoratio defunctorum, sancti martini, sancti antonini, sancte catarine virginis, sancti andree apostoli.

De mense decembris festa sancti nicolai, sancti ambrosii doctoris ecclesie, sancte lucie, et vigilia sancti thome apostoli inclusive usque ad finem dicti mensis per natalitios dies domini nostri iesu christi.

---

(1) Nei mss. la festa di S. Giuliano non è indicata come feria.

(2) Nei mss. non sono feriati i giorni di S. Girolamo e di S. Nicolò.

De feriis generalibus.

9. Item omnes dies dominicos et diem lune precedentem carnisprivium usque ad subsequentem diem mercurii inclusive, et diem sabbati olivarum usque ad diem octave resurrectionis domini inclusive, et tres dies ante ascensionem domini et vigiliam pentecostes: et ipsum diem pentecostes cum duobus diebus sequentibus. Et diem primam festi corporis domini nostri iesu christi, in quibus diebus omnibus omnium litium strepitus causarum civilium conquiescant. Et si aliqui processus fierent vel sententie ferrentur in ipsis causis non valeant ipso iure, exceptis casibus in quibus de iure (1) potest cognosci et tractari seu litigari feriatis temporibus messium et vindemiarum. Salvo quod quocumque tempore questiones aquarum cognoscantur.

De diebus utilibus tenendis per notarios.

10. Quia in statutis comunis plac. sepe habetur mentio de diebus iuridicis et utilibus, ut sciri valeat quibus diebus per iudices ius reddatur, volumus quod iudices rationis et quilibet eorum faciant scribi in actis separatim per se, et ordinate per aliquem ex notariis cuiuslibet eorum omnes dies iuridicos quibus per quemlibet eorum publice ius reddatur in pena centum sold. plac. quam quilibet ipsorum incurrat ipso facto qui predicta duxerit negligenda. Et si predicti dies per aliquem ex dictis notariis scripti non fuerint incurrant quilibet ipsorum penam xx. soldorum plac. ipso facto: et predicta etiam observentur et cum penis predictis per vicarium potestatis et per iudicem maleficiorum et per notarios ipsorum occasione questionum et causarum civilium que coram ipsis verterentur.

De curatore dando bonis.

11. Si citatio fuerit facta quod aliquis compareat coram iudice, vel quod si quis vult esse heres vel defendere bona alicuius compareat coram

---

(1) *De iure.* I mss. hanno *de iure comuni.*

iudice infra tertiam diem si citatio facta fuerit in civitate plac. Si vero in districtu infra v. dies.

Et infra dictum tempus nemine comparente legitime hoc ordine ulterius procedatur: videlicet quod elapso termino fiat proclamatio in plateis comunis maioris ecclesie, et burgi, et per singulas portas civitatis in locis consuetis et in contrata in qua habitat vel habitare consuevit ille contra quem vel eius bona proceditur si habitat vel habitare consuevit in civitate: et si habitat vel habitare consuevit in districtu fiat proclamatio in dictis plateis et locis, et iuxta portam civitatis per quam itur ad locum ubi habitat vel habitare consuevit ille contra quem vel eius bona proceditur: quod si quis vult defendere eum vel bona eius vel esse heres vel defendere bona eius contra quem proceditur, quod compareat coram iudice coram quo agitur usque ad octo dies subsequentes, die ipsius proclamationis minime computata. Quo elapso termino si nullus legitime comparuerit, fiat dicta proclamatio in dictis locis quod omnes creditores predicti contra quem vel eius bona proceditur compareant cum cartis et iuribus eorum, et scribi faciant in actis nomina eorum, et id quod petunt coram dicto domino iudice usque ad octo dies subsequentes non computata die ipsius proclamationis, quia iudex vult dare et constituere curatorem bonis ipsius et procedere ad ipsam curationis dationem. Postquam nemine comparente dare possit curator ipsis bonis ad postulationem eius qui predictas proclamationes et processus fieri fecit. Si vero infra dictum terminum comparuerint creditores: et ut premittitur fecerint scribi in actis nomina eorum, et id quod petunt, statuatur ipsis creditoribus predicto termino elapso pro termino certa dies per iudicem seu ex parte eius, instante aliquo ex ipsis creditoribus, quia intendit et vult dare ipse iudex ipsum curatorem ut sint coram eo occasione dationis ipsius curatoris: et tunc ipsis comparentibus vel si aliqui absint ad postulationem comparentium videlicet maioris partis eorum det et constituat iudex ipsum curatorem, quam maiorem partem intelligimus habito respectu ad debitam quantitatem vel rem. Qui curator legitime constitutus faciat inventarium de bonis predictis antequam aliquid gerat vel administret. Quo facto fiat proclamatio in dictis locis quod omnes creditores predicti contra quem vel eius bona proceditur compareant usque ad x. dies subsequentes non computata die ipsius proclamationis cum eorum cartis et iuribus coram iudice ad po-

stulationem dicti curatoris, quia ipse vult facere solutionem creditorum per ordinem: et ad hoc ut nullus valeat ignorare omnes proclamationes predictas, fiant in locis predictis publice et alta voce per tubatores comunis plac. premisso sono tube, ita quod de qualibet proclamatione tubator ultra duos soldos non recipiat: et si tubator recusaret ad hoc etiam inuitus per iudicem compellatur: quibus peractis, legitimatis debitis per ipsos curatores, teneatur curator facere solutionem per ordinem ipsis presentibus creditoribus qui venerunt. Ita quod instantibus ipsis creditoribus qui comparuerint ut predicitur teneatur curator facere ipsis creditoribus solutionem per ordinem, preponendo aliis eos qui habuerint potiora iura. Et ut predicta per ordinem fiant requirantur ad postulationem curatoris creditores omnes de quibus supra fit mentio quod veniant certa die accepturi solutionem secundum ordinem predictum. Alioquin ipsis negligentibus possit facere solutionem ipse curator creditoribus instantibus per ordinem, aliorum negligentia non obstante, et si secus per curatorem fieret non valeat ipso iure. Si vero aliqui ex creditoribus qui fecerint se scribi in actis infra terminum aliquem ex terminis antedictis non acceperint solutionem vel quia noluerint vel quia non comparuerint ad accipiendum solutionem ut predicitur, non possint revocare (1) solutiones aliis creditoribus factas, licet sint iure vel tempore potiores. Salvo quod per dictas solutiones non fiat aliquod preiudicium: videlicet quantum ad hypothecariam ceteris creditoribus qui non comperuerint vel non fecerint se scribi infra aliquem ex terminis supradictis. Sane cum experientia docente plures confessiones et fraudes per curatores bonorum comperimus non in modicum preiudicium debitorum: volumus et declaramus quod confessio curatoris in aliquo non preiudicet debitori vel bonis alicuius: et quod solutio facta per ipsum curatorem non precedente legitima debiti probatione, et quidquid sequatur ex ea non valeat ipso iure: que omnes solutiones que fient per curatores bonorum fiant hoc modo videlicet: quia per ipsum iudicem eligantur tres boni viri cives habitantes plac. qui iudex eligere debeat illos estimatores tantum quos nominaverit maior pars creditorum habito respectu ad cumulum debiti cum voluntate et consensu curatoris, qui estiment bona fide eorum

---

(1) *Non possint revocare.* Le stampe antiche hanno a rovescio *possint*, meno la piacentina che dà la retta lezione.

sacramento bona de quibus debet fieri solutio per curatores: et qui iurent ipsam estimationem tenere penes se secretam quousque fuerit per iudicem ut infra subiicitur publicata: super qua electione coram deo conscientiam ipsius iudicis oneramus: qui electi extimationem quam fecerint de ipsis bonis clausam, et sigillatam ipsi iudici dent in scriptis, post quam dationem, creditores omnes qui se scribi fecerint vocentur ad certam diem quam elligant: videlicet quilibet secundum quod est potior res quam maluerit accipere in solutum. Quibus electoribus factis et scriptis in actis, tunc rerum electarum per eos vel aliquem eorum estimatio publicetur. Ita quod facta ipsa electione, et in actis scripta ut premittitur, nullus ex ipsis creditoribus qui elegerit possit postea variare: quibus peractis fiat solutio per curatorem tam de principalibus debitis quam expensis sacramento creditorum declarandis, hoc adiiciendo quod ipsa solutio fiat auctoritate et decreto iudicis predicti. Alioquin solutio non valeat ipso iure. Curator autem predictus non possit habere ultra duos denarios de qualibet libra estimationis rerum quas dederit in solutum. Et estimatores omnes predicti ipsarum rerum habeant tres denarios de qualibet libra estimationis ipsarum inter eos comuniter dividendos. Et si contigerit ipsos ire extra civitatem plac. ad postulationem curatoris causa dicte estimationis melius peragendo fiant eis expense per creditores, pro quibus expensis solutionem habeant in bonis debitoris: et quia debitores sepe conqueruntur de rebus que fuerunt ipsorum date in solutum per curatores minus debite estimatis, concedimus quod usque ad annum post dationem in solutum computandum possint ipsas res per curatorem bonorum in solutum datas recuperare a possidentibus solvendo quantitatem pecunie qua data fuerunt a curatore cum expensis necessariis dumtaxat si que facte sunt interim in ipsis rebus, vel etiam circa ipsas. Ita tamen quod si sint ibi fructus aliqui habiti vel pendentes tempore quo debitor soluerit ipsam quantitatem pro dictis rebus recuperandis, sint ipsi fructus nihilominus ipsius creditoris. Si vero fuerint ficta que creditor habuerit in solutum, habeat creditor eo casu dicta ficta pro rata temporis illius anni.

De inventario per curatorem fiendo.

12. Si curator datus bonis alicuius non invenerit aliquid in dictis bonis, nihilominus de ipso nihilo faciat inventarium, dicendo se in ipsis

nihil invenisse: et non possit propterea procedi cum ipso vel per eum ad dandum predicta pro non solvendo.

De solutione facta per curatorem.

13. Quando facta fuerit solutio per curatorem bonorum vel per iudicem de bonis alicuius alicui creditori, teneatur notarius qui fecit instrumentum solutionis dare in publicam formam ipsum instrumentum debitori si petierit expensis suis in pena centum soldorum ipsi notario, et nihilominus ad dandum ipsum instrumentum ipse notarius per potestatem vel eius iudicem compellatur.

De forma executionis contra debitorem (1).

14. Debitor presens si confiteatur debitum, vel convictus sit, teneatur suo sacramento infra quinque dies sibi assignandos per iudicem dare omnia sua bona in scriptis coram iudice apud acta. Quibus datis vel si non dederit requisitus, ipsa bona dari possint in scriptis apud acta per curatorem (2): et tunc eligantur per iudicem citato ad hoc ipso debitore ut veniat ad dandum suspectos vel confidentes tres boni viri qui eorum sacramento bona fide estiment ipsa bona. Quo facto compellatur debitor omnibus remediis iuris facere solutionem creditori, seu creditoribus per ordinem: et si plures fuerint creditores de rebus ipsius debitoris prout fuerint estimate pro debitis et expensis. Quod si facere recusaverit debitor, possit et teneatur ipse iudex ipsam solutionem facere creditoribus seu creditori que perinde valeat ac si per ipsum debitorem legitime facta esset. Et quod quicunque debitor fuerit legitime citatus personaliter vel ad domum eius solite babitationis in qua citatione causa propter quam citatur exprimatur si non comparuerit, possit et debeat ad postulationem creditoris pro debito per instrumentum liquido de precepto inde pignorari. Quo pignorato, citato debitore ad dandum confidentes suos eligantur per iudicem tres estimatores de confidentibus partium vel partis presentis, qui eorum sacramento estimare debeant ipsum pignus. Qua esti-

---

(1) I mss. recano il presente titolo così: *De bonis dandis in scriptis per debitorem.*

(2) I mss. hanno per *creditores.*

matione facta dictum pignus detur per ipsum iudicem in solutum creditoribus usque ad concurrentem quantitatem pro debito et expensis, dicto debitore citato personaliter vel ad domum ad videndum fieri ipsam dationem in solutum. Que datio in solutum sic facta per iudicem valeat et teneat ac si per ipsum debitorem legitime facta esset: ita tamen quod debitor possit recuperare ipsum pignus infra mensem a die dicte dationis insolutum numerandum, restituendo prius ipsi creditori omne illud pro quo ipse creditor ipsum pignus habuit insolutum in pecunia numerata. Et iudex coram quo questio fuerit teneatur sub pena flor. xxv. auri compellere debitorem omnibus iuris remediis, et per captionem et detentionem persone.

De sententia danda secundum formam consilii sapientis.

15. Quilibet iudex vel officialis comunis plac. qui commiserit alicui ex iudicibus collegii plac. aliquam questionem diffinitivam vel interlocutoriam consulendam, teneatur recepto consilio dicti iudicis in scriptis infra duos dies iuridicos, utraque seu altera parte instante ipsum consilium aperire et pronunciare iuxta dictum consilium et sequi formam dicti consilii in pena xxv. libr. plac. Et nihilominus ad predicta teneatur. Quam penam si contra predicta fecerit incurrat ipso facto.

Quod nullus officialis possit esse consultor (1).

16. Cum vicem duorum nullus debeat regulariter substinere, nec in eodem negotio esse consultor et iudex, firmiter statuimus quod nullus iudex vel qui alicui preest iurisdictioni, possit esse consultor et iudex super vel in aliqua questione vel controversia que coram eo vel etiam coram alio quocunque potestate iudice vel officiale etiam si de partium procederetur voluntate fuerit ventilata. Quod si secus fuerit non valeat ipso iure.

De interrogationibus fiendis.

17. Ad postulationem cuiuslibet dicentis se velle agere sine reali vel

---

(1) Il titolo della presente Rubrica è così espresso nei mss. *De non essendo consultore duorum in eodem negotio.*

personali actione, compellatur citatus omnibus iuris remediis etiam ante oblationem libelli respondere ad postulationem ipsius agere volentis, et interrogantis an dictus citatus est heres illius de quo interrogatur: et an est heres ex testamento vel ab intestato: et pro quanta parte est heres, et an rem possideat, et pro qua parte sive pro quota parte, sive possideat rem de qua interrogatur. Et etiam cogatur respondere predictis interrogationibus post oblationem libelli: et post litem contestatam prout et quando fuerit requisitus et interrogatus.

De possesione XXX. *annorum.*

18. Quicunque probaverit se possedisse vel quasi aliquam rem immobilem civiliter vel naturaliter a. xxx. annis citra vel illum a quo causam habet, habeatur pro vero et legitimo possessore, non obstante aliquo qui presentem possessionem se dicat habere: qui presumatur non legitime possidere et eam occupasse, nisi probaverit se iusto titulo eam habuisse, vel per sententiam a competente iudice latam contra eum qui tempore sententie possidebat. De quibus possit et debeat cognosci summarie, et sine libello et strepitu et figura iuditii quolibet tempore tam feriato quam non feriato: et potestas et quilibet officialis comunis placen. teneatur in pena xxv. libr. plac. manutenere et defendere in possessionem vel quasi ipsarum rerum dictum legitimum possessorem.

Quod instrumenta edantur integraliter.

19. Ad hoc ut ille contra quem instrumenta producuntur certiorari valeat an habeat cedere vel contendere. Statuimus quod quicumque utitur aliqua carta vel publico instrumento in iudicio, teneatur ipsam adversario cedere integraliter cum die, millesimo, testibus et notariis et gruppo notarii, et toto ipsius carte seu instrumenti tenore, lege vel consuetudine aliqua non obstante.

De gravaminibus et petitione consilii sapientis et forma eorum servanda.

20. Statutum antiquum super hoc edictum et diutius observatum in-

novamus confirmamus et approbamus, volentes et statuentes quod si quis in aliqua questione super aliquo articulo interlocutoria vel precepto seu processu, vel ex eo dixerit se gravatum vel gravari ab aliquo iudice vel officiali comunis placen. vel super eo petierit consilium sapientis, suis expensis sibi dari teneatur ipse iudex vel officialis in pena xxv. librarum placen. quam penam si secus fecerit incurrat ipso facto dare ipsi hoc requirenti consilium sapientis non suspecti expensis suis. Alioquin si ipsum consilium sapientis non dederit, quidquid ultra fecerit dictus iudex vel officialis seu factum fuerit in causa seu questione non valeat nec teneat, et sit cassum et irritum ipso iure. Salvo quod qui dixerit se gravatum vel petierit consilium sapientis expensis suis teneatur observare statutum quod loquitur de salario deponendo et confidentibus dandis in scriptis, et aliis in ipso statuto observandis. Et quicunque semel dixerit se gravatum vel petierit consilium sapientis suis expensis si super ipso super quo dixerit se gravatum, vel petierit consilium sapientis fuerit pronunciatum, non possit super ipso articulo seu pronunciatione vel eius occasione amplius dicere se gravatum, vel petere consilium sapientis, nec se appellare nec proponere nullitatem. Et quod quilibet sapiens qui assumeretur super aliquo gravamine vel interlocutoria vel petitione sapientis secundum formam statutorum comunis, teneatur consilium suum tradere in scriptis clarum et certum: per quod appareat quis obtinuerit (1), et cum taxatione et expensarum certa quantitate in quibus victus fuerit condemnandus: et etiam expensas ipsius consultoris per partes sibi restituendas, apud acta iudicis infra octo dies utiles a die assumptionis de ipso facte numerandos sub pena centum soldorum et amissionis salarii illius consilii. Et nihilominus teneatur dare consilium suum ut predicitur in scriptis: et ad hoc per iudicem coram quo questio fuerit ventilata omnibus iuris remediis precise compellatur sub pena. xxv. libr. plac. ipsi iudici, quam incurrat ipso facto si requisitus predicta facere recusaverit (2). Et quod ille qui dixerit se gravatum vel petierit consilium sapientis deposito salario secundum formam statuti predicti teneatur eadem die vel sequenti iuridica facere citari adversam partem quoque compareat cum confidentibus suis coram iudice

---

(1) *Quis obtinuerit.* I mss. hanno in aggiunta *et quis succumberit.*

(2) *Recusaverit.* I mss. hanno *recusaverit vel omiserit.*

cause causa assumendi dictum sapientem, ad hoc ut assumatur sapiens super ipso gravamine et petitione sapientis: ac etiam teneatur infra tres dies utiles a die qua fuerit assumptus sapiens, dicta die assumptionis minime computata, presentare ipsi assumpto assumptionem de ipso factam: et omnes scripturas et acta cause in debita forma personaliter vel ad domum eius habitationis. Alioquin si predicta non observaverit intelligatur renunciasse dicto gravamini et petitioni sapientis. Et quod dictus sapiens assumptus infra octo dies computandos a die presentationis, die assumptionis et actorum sibi presentatorum die ipsa non computata, teneatur presentare consilium suum ad bancum clarum et certum cum certa et expressa quantitate expensarum, a quibus expensis non possit partes absolvere quantuncunque, dicat partem seu partes habuisse iustam causam litigandi, et hec in pena et sub pena dicto assumpto librarum x. placen. quarum medietas applicetur comuni placen. et alia medietas parti que se dixerit gravatam et amissionis salarii: et quod pars que dixerit se gravatam teneatur dare ipsi assumpto salarium suum per tres dies utiles ante terminum dandi consilium: et ad hoc omnibus iuris remediis per iudicem cause compellatur etiam per detentionem persone, non obstante quod ipsum salarium fuerit depositum. Et quod si dicta pars que dixerit se gravatam dictum salarium non dederit dicto assumpto, quod alia pars possit ipsum salarium solvere dicto assumpto: quo soluto, iudex ad postulationem eius qui solverit teneatur compellere aliam partem ad ipsum solvendum etiam per detentionem persone, et ante et post publicationem consilii.

De confidentibus dandis et suspectis.

21. Statutum est quod in omnibus causis et questionibus in quibus sententia diffinitiva vel etiam interlocutoria fieri deberet, seu contingat consilio sapientis, quod partes possint et debeant dare confidentes de collegio iudicum sive advocatorum civitatis plac. existentium tunc in civitate placen. vel districtu et tenentes familiam et habitationem in eisdem, et non alios: et non possint cogi partes ad dandum suspectos ad consulendum super dictis causis et questionibus, nec possint dare omnes de collegio suspectos.

De advocatis dandis non habenti.

22. Teneantur potestas et omnes iudices et officiales comunis coram quibus questio oriretur dare advocatum non habenti et petenti: et ipsum advocatum ad hoc cogere, nisi per cognationem seu affinitatem se excusaverit, vel alia iusta causa.

De prohibitione pignoris.

23. Siquis prohibuerit pignus alicui currerio vel nuncio comunis condempnetur in x. soldis (1) si fuerit in civitate vel infra confinia civitatis: si vero in episcopatu extra ipsa confinia in viginti soldis (2): et nihilominus teneatur restituere omnes expensas propterea factas: salvo quod si venerit vel miserit cum currerio coram illo officiale qui illum currerium misit, non teneatur ad dictam penam, et hoc statutum intelligatur in debitis privatis: et quod intelligatur prohibuisse pignus, si prohibitum fuerit pignus per familiam vel aliquem existentem in domo. Et hoc pro prima vice. Si vero pro secunda vice prohibuerit pignus, incurrat penam soldorum centum. Si vero tertia vice prohibuerit pignus incurrat penam librarum x. Que pena applicetur parti pro dimidia: et pro alia dimidia comuni plac. de qua secunda et tertia vice credatur currerio cum i. teste fide digno: et aliter non: et quod occasione pignorum vetitorum non possit procedi per aliquem iudicem vel officialem comunis placen. nisi solum per accusam que fieret per partem ad cuius postulationem dictum pignus fiebat sub pena iudicis florenorum x. et notario librarum x.

De hypothecaria et modo procedendi in ea.

24. Ut via ad hypothecariam preparetur, et circa excutienda bona debitorum et ea pro non solvendo pronuncianda recto et non subdolo ordine procedatur. Statuimus quod si aliquis debitor fuerit convictus vel confessus per creditorem seu curatorem bonorum alicuius, et bona dicantur non sufficere creditori, fiat proclamatio per tubatorem comunis premisso

---

(1) Il ms.° Pall. ha *in* v. *solidis.*

(2) Il ms.° Pall. ha *in decem solidis.*

sono tube in plateis comunis, burgi maioris ecclesie, et in contrata ubi habitat vel habitare consuevit debitor predictus, et alibi in locis consuetis: et si habitat vel habitare consuevit in episcopatu plac. fiat in dictis locis civitatis, et ante portam civitatis per quam itur ad locum seu villam ubi habitat seu habitare consuevit ille debitor quod omnes qui sciunt vel volunt ostendere aliquid in bonis esse debitoris predicti compareant coram iudice coram quo agitur usque ad octo dies subsequentes, die ipsius proclamationis minime computata: et ipsa bona dent in scriptis iudici predicto. Que scripta et nomen ipsius deferentis scribantur in actis: et nihilominus durantibus dictis octo diebus iudex possit de ipsis bonis facere inquisitionem prout sibi videbitur. Quibus octo diebus elapsis, si nullus comparverit qui ostendat aliquid esse in dictis bonis, vel sufficientia bona ipsius creditoris non ostenderit, fiat secunda proclamatio in locis predictis per modum predictum quod omnes quorum interest et qui volunt contra dicere quominus ipse iudex pronunciet pro non solvendo ipsa bona compareat coram dicto iudice usque ad octo dies subsequentes, die ipsius proclamationis non computata, ad ostendendum quare dicta bona pronunciari non debeant pro non solvendo. Quibus peractis si nullus comparuerit qui ostenderit aliquid mobile vel immobile esse in dictis bonis, procedatur ad pronunciationem ipsorum bonorum pro non solvendo exceptione aliqua non obstante. Et si aliqua fuerint ostensa esse in dictis bonis preter nomina debitorum, fiat solutio de eis ipsis creditoribus, que si non sufficiant nihilominus fiat pronunciatio de dictis bonis pro non solvendo: nec in dictis casibus volumus obstare vel impedire dictam pronunciationem bonorum pro non solvendo siquis compareat dicens vel ostendens esse in dictis bonis nomina debitorum.

Qua pronunciatione bonorum pro non solvendo facta, servato ordine prelibato, possit agi hypothecaria contra possessores bonorum que fuerunt dicti debitoris, non obstante quod si aliquis diceret bona debitoris predicti minus legitime fore excussa vel pronunciationem predictam minus legitime fore factam. Et etiam non obstante si in bonis ipsius debitoris essent aliqua nomina debitorum. Que etiam locum habeant in contractibus preteritis et futuris.

De citationibus et contumatiis.

25. Qui citatus fuerit per iudicem vel aliquem officialem comunis plac. bis in civitate si fuerit de civitate, et in civitate habens vel tenens habitationem, vel semel in districtu placen. vel etiam in civitate placen. inventus personaliter si fuerit de districtu: si infra terminum non comparuerit, teneatur iudex et officialis ad postulationem eius qui citari eum fecerat facere ipsum citatum per contumaciam pignorari secundum qualitatem negotii: nec postea audiatur pignoratus nisi primo restituerit expensas contumacie ei qui eum fecerit pignorari (1).

De pignoribus recomendandis.

26. Qui iussus a iudice vel de eius precepto pignus sibi recomendatum per aliquem currerium vel officialem comunis placen. non presentaverit infra tempus sibi statutum a iudice vel de eius precepto, condemnetur qualibet vice in xx. soldis placen. Et nihilominus presentare teneatur ipsum pignus, quam penam incurrat ipso facto, cuius pene medietas parti que fieri fecerit pignus applicet applicetur, et alia medietas comuni plac. Ad quam penam solvendam iudex incontinenti compellat predictum absque aliqua condemnatione vel processu fiendo contra eum.

Quod victus victori intelligatur condemnatus in expensis.

27. In omni causa et questione civili vel criminali ubi fertur diffinitiva sententia ipso iure sit et intelligatur condemnatus victus victori in expensis legitimis factis per victorem in ipsa causa vel questione: et idem observetur et intelligatur in causa cuiuscumque gravaminis seu articuli vel processus in quo petitum fuerit consilium sapientum per

---

(1) Il ms.° Dominici ha la seguente giunta: *Item statutum est quod ubiconque in statutis Comunis Placentie fit mentio seu dicitur quod aliquis possit vel debeat citari, seu illi preceptum seu notificatio fieri ad domum, quod predicta fieri possint et sufficiat ad domum quam ille tunc habebit seu tenebit, vel familiam eius in civitate placentie. Et si ille tunc non habebit domum in civitate plac. tunc predicta fieri debeant ad domum eius habitationis si habitaverit in districtu. Et si tempore citationis non habuerit domum in civitate nec districtu, tunc possit et sufficiat fieri citatio et notificatio ad domum ubi stare et habitare consuevit.*

aliquam partium propriis expensis seu comunibus, in qua non expectatur alia sententia diffinitiva ferri: nec possit iudex cause absolvere partes ab expensis non obstante quod dixerit partem subcumbentem habuisse iustam causam litigandi. Et hoc statutum non vendicet sibi locum in sententiis vel arbitramentis que ferrentur per arbitros vel arbitratores aut amicabiles compositores.

De saximentis fiendis.

28. Quelibet res mobilis existens penes aliquem possit saxiri penes eum ad postulationem cuiuscumque, nec ipsum saximentum relaxetur nisi prestita idonea securitate coram iudice vel officiali ex cuius parte res fuerit saxita de re saxita custodienda et salvanda: et ea re vel eius estimationem presentanda ad postulationem ipsius iudicis vel officialis citato ad videndum dare securitatem illo qui fecit fieri saximentum, si fuerit de civitate vel suburbis, qua securitate prestita hoc ipso saximentum intelligatur relaxatum: et quilibet iudex et officialis comunis plac. sub hoc habens iurisdictionem, teneatur ad postulationem cuiuscunque concedere licentiam currerio comunis placen. faciendi saximenta et sequestrationes de quibuscunque rebus mobilibus penes quoscunque existentibus in civitate placen. et districtu. Et de quibuscunque fructibus existentibus in campis sive sint pendentes sive non pendentes penes consulem ville vel loci in cuius territorio dicti fructus sunt. Et quod ille penes quem factum fuerit saximentum tencatur et debeat ac cogi possit per iudicem remediis iuris ad postulationem illius qui dictum saximentum fieri fecerit, iurare coram dicto iudice et manifestare suo sacramento totum id quod habebat penes se tempore saximenti de bonis seu rebus illius cuius bona fuerant saxita: et etiam totum id quod eidem tempore saximenti dare tenebatur quavis occasione.

De eodem.

29. Si res alicuius fuerit saxita, et ille in cuius preiudicium factum fuerit saximentum compareat coram iudice vel officiali de cuius precepto saximentum emanavit dicens se non posse vel nolle dare securitatem de re saxita custodienda vel presentanda iuxta formam saximentorum.

et se nil debere illi qui fieri fecit saximentum, et paratum quod hoc incontinenti cognoscatur per ipsum iudicem vel officialem, possit et debeat eo casu ipse iudex vel officialis de iuribus utriusque partis nisi qui saxiri fecit renunciet saximento procedere et determinare absque libello et strepitu et figura iudicii summarie et de plano diebus feriatis et non feriatis exceptis feriis introductis in honorem dei et sine aliqua petitione vel memoriali scribendo in actis et absque aliqua instantia.

De saximentis fructuum in campis.

30. Si quis vult saxire vel saxiri facere aliquos fructus existentes in campis sive pendentes sive non pendentes, faciat fieri preceptum consuli ville vel loci in cuius territorio sunt dicti fructus quod colligant et accipiant dictos fructus, et ipsos custodire ad voluntatem iudicis vel officialis ex cuius parte fit saximentum. Et hoc fiat expensis ipsorum fructuum: ad que fienda homines dicte ville vel loci teneantur ipsis consulibus dare auxilium et favorem cum effectu: que si non fecerint dicti consules et homines, condemnetur quilibet consul in centum soldis plac. et villa vel locus in decem libris placen. et nihilominus saximentum valeat et firma remaneat pena contenta in hoc statuto, et quod sufficiat fieri dictum saximentum et preceptum duobus ex omnibus habitantibus in dicta villa suo nomine et aliorum vicinorum dicte ville si dicta villa consulem non habuerit, et quod consul, comunia, et homines predicti et etiam principales et fideiussores eorum non teneantur ad presentationem dictorum fructuum nisi primo et ante omnia fuerit legitime liquidatum debitum pro quo factum fuerit saximentum, quo debito liquidato teneantur consul et homines predicti presentare dictos fructus usque ad concurrentem quantitatem debiti liquidati et expensas tantum et non ultra. Et predicta locum non habeant in saximentis feni et vini.

De re saxita presentanda.

31. Quilibet penes quem res aliqua fuerit saxita teneatur eam presentare coram iudice quando ex parte eius ad hoc fuerit requisitus, et super hoc omnibus remediis iuris per iudicem compellatur.

De saximento non valituro ultra annum.

32. Nullum saximentum duret vel valeat ultra annum, salvo quod si data fuerit securitas et facta promissio de presentando, quod tunc et eo casu possit agi ultra annum usque ad tres annos et non ultra.

De divisionibus rerum comunium fiendis.

33. Statutum est quod si aliquis provocaverit aliquem ad divisionem alicuius rei comunis, quod non obstante aliqua temporis prescriptione etiam triginta vel xl. annorum procedatur et procedi debeat ad divisionem ad postulationem cuiuslibet provocantis summarie et de plano sine libello et strepitu et figura iudicii quocunque tempore feriato et non feriato. Idem observetur in omnibus predictis in actione familie herciscunde et actione finium regundorum.

De eisdem et de modo procedendi.

34. Si quis provocaverit aliquem ad divisionem rerum comunium, procedatur per iudicem ad ipsam divisionem faciendam et fieri faciendam summarie et de plano sine libelli oblatione et sine figura et strepitu iudicii quolibet tempore feriato et non feriato. Adiicentes quod minor etatis auctoritate tutoris vel curatoris possit ad divisionem rerum mobilium vel immobilium comunium cum alio provocare eum cum quo habet ipsam comunionem.

De compromissis sine termino factis.

35. Si fiat compromissum in aliquem tanquam in arbitrium vel tanquam in arbitratorem vel tanquam in arbitrum et arbitratorem seu amicabilem compositorem, et non adiiciatur terminus per quem durare debeat ipsum compromissum, volumus quod duret per annum numerandum a die ipsius compromissi, et non ultra.

De reductionibus ad arbitrium boni viri.

36. Quilibet possit petere sententiam arbitratoris seu arbitratorum infra decem dies utiles a die sententie numerandos, et non ultra reduci ad arbitrium boni viri. Et quod si quis petierit sententiam arbitri seu arbitratoris reduci ad arbitrium boni viri et succubuerit in ipsa causa, non possit a sententia super ipsa reductione lata nec eius occasione appellare nec nullitatem interponere nec dicere se gravatum nec super eo petere consilium sapientis suis expensis. Salvo quod in instrumento compromissi fuerit dictum appositum vel renunciatum quod sententia non possit reduci nec peti reduci ad arbitrium boni viri, quod tunc sententia non possit reduci ad arbitrium boni viri.

Quod officiales non reddant ius concivi suo.

37. Statutum (1) est quod potestas vel eius iudex vel aliquis de eius familia vel aliquis officialis comunis placen. non possit ius reddere alicui qui sit de civitate vel districtu illius qui ius reddit: quod si secus fecerint non valeant ipso iure in preiudicium illius qui litigat cum concive vel districtuali predicto. Et hoc habeat locum si predictis officialibus denunciatum vel oppositum fuerit.

Quod non utens mercantia non conveniatur coram consulibus mercantie.

38. Statutum est quod aliquis qui non utitur mercandia, et qui non est negotiator, non possit compelli vel stringi sub consulibus negotiatorum seu mercandie, non obstantibus quod ipse vel pater eius fuerint negotiatores.

Qui dari tutores et curatores possunt.

39. Potestas et eius iudices ad rationem reddendam deputati, et

---

(1) Il ms.° Pall. ha: ***Statutum est et longo tempore observatum.***

quilibet eorum per se possint dare et constituere curatores et tutores quoscunque et nulli alii hoc liceat (1).

De moderatione testium.

40. In aliqua causa vel questione super quolibet capitulo seu articulo, ultra duodecim testes non recipiantur.

De modo scribendi testes.

41. Statutum est quod omnes testes qui recipiuntur in aliqua causa vel questione scribantur et ponantur in quaterno seu quaternis. Et siqua partium voluerit ipsos testes exemplatos, habere possit ipsos exemplatos. Ita tamen quod autenticum ipsorum testium semper remaneat penes notarium qui eos recepit.

De proseneticis in testes recipiendis.

42. Omnes prosenetici seu curraterii ad testimonium compellantur utraque seu altera parte instante cuius dicto non credatur nisi tanquam unus testis.

De mulieribus compellendis ad testificandum.

43. Si qua mulier ad testimonium vocata fuerit cogatur per iudicem

---

(1) Nel ms.° Pall. dopo la presente segue una rubrica col titolo: *De Judice et notario viduarum.* Ed è come segue: *Eligatur per comune placentie unus providus et discretus Judex peritus in jure et expertus in facto, de collegio Judicum placentie qui sit patronus viduarum sive divitum sive non, et orfanorum, et aliarum miserabilium personarum a quibus nichil accipiat pro mercede seu salario etiam esculentum vel poculentum, sed habeat salarium a comuni placentie pro uno anno quo officium suum durare debet vigintiquinque libras plac. Et in causis omnibus predictarum personarum procedatur et procedi debeat summarie et de plano sine figura et strepitu judicii, et quocunque tempore feriato vel non feriato. Ad que omnia peragenda efficacius eligatur etiam per comune placentie unus bonus notarius qui sit procurator et actor dictarum personarum, et qui etiam scribat scripturas earum per ipsas coram judice producendas, pro quibus nichil accipiat a dictis personis, sed habeat a comuni plac. pro suo salario et labore duodecim libr. plac. pro uno anno. Et insuper preconizetur bis in anno per civitatem publice in locis consuetis quod dicte persone habeant recursum ad dictos advocatum et procuratorem pro predictis. Et teneatur camerarius facere dictam solutionem predictis advocato et notario de quacunque pecunia fuerit in comuni.*

competentem ad testimonium perhibendum remediis iuris per facultates mariti vel patris aut filii vel fratris.

De citationibus testium.

44. Si quis vel qua ad testimonium vocatus fuerit, et post requisitionem secundam si fuerit in civitate vel primam requisitionem si fuerit in districtu placentie ad testimonium reddendum non venerit infra terminum sibi per iudicem assignandum, cogatur restituere omnes expensas ob hoc factas ei qui eum citari fecerit.

De testibus non recipiendis post publicationem testium.

45. Post aperturam testium in causa principali non recipiantur ulterius probationes per testes sive testes aperti seu publicati seu pro publicatis habiti fuerint producti ab utraque parte, sive ab altera tantum. Idem observetur in causa appellationis videlicet in casibus in quibus possint produci testes in causa appellationis ex forma statutorum comunis plac. videlicet quod apertis vel publicatis testibus ipsis, seu postquam fuerint habiti pro publicatis vel apertis ulterius in dicta causa appellationis testes vel probationes per testes non admittantur, sive in dicta causa testes predicti fuerint producti ex una parte sive ab utraque.

De dote exigenda per absentiam viri per septennium.

46. Si quis est vel fuerit absens per septem annos continuos, et elapso septimo anno inditium vite eius non appareat, possit uxor eius dotem exigere in bonis et de bonis viri sui: et etiam antifactum et sponsalitiam largitatem perinde ac si certum esset maritum esse mortuum: eo salvo quod tunc teneneatur mulier dare idoneam securitatem heredibus viri de ipsa dote et antifacto et sponsalitia largitate restituendis ipsi viro si redierit, quo redeunte sit salvum tam viro quam uxori omne ius ipsorum in predictis, et circa ea perinde ac si solutio de predictis dicte uxori non esset facta.

De questionibus mercedis cibi et potus et de venditione rerum mobilium.

47. De questionibus mercedum: et questionibus cibi et potus et victualium: et de emptionibus et venditionibus rerum mobilium et se moventium possint et debeant qui iurisdictioni presunt, et ad quos pertinet cognoscere, procedere et terminare sine libello et sine strepitu et figura iuditii summarie et de plano diebus feriatis et non feriatis.

Quod quis non compellatur ire extra civitatem.

48. In aliqua causa vel questione vel controversia, non compellatur quis invitus ire extra civitatem plac. seu habere consilium sapientis super aliqua interlocutoria vel difinitiva extra ipsam civitatem vel districtum: Sed utraque parte volente possit hoc fieri.

De interdictione bonorum.

49. Ad postulationem seu requisitionem duorum virorum ex propinquis illius cui requiritur interdici bonis, iudices procedant eo citato ad inquisitionem morum et prodigalitatis ipsius qui requiritur interdici. Et si facta diligenti inquisitione et probatione per testes idoneos comperit ipsum esse in casu quo sibi debeat vel possit de iure bonis interdici interdicatur per iudicem bonis eius. Quo facto ad hoc ut ob hoc nulli decipiantur, fiat proclamatio per tubatores comunis plac. publice premisso sono tube per civitatem in locis consuetis, quod nullus contrahat cum ipso cui est per iudicem bonis interdictum. Si vero diceretur postmodum illum cui bonis est interdictum in melius mores mutasse, et esse in casu quo dictum interdictum debeat relaxari, et sibi concedi administratio bonorum suorum, tunc ad postulationem duorum ad minus bonorum virorum ex propinquis ipsius interdicti faciat iudex inquisitionem de mutatione morum et vite ipsius cuius est bonis interdictum et si invenerit per legitimas probationes esse in casu dicte relaxationis et quod sufficiens sit administrationi bonorum suorum, tunc premissa crida cum sono tube per civitatem in locis consuetis, quod si quis vult contra dicere ne fiat predicta relaxatio, et concessio administrationis bonorum compareat

usque ad octo dies coram iudice: et nemine comparente qui sufficientem causam dicat et ostendat, eo casu dictum interdictum relaxetur: et administratio bonorum concedatur predicto qui fuerat interdictus: Si autem allegaverint comparentes et ostenderint sufficientem causam quare predictum interdictum non debeat tolli vel relaxari, tunc non relaxetur interdictum, nec concedatur administratio bonorum suorum ipsi interdicto.

Que omnia cognoscantur et terminentur per iudicem competentem summarie, et de plano sine libelli datione et strepitu et figura iudicii: et quocunque tempore feriato et non feriato.

De primo et secundo decreto sublatis.

50. Cum per statuta comunis placen. provvide provissum est contra absentes et contumaces, et contra latitantes: tam in actione reali quam personali, ad tollendam omnem materiam iurgiorum que maxime pervenire consuevit occasione primi et secundi decreti, in quibus doctores consueverunt maxime variare, proinde statuimus quod de cetero in aliqua actione personali vel reali non possit per aliquam partium vel per aliquem iudicem vel officialem procedi per viam primi vel secundi decreti. Quod si secus factum fuerit processum primi vel secundi decreti, et quidquid ex eo sequetur non valeat ipso iure. Salvo quod predicta non intelligantur, quando proceditur vel agitur occasione damni infecti vel quando agitur ut legatorum nomine caveatur. Videlicet quando legatum est in diem vel sub conditione et non aliter, vel quando agitur hypothecaria secundum ordinem qui in statuto comunis plac. continetur loquente quod aliter hypothecaria procedatur.

De modo procedendi in causis summariis.

51. Quia sepe in statutis comunis placen. fit mentio quod in certis casibus procedatur vel possit procedi vel cognosci summarie, et de plano sine strepitu et figura iudicii, declarantes dicta verba. Volumus quod ubicumque in statutis dicta verba vel aliquod eorum inseruntur possit et debeat procedi et cognosci hoc modo, videlicet sine datione libelli: sed qualis qualis petitio vel requisitio ad instar cuiusdam memorialis pro parte actoris scribatur in actis coram iudice competenti presente

illo qui convenitur vel eius legitimo procuratore, aut citato ipso vel dicto procuratore eius super quo possit et debeat cognosci per ipsum iudicem absque aliqua litis contestatione: tamen tempore feriato ob necessitates hominum introducto non procedatur nisi de voluntate partium tacita vel expressa, vel nisi in statutis predictis aliter caveatur. Dilationes dentur breves iudicis arbitrio secundum negotii qualitatem, capitula seu articuli intentionum admitantur: et admissa intelligantur per hoc statutum et testes super eis recipiantur. Salvo iure tempore disputationum diffinitive sententie impertinentium et capitulorum non admittendorum: et etiam salvo iure testium non recipiendorum tempore diffinitive sententie. Interrogationes tamen seu contra questiones possint fieri per partem contra quam testes producuntur, super ipsis capitulis vel articulis possint etiam fieri sacramentum calumnie: et fiant per principales personas et per advocatos et procuratores partium si ambe fuerint in civitate vel districtu placen. utraque vel altera parte hoc requirente. Quod si altera pars fuerit absens a civitate plac. et districtu procedatur absque calumnie iuramento. Quod iuramentum et positiones possint fieri in quacumque parte litis usque ad diffinitivam sententiam, currentibus nihilominus terminis partibus ad probandum per iudicem assignatis: quibus partibus possit iudex simul et semel, videlicet utrique parti dare terminum prout ei videbitur ad probandum de iure suo tam per testes quam per instrumenta. Ita tamen quod iudex non possit dare aliquas dilationes partibus ad probandum que se extendant ultra tempus assumptionis sapientis fiende super diffinitiva ipsius cause. Possit etiam iudex partes interrogare quandocunque sibi videbitur expedire. Sententia diffinitiva fieri possit citatis partibus licet non peremptorie et stando vel sedendo: ita videlicet quod dicte questiones et cause xxx. dies utiles non excedant numerandos a die qua dicta petitio seu memoriale fuerit in actis scripta, dicta die petitionis seu memorialis minime computata. Et ut predicta clarius et citius valeant expediri, teneatur iudex coram quo dicte cause vel aliqua earum agitatur in pena comprehensa in statuto quod incipit: Quoniam leges sacratissime, infra viginti dies utiles numerandos a die dicte petitionis seu memorialis in actis scripti videlicet per duos dies utiles ante ipsos xx. dies. Ita videlicet quod elapsis decem octo diebus utilibus, teneatur iudex infra duos dies utiles omni exceptione remota utraque seu altera parte instante assumere unum sapientem vel

plures de collegio iudicum plac. ad consulendum super diffinitiva dicte cause. Qui assumptus in causis vel aliqua earum utraque vel altera parte instante, deposito salario, quod salarium stet in deposito, nec consultori detur donec ipse consultor consilium suum infra tempus instantie dederit in scriptis apud acta iudicis in pena in dicto statuto quod incipit. Quoniam leges, insuper teneatur tradere consilium suum clarum et certum, per quod consilium appareat quis obtinuerit et quis succubuerit in ipsa causa, et cum taxatione et expressa certa quantitate expensarum in quibus victus fuerit condemnatus, et etiam expensas ipsius consultoris que sibi restituantur per partes in scriptis iudici predicto infra x. dies utiles subsequentes postquam fuerit assumptus. Qui iudex habito consilio predicto teneatur, utraque vel altera parte instante, citatis vel presentibus partibus dictum consilium et secundum ipsum consilium pronunciare diffinitivam sententiam prima die iuridica vel sequenti postquam dictum consilium sibi fuerit presentatum, et in omnibus casibus causis et questionibus et occasione ipsarum in quibus et super quibus per formam statutorum comunis placen. potest procedi feriatis temporibus messium, et vindemiarum, qui dicti dies messium et vindemiarum sint et intelligantur habeantur et computentur dies utiles et pro diebus utilibus quo ad illas causas et questiones, et in causis et questionibus ipsis. Et instantia ipsarum causarum et questionum, et etiam occasione ipsarum causarum et questionum in quibus dictis temporibus messium et vindemiarum proceditur, et potest procedi, exceptis feriis introductis in honorem dei. Et quod executiones illarum sententiarum que ferrentur et ferri possunt in illis casibus et questionibus in quibus proceditur et potest procedi feriatis temporibus messium et vindemiarum, possint fieri in eisdem temporibus messium et vindemiarum. Et quod iudex dicte cause teneatur in pena librarum quinquaginta placen. quam penam incurrat ipso facto, assumere dictum sapientem infra terminum suprascriptum, utraque vel altera parte instante: non obstante aliquo gravamine vel petitione consilii sapientum vel alia quavis exceptione.

De iuramento calumnie.

52. Si pars que citata fuerit ad comparendum coram iudice causa iurandi de calumnia et respondendi positionibus quas sibi facere vult pars ad-

versa, non comparuerit infra terminum sibi statutum a iudice, iusta causa non interveniente, teneatur iudex ipsum compellere omnibus remediis iuris, videlicet mulctam indicendo, et imponendo pignora, capiendo personam, detinendo, ad dictum sacrameutum prestandum et positionibus respondendum quibus iudex sit contentus, nec ob dictam contumaciam pronunciare valeat vel habere sacramentum predictum pro recusato et positiones pro confessis prout multotiens insidiose factum cognoscimus in damnum et preiudicium non modicum aliorum.

De iuramento necessario.

53. Item statutum est quod quicunque iudex competens in causa et questione quaque coram ipso fuerit seu verteretur infra quantitatem soldorum centum plac. possit et debeat ad postulationem partis requirentis deferre sacramentum parti adverse in proprio facto ipsius partis adverse: et si dictus adversarius dictum sacramentum prestare recusaverit, aut parti deferenti dictum sacramentum referre noluerit, habeatur pro convicto.

De testibus ad eternam rei memoriam recipiendis.

54. Si quis actor vel intendens agere vult producere testes ad eternam rei memoriam coram iudice competente, citato adversario cuius interest admittatur ad productionem ipsorum testium exceptione aliqua non obstante: porrigere tamen teneatur dictus actor capitula seu articulos intentionum adversario super quibus vult producere ipsos testes, contra que capitula possit pars adversa facere contra questiones: et ipsa capitula et testes admittantur et accipiantur citata dicta parte et admissa intelligantur, salvo iure impertinentium et non recipiendorum tempore disputationis diffinitive sententie: quorum testium dicta postquam fuerint recepta, stent incognita partibus et clausa et sigillata sigillis ipsarum partium penes not. qui dicta ipsorum testium recepit. Post que nisi actor egerit contra reum et eum convenerit in iudicio usque ad annum utilem post dictam receptionem numerandum, dicta ipsorum testium eo casu non valeant et nullius sint momenti. Si vero egerit infra dictum annum, tunc dicti testes aperiri possint et publicari ad requisitionem actoris seu pro apertis habeantur tempore quo testes cause aperiuntur et pu-

blicantur, vel aperti vel publicati intelligantur. Si vero ex parte rei requirantur produci testes ad eternam rei memoriam recipiantur eo modo quo diximus in actore. Salvo quod cum in potestate sua non sint quando conveniatur dicti testes, postquam fuerint recepti ad postulationem ipsius rei possint et debeant publicari et per iudicem pronunciari, pro publicatis et apertis: et in publicam formam redigi ut valeant ad defensionem ipsius rei. Adiicientes quod quicumque cuius interest producere voluerit ad eternam rei memoriam testes occasione alicuius testamenti vel ultime voluntatis ad probandam ipsam ultimam voluntatem admittantur et recipiantur ipsi testes, prout superius est expressum: et etiam publicentur ut supra in reo duximus observandum.

De delegatione causarum.

55. Nullus iudex vel aliquis officialis comunis placen. possit delegare aliquam causam vel litem alicui absque consensu utriusque partis, et si utraque pars consenserit, possit delegare alicui ex iudicibus de collegio iudicum placentie et non aliter. Quod si secus factum fuerit non valeat ipso iure. Salvo quod predictum statutum non vendicet sibi locum in delegationibus que fient per potestatem iudicibus suis de causis que coram ipso potestate vertuntur seu ad ipsum devoluuntur per appellationem vel alio modo (1).

De prohibita detentione mulierum.

56. Nulla mulier possit personaliter detineri, seu in carcerem poni per potestatem vel eius iudices seu alios officiales comunis placen. pro aliquo debito pecuniario privato in pena librarum decem placen. potestati, et cuilibet alio offitiali, quam penam si secus fecerit incurrat ipso facto (2).

De audiendis sine satisdatione.

57. Statutum est quod si quis foresterius (3), vel persona non sup-

(1) *Vel alio modo.* I mss. hanno: *Vel alio legiptimo modo.*
(2) Dopo la 56.ª il ms.° Pall. ha la seguente breve rubrica: *Nulla femina cum hominibus carceretur.*
(3) *Foresterius.* Il ms.° Pall. ha: *Si quis foresterius vel clericus vel ecclesiastica persona.*

posita iurisdictioni placentie, et non supposita iurisdictioni potestatis placentie, voluerit aliquem de civitate vel districtu placentie convenire coram iudice seculari in quacunque causa civili vel criminali, teneatur prestare coram ipso iudice antequam contra eum quem convenire voluerit procedatur idoneam securitatem laicam personam si hoc per eum quem convenire vult fuerit requisitum, de iudicio substinere, et iudicatum solvi in causa reconventionis fiende coram ipso per ipsum contra quem agit, et etiam de restituendo expensas si succubuerit in causa et questione quam movet, vel movere vult coram dicto iudice contra dictum civitatis placentie vel districtus. Et nulla accusa damnorum et guastorum possit fieri per aliquem filiumfamilias stantem cum patre vel aliam personam non subiectam iurisdictioni comunis placentie, nisi primo prestita idonea securitate prout in dicto statuto comunis continetur, citato ad hoc primo illo quem accusare vult, et aliter nec iudex eas recipiat nec notarius eas scribat, nec contra eum procedatur occasione dictarum accusarum sub pena iudici et not. flor. xxv. auri pro quolibet eorum. et quam penam incurrant ipso facto: cuius pene medietas comuni placentie et altera pars accusatori applicetur.

De sententiis arbitrorum exequendis.

58. Item statutum est quod postquam facta fuerint precepta et arbitramenta inter ascendentes et descendentes vel agnatos vel cognatos vel affines vel vicinos, ulterius non possint dici iniqua nec possint appellari et querelari nec supplicari: sed elapso termino sive terminis contentis in preceptis et arbitramentis, vel elapso mense si terminus non fuerit in eis appositus, debeant executioni mandari omnibus iuris remediis.

De decimis.

59. Item statutum est quod nulla persona possit opponere vel allegare quin ius reddatur de decimis et fructibus earum per dominum potestatem, ac eius iudices, et alios reddentes ius in civitate placen. Et si quis contrafecerit advocando, procurando, litigando, vel alio modo, sit extra protectionem comunis placen.

De eodem.

60. Item si qua decima possessa vel quasi detenta per aliquem annos quadraginta fuerit continuato tempore suo cum tempore datorum et antecessorum suorum presumatur sua: et si quis eum impedierit quocumque modo, quod potestas et comune placen. teneatur eum adiuvare et defendere omnibus modis ad voluntatem illius qui illam decimam possederit ut supra, sub pena ducentarum librarum tertiolorum. Et impediens eximatur de protectione comunis placen. Et ius dicens teneatur de predictis procedere ad petitionem actoris sub pena x. librarum tertiolorum qualibet vice: et de hoc possit sindicari etiam pendente officio, non obstante aliqua lege vel statuto vel reformatione vel provisione in contrarium loquentibus.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

10052142

INCIPIT TERTIUS

De prohibita alienatione in non subditum.

1. Cupientes iurisdictionem et honorem comunis placen. conservare firmiter statuimus, quod aliqua universitas vel singularis persona cuiuscumque status vel conditionis existat per se vel interpositam personam non audeat aliquo contractu alienare etiam per emphitheosim vel in feodum dationem vel alio modo seu colore quesito aliquas res immobiles vel iurisdictiones infra placentiam vel districtum existentes alicui qui non sit de civitate placen. vel districtu, in pena contrafacienti centum librarum placen. Et nihilominus ipsa alienatio vel contractus non teneant ipso iure nisi super predictis habita et obtenta licentia in consilio generali.

Quod emphitheote teneantur ostendere proprietates dominis.

2. Quoniam male ageretur dominis prediorum si oporteret eos ostendere terras de quibus redditur eis fictum, cum sepe emphitheote eas asserant esse suas, volentes predictis dominis consulere, proinde statuimus quod si aliquis tenuerit ad fictum aliquas terras domos vel possessiones ab aliquo domino in aliqua villa vel territorio districtu plac. et iuxta ipsas terras domos vel possessiones coherentes ipsis terris domibus vel possessionibus, emphitheota dixerit aliquas terras domos vel possessiones suas esse vel pro suis tenere quod presumantur dicte res esse domini: et de ficto et proprietate ficti ipsius domini nisi emphitheota docuerit se legitime ipsas res habuisse: et insuper quilibet emphitheota ad requisitionem

domini teneatur et possit compelli per iudicem competentem ipsi domino manifestare et ostendere sacramento ipsius emphitheote omnes terras possessiones et res de quibus redditur et reddere consuevit ipsum fictum. Et nihilominus homines ville seu loci, ubi seu in cuius territorio sita est proprietas ipsius ficti, teneantur et compelli possint per sacramentum eorum ad requisitionem ipsius domini ipsas terras et res manifestare et ostendere ipsi domino, etiam oculata fide. Simili modo teneantur homines cuiuslibet ville et loci ad postulationem cuiuslibet se dicentis habere terras vel possessiones seu res in ipsis villis vel territoriis, sive dicantur res affictate sive non affictate, ostendere et manifestare ipsas terras et res: et de hoc possit fieri publicum instrumentum ad postulationem cuiuslibet requirentis: que omnia fieri possint et debeant sine libello et strepitu et figura iudicii, summarie et de plano quocumque tempore feriato et non feriato. Et quod quilibet emphitheota, et quilibet eius successor teneatur renovare instrumenta fictorum vel etiam de novo affictare quandocumque ad requisitionem domini in pena librarum x. plac. pro qualibet vice: et nihilominus teneatur ad predicta, absque eo quod aliquid nominc investiture solvat dicto domino vel eius successori.

De emphyteotis recusantibus solvere ficta.

3. Cum emphitheote sepius malitiose, et per subterfugia dominis ficta solvere recusent, res habitas super proprietatibus dominorum in usus proprios convertentes, cupientes eorum fraudibus obviare. Statuimus quod siquis emphitheota in civitate plac. habitans ad postulationem domini bis fuerit citatus, videlicet uno die semel et alio iterum semel, vel in districtu habitans semel, tantum personaliter, vel ad domum coram iudice competenti, ita quod in ipsa citatione causa et res que petitur exprimatur, et si infra terminum recusaverit comparere, possit pignorari absque alia solemnitate ad postulationem dicti domini pro fictis preteritis et non solutis, et pro expensis. Quo pignorato, iudex teneatur ei personaliter vel ad domum statuere ad postulationem dicti domini terminum x. dierum ad recuperandum ipsum pignus. Quo termino elapso si non comparuerit coram iudice se legitime defendendo, possit iudex et debeat in solutum dare domino dictum pignus absque alia solemnitate, observanda, ita quod ipsa venditio fiat presente iudice, et precio con-

sentiente ipso iudice: et postquam fuerit venditum vel datum in solutum ut supra premittitur dictum pignus, teneatur dominus usque ad tertiam diem facere scribi in actis iudicis precium quod inde habitum fuerit, vel pro quanta quantitate pecunie ipsum recepit in solutum: et si aliquid defuerit ad integram solutionem fictorum retentorum cum expensis, habeat dominus regressum usque ad supplementum contra emphitheotam et eius bona. Si vero superfuerit, id quod superfuerit ipsi emphitheote dominus restituere teneatur. Verum si emphitheota comparuerit ante ipsius pignoris venditionem vel dationem in solutum, audiatur eius defensio legitima si quam habet et sibi pignus restituatur, restitutis prius expensis domino quas fecerat ob predictam. Si vero comparuerit post venditionem dicti pignoris vel dationis in solutum, audiatur etiam eius deffensio, omnibus expensis quas in predictis et circa predicta dominus fecerit, sibi domino ante omnia restitutis. Postquam si constiterit ipsum emphitheotam indebite seu non legitime pignoratum, vel quod dominus petebat habere non debere in totum vel in partem, compellatur dominus restituere pro eo quod indebite receperit ipsi emphitheote rem pignori acceptam vel eius estimationem si res non est penes dominum, de quibus omnibus possit et debeat cognosci et terminari sine libello et strepitu et figura iuditii summarie, et de plano.

De cessatione fictorum.

4. Dominus si dixerit emphiteotam cessasse in solutionem ficti per terminos legitimos videlicet per tres annos in fictis debitis laicis, et in fictis debitis ecclesiasticis personis per duos annos, non possit sua auctoritate accipere rem emphitheoticariam pro aperta, ne exinde scandala oriantur. Sed adeat iudicem competentem, et faciat citari emphitheotam, qui compareat coram iudice usque ad x. dies si vult contradicere quominus auctoritate iudiciali rem accipiat pro aperta: quo termino elapso, si non comparuerit emphitheota, iudex ponat vel poni faciat dominum in tenutam et corpoream possessionem dicte rei tanquam de re aperta ipsi domino. Si aut infra dictum terminum emphitheota compareat per se vel legitimum responsalem coram ipso iudice, dicens non esse cessatum in ipsa solutione, vel allegans aliam iustam causam defensionis, vel aliter quocunque modo comparuerit dicens se velle resistere vel contradicere

petitioni seu requisitioni predicti domini, audiatur si vult probare de solutione, vel de dicta iusta defensione, et statuatur sibi terminus competens per ipsum iudicem ad probandum de ipsa solutione vel defensione, quam possit facere absque libello et contestatione litis. Sed si vult probare per testes tradat articulos seu capitula intentionum domino prelibato, super quibus intendit producere testes. Et factis contra questionibus si quas facere voluerit infra terminum sibi per iudicem assignandum, contra dicta capitula per ipsum dominum testes super eis recipiantur. Et si probaverit per testes vel per instrumenta vel positiones que etiam fieri possint lite non contestata, super predictis dominus a requisitione repellatur. Alioquin domini requisitio effectui sine aliqua alia solemnitate demandetur, non obstante si emphitheota questionem referret de dominio contra ipsum dominum. Et si petierit rem predictam pro aperta, nihilominus ficta preterita vel retenta petere valeat. Et si ipsa ficta petierit, nihilominus rem ipsam possit petere pro aperta, eo salvo quod si dominus recepit fictum trium annorum proxime preteritorum ab emphiteotha. Si dominus est laicus vel si est ecclesiastica persona, duorum annorum proxime preteritorum tunc licet ficta pro maiori parte (1) debeantur, dominus qui recepit ipsa ficta non possit rem petere pro aperta nisi fuerit protestatus quod sibi ob hoc non fiat preiudicium. Et predicta locum habeant in preteritis pendentibus et futuris: et in predictis procedatur et cognoscatur summarie, et de plano sine figura et strepitu iudicii, absque libello et petitione sive etiam memoriali, et sine aliqua instantia observanda.

Salvo quod si citatus et requisitus negaret se emphiteotam, quod tunc teneatur per actorem offerri et scribi in actis qualis qualis petitio ad instar cuiusdam memorialis: et in totum procedatur iuxta formam statuti loquentis de summaria cognitione.

Si unus ex pluribus emphitheotis cessaverit in solutione.

5. Statuimus quod si plures emphitheote heredes alicuius defuncti sint affictatores unius proprietatis, et unus vel duo solverint fictum

---

(1) *Pro majori parte.* I mss. hanno: *pro majori tempore.*

partis sue dicte rei, et alius cessaverit in solutione ficti, et ob ipsam causam tota res accepta fuerit pro aperta, quod ille talis qui non solverit partem suam, et cuius occasione res accepta fuerit pro aperta, teneatur ad emendandum valorem rei sic accepte ut supra, et expensas.

De prescriptione XX. *annorum contra non petentes ficta.*

6. Si quis dominus steterit per viginti annos continuos quod fictum seu prestationem ficti non requisierit ab emphitheota, vel eo qui in locum emphitheote successerit petitione fictorum retentorum et non solutorum, a dictis viginti annis retro penitus repellatur. Salvo sibi domino omni iure circa ipsam proprietatem, et circa prestationem fictorum solvendorum a viginti annis citra, et pro fictis temporis futuri, circa quas prestationes futuras, et etiam circa proprietatem non intelligatur contra dominum prescriptio aliqua cucurrisse: et de fictis petendis pro temporibus preteritis; et de omnibus predictis cognoscatur et procedatur summarie de plano sine libello et strepitu et figura iudicii. Et predicta locum habeant in preteritis presentibus et futuris.

Quod emphitheota non possit incidere arbores.

7. Nullus emphitheota possit incidere vel scalvare, vel incidi, vel scalvari facere, vel per eius negligentiam permittere in terra quam tenet ad fictum aliquam arborem fructiferam: quod si secus fecerit condemnetur in viginti soldis, pro qualibet arbore incisa. Et nihilominus damnum emendet domino. Si vero inciderit vel incidi fecerit, vel per eius negligentiam permiserit arborem non fructiferam, inscio domino vel invito, condemnetur in decem soldis pro qualibet arbore. Et nihilominus solvat domino medietatem estimationis arboris incise: salvo quod possit salices et albaras scalvare. Que predicta in nemoribus seu boschis datis in emphitheosim non vendicent sibi locum.

De deterioratione rei emphitheotice.

8. Item statutum est quod quilibet emphitheota et quilibet eius heres et successor qui damnificaverit seu deterioraverit rem emphitheoticariam

seu pro qua debet prestari fictum, vel in ipsa re male versatus fuerit, seu per eius negligentiam magnam ipsam rem emphitheoticariam deteriorari permiserit, cadat a iure suo et dicta res intelligatur aperta domino ipso iure si domino placuerit. Et nihilominus teneatur ipse emphitheota et quilibet eius heres et successor ad emendandum dictum damnum seu quantum res fuerit deteriorata, de quibus omnibus et singulis procedatur cognoscatur et terminetur summarie, et de plano sine figura et strepitu iudicii quolibet tempore feriato et non feriato: et absque libello vel petitione seu memoriali in actis scribendis et absque aliqua instantia observanda: et dictum statutum non vendicet sibi locum in arboribus incisis super terra emphitheotica sed observetur illud statutum super hoc disponens.

De cessatione solutionis ficti per annum.

9. Si emphitheota domino non solverit fictum unius anni, non liceat ei post dictum annum aliquos fructus de terra domini de qua fictum reddere tenetur colligere levare vel exportare, nisi de voluntate domini in pena centum soldorum.

De prohibita alienatione rei emphitheotice.

10. Ordinamus quod nullus emphitheota audeat vendere, permutare, donare, in dotem dare, alienare vel alio quocunque contractu inter vivos rem de qua reddit fictum in alium transferre, sine requisitione domini legitime facienda, in pena et banno ipsi emphitheote decem librarum placen. et ipsa venditio permutatio donatio in dotem datio vel alienatio seu in alium translatio de quibus supra fit mentio nullius sint momenti, et in dictum dominum res predicta redeat, et eo ipso rediisse intelligatur pleno iure si dominus voluerit. Et nihilominus ipsius rei dominus semper sit et intelligatur possessor, et pro possessore habeatur, et manuteneatur et deffendatur pleno iure: non obstante aliqua temporis prescriptione que contra ipsum dominum ab aliquo opponatur. Et intelligatur ipsa res alienata et in alium translata, si reperiatur per alium quam per ipsum emphitheotam vel eius heredes possideri. Salvo quod possit ipse emphitheota ipsam rem locare et in emphitheosim dare iure

domini si cessatum fuerit in solutione ficti semper salvo, et nihilominus si emphitheota vendiderit vel alienaverit, teneatur restituere pretium emptori quod inde recepit in pecunia numerata cum omni damno et interesse melioramento et expensis infra mensem postquam fuerit ei denunciatum in pena x. lib. plac. Et nihilominus ad predicta teneatur, et omnibus iuris remediis compellatur, ita tamen quod si emphitheota vendiderit locaverit ad non modicum tempus, vel in emphitheosim dederit, sive transactionem aliquam fecerit, domini teneatur facere mentionem in instrumento dicte alienationis locationis in emphitheosim dationis vel translationis de domino cui redditur fictum, et de quantitate ficti quod debet seu reddi consuevit. Et si aliter factum fuerit, intelligatur res aperta domino ipso iure si voluerit, nec propterea predicti contractus valeant in preiudicium domini, nisi in casibus supra concessis, de quibus omnibus procedatur et cognoscatur summarie et de plano sine libelli oblatione, et sine strepitu et figura iudicii quocumqne tempore feriato, dum tamen non in honorem dei introducto: et predicta locum habeant tam in preteritis quam pendentibus et futuris.

De re emphitheoticaria in solutum danda.

11. Emphitheota vel curator bonorum emphitheote vel iudex, in casu quo per statuta possit dare in solutum creditoribus ipsius emphitheote ius et melioramentum quod habet emphitheota in re emphitheotica premissa denunciatione per ipsum emphitheotam vel per curatorem bonorum ipsius emphitheote si per curatorem est ipsa solutio fienda, vel per iudicem eo casu fieri possit solutio per iudicem, videlicet quod domino rei personaliter vel ad domum denuntietur per ipsos dantes in solutum, et notificetur quod pro tanto pretio quantum est in rei veritate intendunt ipsum ius et melioramentum dare in solutum. Et quod parati sunt ipsi domino dicto pretio vendere dictum ius. Postquam denuntiaverit dominus expectetur per xv. dies subsequentes, infra quos si voluerit habeat ipsum ius pro dicto pretio. Quo elapso termino, si recusaverit vel tacuerit dominus, fiat dicta datio in solutum: videlicet homini qui sit subiectus iurisdictioni comunis placen. et valeat et teneat, salvo quod ille qui predicta habuit in solutum denunciare teneatur domino personaliter vel ad domum quod consentiat ipsi dationi in solutum quam

acceperit et eum recipiat in emphitheotam. Postquam denunciationem dominus teneatur usque ad xv. dies subsequentes confirmare ipsam dationem in solutum, et predictum recipere in emphitheotam: quod si non fecerit proinde habeatur: et sit ac si consensisset et eum in emphitheotam recepisset. Aliter autem facta ipsa datio in solutum non valeat ipso iure. Eo addito quod de omni confirmatione fictorum et iuribus fictorum venditorum vel datorum in solutum vera vel ficta, habeat dominus de qualibet libra precii venditionis vel dationis in solutum sex denarios et non ultra pro consensu et investitura. Insuper ne per dominum et emphitheotam collusio possit fieri in predictis, nolumus quod dominus quando sibi fiet dicta prima denunciatio vel postea possit dicere ad impediendum dictam dationem in solutum, ipsam rem sibi propter ficti cessationem fore apertam, nisi ostendiderit per publicam scripturam rem ipsam pro aperta accepisse auctoritate iudicis, vel saltem requisivisse ficta ab emphitheota infra tres annos precedentes ipsam primam denuuciationem.

Quod dominus sit potior in fructibus:
et quod non possit ius redimendi alienari.

12. Domini terrarum sint potiores ceteris personis in habenda solutione ficti dominici de fructibus ipsarum terrarum, sive dicte terre sint laborate per emphitheotam vel colonos ipsius domini, vel per alios: et etiam sint ipsi domini potiores ceteris personis et creditoribus in iure et melioramento rei emphitheotice si aliquid habere debent pro fictis preteritis retentis et non solutis ab ipso emphitheota; quamvis alie persone vel creditores sint tempore potiores. Que omnia locum habeant in preteritis pendentibus et futuris. Et quod emphitheota non possit alienare ius redimendi alicui persone inscio domino vel inrequisito: cui domino teneatur dare si voluerit dominus xii. denariis minus quam ab aliquo alio habere poterit sine fraude, de quo pluri stetur sacramento emere volentis, et nisi prius solutis domino omnibus fictis preteritis et non solutis.

De eodem de fructibus.

13. Volumus dominos terrarum esse potiores in fructibus natis super terris suis ceteris aliis creditoribus emphitheote seu coloni ipsorum dominorum de toto eo quod habere debent ab ipsis emphitheotis seu colonis.

De canone deposito per triennium.

14. Si quis tenens aliquid in emphitheosim de cetero per publicam scripturam monstraverit se per triennium continuum debitum canonem seu fictum deposuisse de precepto iudicis competentis, citato eo cui redditur illud fictum, non teneatur ulterius illum canonem seu fictum deponere, nisi dominus infra dictos tres annos ostendat causam legitimam coram iudice quare dictum canonem vel fictum recuset recipere.

Nec propter cessationes dicti temporis, vel alias que postea fuerint subsecute, domino fictum vel canonem renuente, cadat emphitheota a iure quod habebat in re emphitheotica sed ad ficta annua domino solvenda nihilominus teneatur.

Quod creditor teneatur facere instrumentum confessionis debiti soluti.

15. Si probatum fuerit debitum fore integre solutum creditori vel domino ficta temporis preteriti fore soluta teneantur sub pena x. librarum plac. dicti creditores vel domini facere instrumentum confessionis de solutione dictorum debitorum vel fictorum, si de hoc a debitore vel emphitheota fuerint requisiti. Et etiam teneatur creditor si habet instrumentum debiti ipsum dicto casu in pena predicta reddere debitori, non obstante quod predicti creditores dicant velle retinere instrumentum pro pena seu pacto. Et compellantur creditores ad predicta contenta in hoc statuto omnibus iuris remediis. Et hec summarie et de plano sine libello et strepitu et figura iudicii, et absque aliquo memoriali et instantia servanda.

Quod sententia lata contra dominum noceat emphitheote et non et contra.

16. Si quis habens ius in re de terra vel re quam tenet ad fictum in rem ab aliquo conveniatur, et dominus obtulerit se defensioni sciente emphitheota et non contradicente ante litem vel post litem contestatam admittatur ad defensionem rei, et sententia data pro eo vel contra eum dominum emphitheotis prosit et noceat ac si contra eum vel pro eo data esset. Si vero domino denunciatum (1) fuerit confessiones facte ab ipso emphitheota et testes producti nullius sint valitudinis, nec domino noceant ipso iure, et sententia lata et quod factum fuerit firmum et ratum non sit in preiudicium domini prelibati.

Quod domus emphitheotica non possit dirui.

17. Cum alius pro alio non debeat pati damnum, proinde statuimus quod domus alicuius de cuius solo vel edificio redditur seu reddi consuevit vel debet fictum aliquod alicui persone ecclesiastice vel seculari, nullo modo destruatur seu guastetur in toto vel in parte per comune plac. vel aliquem rectorem seu officialem comunis plac. seu per aliquem alium occasione aliqua in pena centum librarum cuilibet rectori et officiali comunis placen. quam incurrat ipso facto si secus duxerit faciendum.

De estimatione fictorum pro certis annis.

18. Statuimus et ordinamus quod omnia ficta frumenti bladi et vini quantum est pro anno curso. MCCCLXXXVII. (2) videlicet pro prestatione proxima preterita solvenda vel que solui debuit, non solvatur nisi tantum frumentum pro frumento, et bladum pro blado et vinum pro vino: non obstante quod postea bladum et vinum plus valuerit: et quod dictus annus sive dicta prestatio solvenda si que solui debeat non computetur in illis annis seu

---

(1) I mss. concordemente hanno *denuntiatum non fuerit*.

(2) *Pro anno curso* 1387. Il ms. Pallastrelli ha la stessa Rubrica ma coll' anno 1336 (pro anno curso MCCCXXXVJ.). Il ms. Dominici ed un altro dell' antico Archivio del Comune recano: *pro anno curso* 1337.

temporibus pro quibus peterentur vel requirerentur res aperte, de quibus reddantur ficta predicta.

De contractibus cum filio familias prohibitis.

19. Statutum est et diutius observatum, quod si quis fecerit aliquem contractum depositi mutui vel alterius cuiusvis conditionis cum aliquo filio familias sine consensu patris, ipse contractus in aliquo non valeat in preiudicium et damnum ipsius filii familias (1). Et nihilominus ipse contrahens cum filio familias puniatur in x. libris plac. salvo quod si filius familias habens familiam moraretur seorsum a patre cum familia, quamdiu sic moratur quod habeatur pro patre familias quantum ad contractus, sed non quantum ad ultimas voluntates. Sed non obstantibus predictis, si filius familias deposuerit vel mutuaverit pecuniam vel rem alicui, possit eo casu facere confessionem de ipsis rebus per eum depositis vel mutuatis. Et predicta locum habeant, et extendantur ad preterita presentia et futura.

De promissione vendendi et retradendi.

20. Si quis promiserit vel teneatur aliquam rem vendere vel retradere alicui certo precio: et terminus vendendi seu retradendi non fuerit elapsus, teneatur ille qui promiserit vel qui tenetur seu habens causam ab eo, facere ipsam venditionem vel retraditionem illi cui facta fuerit dicta promissio, vel habenti causam ab eo soluto precio. Quod si requisitus fuerit ex parte iudicis competentis predicta non fecerit infra terminum sibi a iudice assignatum oblato dicto precio et de precepto iudicis consignato et deposito, sit et esse intelligatur facta ipsa venditio et retraditio perinde ac si per ipsum promissorem legitime facta esset et intelligatur. Et sit tunc ille cui facta fuit dicta promissio seu habens causam ab eo post dictum precium oblatum et consignatum ut predicitur possessor verus et legitimus dicte rei: et in ipsa possessione defendatur et manuteneatur per potestatem et eius iudicem. Et predicta omnia locum

---

(1) *Filii familias.* I mss. hanno la giunta: *Sed valeat in preiudicium et damnum ipsius contrahentis cum filio familias.*

habeant non obstante si dictus promissor vel heredes eius, seu is qui tenetur de dicta re fecisset aliquam venditionem vel alienationem vel legatum post dictam promissionem, remota omni exceptione: et si dictus promissor vel heres eius ut supra dicitur, recusaverit facere ipsam venditionem vel retraditionem ultra predicta, nihilominus puniatur in xxv. libras plac. de quibus omnibus possit et debeat cognosci procedi et terminari sine libello et strepitu et figura iudicii summarie et de plano diebus feriatis et non feriatis. Que omnia extendi volumus ad preterita presentia et futura.

De clausula de relevando procuratore a satisdatione.

21. Statutum est quod quicumque promiserit in aliquo instrumento procurationis notario qui scripsit instrumentum recipienti nomine cuiuslibet persone cuius interest vel interesse posset iudicatum pro solvi dicto procuratore suo, si reconveniretur volendo relevare dictum procuratorem suum a satisdatione iudicatum solvi, quod illa relevatio et promissio teneat et valeat et prodesse possit ac si facta esset coram iudice, et adversa parte presente, ubicumque sit factum dictum instrumentum.

Quod ubi petitur dos vivente marito quod non possit peti antifactum.

22. Si mulier in casibus concessis a iure petat dotem in bonis mariti viventis, vel soceri vel alterius persone cuiuscumque ad dotem obligate, non possit vivente marito petere solutionem antifacti vel sponsalitie largitatis. Salvo sibi omni iure post mortem in bonis ipsius viri, et aliorum ad ipsam dotem obligatorum.

De fideiussoribus et intercessoribus.

23. Si quis fuerit fideiussor vel intercessor in aliquo debito vel obligatione pro aliquo: et denunciaverit illi pro quo intercessit, vel se obligavit, vel ad domum eius habitationis per publicum instrumentum vel currerium comunis plac. ipsam denunciationem in scriptis portave-

rit (1) et denunciaverit de mandato iudicis quod eximat eum de ipsa obligatione, elapso termino in instrumento debiti vel obligatione comprehenso, teneatur ille pro quo facta est dicta intercessio vel obligatio infra xv. dies a die quo fuerit sibi denunciatum ipsum fideiussorem seu intercessorem eximere cum effectu de ipsa obligatione seu fideiussione in pena x. librarum. Et nihilominus ad predicta cogatur omnibus iuris remediis et per captionem vel detentionem persone: et quod post dictam denunciationem elapsis xv. diebus possit et debeat dictus debitor personaliter detineri ad voluntatem dicti fideiussoris vel intercessoris occasione predicta. Et si in dicto instrumento depositi sive debiti non fuerit aliquis terminus nominatus, teneatur predictus pro quo facta fuerit dicta obligatio sive intercessio eum fideiussorem seu intercessorem infra xv. dies postquam fuerit sibi denunciatum et modo predicto in pena predicta, elapso anno a tempore dicte obligationis numerando, eximere de ipsa obligatione cum effectu: et de predictis cognoscatur summarie: et de plano sine libello et strepitu et figura iudicii diebus feriatis et non feriatis, et sine aliquo memoriali: et absque alia instantia observanda. Et predicta locum habeant, et in totum executioni mandentur non obstantibus aliquibus statutis provisionibus et reformationibus in contrarium loquentibus, quibus omnibus per presens statutum ex certa scientia sit derogatum: et idem observetur in fideiussore qui soluisset debitum.

De solvente pro aliqua comunitate.

24. Quicumque pro aliqua universitate loco seu villa fuerit pignoratus, vel coactus solvere aliquod comuni plac. habeat regressum contra ipsam universitatem villam seu locum et homines ipsorum, et iudex seu officialis comunis plac. competens possit et debeat compellere omnibus iuris remediis, et omnibus subterfugiis remotis, ipsam universitatem villam seu locum et homines ipsorum ad restituendum et solvendum ei qui solverit id quod predictus solverit, et coactus fuerit solvere cum omni damno interesse et expensis summarie, et de plano sine oblatione libelli et strepitu et figura iudicii quocumque tempore feriato et

(1) *Portaverit.* Il ms.° Pall. ha *portantem et dimittentem.*

non feriato: que omnia observentur si aliquis fideiussor vel intercessor vel promissor pro aliquo in aliquo contractu solverit vel solvere sit coactus.

De prescriptione xxx. *annorum.*

25. Si quis steterit per triginta annos quod sibi debitum ex quavis causa non petierit, elapsis ipsis triginta annis ab omni actione ipsius debiti penitus repellatur: salvis casibus et debitis et petitionibus in quibus et super quibus per statuta comunis plac. aliter est provisum, et hoc locum habeat in preteritis pendentibus et futuris nisi interruptio temporis per executionem vel aliter legitime facta esset. Et quod ille cui facta fuit vel fuerit promissio vendendi vel retradendi vel eius heredes, vel habens causam ab eo in qua non sit terminus, possit emere et redimere etiam elapsis triginta annis quandocumque. Et predicta locum habeant tantum in futuris: et etiam in pendentibus in quibus non est elapsus terminus annorum triginta.

Quod prescriptio non currat contra dotes.

26. Nulla prescriptio currat contra mulieres circa dotes antifactum et sponsalitiam largitatem ipsarum dotium, et hipothecarias occasione ipsarum dictis mulieribus competentes, vel res parafernalles ipsarum, sive maritus vivat sive sit defunctus.

De prescriptione quinquennii.

27. Producens aliquam scripturam in qua sit gruppus notarii in qua (1) contineatur aliquem terminum esse datum, vel quod faciat mentionem de aliquo revisamento prescriptione quinque annorum, repellatur nec valeat uti postea dicta scriptura nisi ipsa scriptura esset solemniter publicum instrumentum.

---

(1) *In qua.* Tutti e tre i mss. hanno *in quo.*

De cassatione certarum talearum et estimorum.

28. Item statutum est quod omnes talee, estima, et quecumque alia onera, gabellis exceptatis, imposite a tempore quo magnificus dominus noster dominus Azo et cetera obtinuit dominium civitatis plac. retro, sint casse et irrite: et cassa et irrita et nullius valoris. Et quod quelibet persona que solvisset vel solvisse diceretur sive etiam solverit aliquid comuni plac. sive camerario ipsius comunis animo recuperandi vel aliter quacumque occasione dictarum talearum estimorum seu onerum pro aliqua persona collegio comunitate vel universitate que esset seu essent sive fuissent seu fuisse dicerentur pro dictis taleis estimis et oneribus comunis placen. seu occasione earum obligate, non possit seu possint aliqualiter molestare vel inquietare aliquam personam collegium comunitatem vel universitatem pro quibus solvisset seu solvisse diceretur occasionibus suprascriptis.

De venditionibus duobus factis de eadem re.

29. Statutum est quod siquis vendiderit vel aliquo modo alienaverit aliquam rem immobilem, quam alii vendiderat vel alienaverat, condemnetur qualibet vice in xxv. libris plac. et omnis venditio et alienatio post primam venditionem vel alienationem non valeat ipso iure, et potestas et iudices eius teneantur primum emptorem licet non fuerit prius res predicta tradita per venditorem vel alienatorem, ponere et defendere in possessionem dicte rei tanquam verum et legitimum emptorem. Et nihilominus teneatur venditor restituere secundo tempori precium per eum habitum in pecunia numerata cum omni damno interesse et melioramento et expensis infra mensem postquam ei fuerit denunciatum in pena librarum x. plac. et nihilominus ad predicta teneatur omnibus remediis iuris, et precise compellatur: de quibus omnibus procedatur et cognoscatur sine libelli oblatione summarie, et de plano et sine figura et strepitu iudicii quolibet tempore feriato et non feriato: et predicta locum habeant in preteritis pendentibus et futuris.

De donatione et eius insinuatione.

30. Nulla donatio alicuius rei que excedat quantitatem vel estimationes xxv. librarum placen. que fieret deinceps inter vivos, valeat vel teneat nisi coram potestate vel aliquo ex iudicibus eius ad rationem reddendam deputato, presentibus quinque testibus fuerit recitata et insinuata, adeo quod licet in instrumento donationis dicatur quod tot sint et intelligantur donatores quot sunt res vel summe seu quantitates, talia verba nihil volumus operari. Que autem dicta sunt de donationibus inter vivos, non intelligantur habere locum in donationis que fiunt a maritis uxoribus propter nuptias vel propter sponsalitiam largitatem: que insinuatio fieri possit quocumque tempore feriato vel etiam non feriato, exceptis feriis in honorem dei, iudice pro tribunali sedente ad banchum ubi ius redditur: et aliter facta non valeat etiam si fuerit iuramento firmata. Et predictum statutum non vendicet sibi locum in aliquibus datis in dotem pro aliqua muliere, nec in his que dantur in premium emancipationis que dantur nomine partis, nec in aliquibus finibus remissionibus quietationibus absolutionibus pactis de non petendo que fierent inter aliquas partes contrahentes.

De donatione causa mortis.

31. Si donatio fiat causa mortis, et in instrumento donationis contineatur quod ipsa donatio non possit revocari per ingratitudinem, vel alio modo, non obstantibus verbis que nihil volumus operari, declaramus ipsam donationem esse mere causa mortis: et habere in totum effectum donationis causa mortis, et eam revocari, prout iura volunt loquentia de donationibus causa mortis.

De prohibita alienatione rerum sancti lazari.

32. Rector seu minister domus sancti lazari leprosorum non possit nec ei liceat res immobiles, terras, possessiones, ficta vel iura aquarum ipsius vendere donare alienare, vel quovis titulo in alium transferre, nec etiam in emphitheosim perpetuo vel ultra decem annos dare alicui persone collegio vel universitati quovis quesito colore vel causa sive

sit cum consensu conversorum et leprosorum seu leprosarum, vel absque consensu, eorum, quem consensum ipsorum conversorum et leprosorum seu leprosarum nihil volumus operari. Que venditiones donationes alienationes, seu in alium translationes seu in emphitheosim dationes non valeant ipso iure: et nullius sint momenti. Et quas dicta domus intelligatur semper habere tenere et possidere pleno iure: et in eis debeat defendi et manuteneri per potestatem et eius iudicem et quoscunque alios officiales comunis plac. non obstantibus dictis venditionibus donationibus alienationibus seu in emphitheosim dationibus.

De sacramento minorum et puberum.

33. Nullus pubes sive habeat curatorem sive non confitens se maiorem XXV. annis esse, nec alius quilibet maior in contractibus et iudiciis audiatur contra proprium sacramentum, nisi dolo vel fraude vel vi ipsum sacramentum sit exortum (1). Sed hoc quod dicitur quod quis non audiatur contra sacramentum, locum non habeat in illis puberibus vel minoribus XXV. annis quibus est bonis per iudices interdictum: nec etiam filiofamilias absque consensu patris cum alio contrahente: nec etiam in minore XXV. annis qui fecerit absolutionem vel alium contractum cum illo qui fuerit suus tutor vel tutrix.

De confitente se maiorem XXV. *annis.*

34. Quicumque pubes sponte confessus fuerit se maiorem XXV. annis esse sive in contractu sive in iudicio sive extra iudicium pro maiore habeatur in contractu vel iudicio in quo confessus fuerit se maiorem XXV. annis esse, hoc adiiciendo quod si pubes in instrumento in quo constituit aliquem procuratorem confitetur se maiorem XXV. annis quod talis procurator habeatur tanquam constitutus a maiore: et perinde nomine dicti puberis valeat litigare: et predicta locum habeant in preteritis pendentibus et futuris.

---

(1) *Exortum.* Il ms.° Dominici legge *extortum.*

De minore contrahente cum eius tutore vel curatore.

35. Minor viginti annis non possit in instrumento vel extra instrumentum confiteri se maiorem xxv. annis in aliqua confessione vel absolutione vel liberatione quam faciat vel fecerit alicui qui fuerit suus tutor vel tutrix vel heredibus ipsius tutoris vel tutricis seu in aliquo contractu vel obligatione quam fecit vel fecerit cum ipso qui fuit suus tutor vel tutrix vel cum heredibus eius etiam si confiteretur vel confiteatur cum iuramento se maiorem xxv. annis. Et si dictus minor iuraverit vel dixerit se maiorem xxv. annis, vel iuraverit in instrumento vel confessione vel absolutione vel contractu vel obligatione quam fecerit cum predicto seu predictis qui fuit tutor vel tutrix vel heredes eius, vel iuraverit in dictis casibus se non venire contra predicta vel contra promissiones suas, nolumus in dictis casibus vel aliquo eorum dictum minorem haberi pro maiore. Et dicta confessio vel iuramentum in dictis punctis vel articulis non valeat ipso iure: nec ob hoc habeatur in aliquo in dictis casibus pro maiore, non obstantibus aliquibus legibus statutis vel provisionibus comunis plac. vel consuetudinibus, quibus legibus statutis vel provisionibus et consuetudinibus per presentem statutum in predictis volumus derogari.

De mulieribus facientibus fines.

36. Similiter non recipiam lamentationem a liberis alicuius mulieris vel ab ipsa muliere que fecit finem patri de successione patris vel matris cum iuramento adversus filios vel liberos masculos vel feminas ex masculis descendentes: sed contra filias vel liberos ex filiabus recipiam nisi veniant contra legitimam voluntatem defuncti de cuius hereditate agitur, facta hinc inde compensatione dotum sive dotis que de bonis illius de cuius successione agitur processit vel processerunt, et adversos omnes alios nisi causam habuerit a patre vel liberis masculis vel feminis a masculis descendentibus.

De obligationibus occasione ludi.

37. Si quis contraxerit vel obligationem fecerit cum aliquo super ludo vel occasione ludi taxillorum, quoquomodo contractus non valeat ipso iure: et etiam de aliquo ludo taxillorum nullum ius reddatur conquerenti: et si predicta in dubium verterent possit et debeat iudex cognoscere et terminare summarie, et de plano sine libello et sine strepitu et figura iudicii.

Quod nullus emat contra comune.

38. Statutum est quod nullus homo civitatis plac. vel districtus placen. emat vel aliqualiter acquirat aliquod debitum vel nomen debiti seu revisamentum contra comune plac. quod si fecerit non valeat ipso iure.

De vendente et non recipiente precium (1).

39. Statutum est (2) quod si aliquis de placen. vel comitatu rem suam vendiderit, et tradiderit, vel de pecunia sua empta fuerit vel refecta, et emptor qui ad pecuniam tenetur, vel ille cuius res empta vel refecta est precium vel debitum non solverit cum venditor ei fidem habuerit, venditorem vel eum de cuius pecunia res empta est vel refecta in re ipsa dumtaxat apud emptorem vel debitorem vel eius heredes vel eius uxorem potiorem faciam, donec plenam solutionem precii vel debiti habuerit suam esse pecuniam intelligimus, sive eam crediderit, sive pro ea pecunia intercesserit et eam solvit vel solvere teneatur, sive totum capitale societatis fuerit, sive pro ea parte quam posuit in societate. Et quod si bestie alicuius comederint fenum alicuius persone, ultima persona cuius comederint ipsum fenum in domibus cuius essent dicte bestie debeat esse et sit potior in ipsis bestiis: et ipsas bestias penes se retinere possit, non obstante quod fenum aliud comedissent: vel quod ille cuius bestie comedissent alia debita haberet.

---

(1) I mss. hanno più giustamente: *De privilegiis illius ex cuius pecunia res est empta.*

(2) Il ms.° 1336 ha: *Statutum est antiquum iusticie quod approbamus cuius tenor hic est quod etc.*

De locationibus et inquilinis.

40. Quilibet inquilinus finito termino locationis domus sibi facte per alium, teneatur et debeat exire de domo, et eam restituere et dimittere liberam et expeditam locatori infra octo dies post dictum terminum exceptione dominii vel alia quavis exceptione non obstante. Qui inquilinus si requisitus predicta facere contempserit, incidat penam centum soldorum ipso facto. Et nihilominus omnibus remediis precise compellatur (1), de quibus et super quibus omnibus procedatur et cognoscatur summarie: et de plano sine datione libelli et sine strepitu et figura iudicii quocumque tempore feriato et non feriato. Et predicta locum habeant ad preterita pendentia et futura.

Quod locator domus non possit expellere inquilinum.

41. Locator domus non possit inquilinum expellere ante completum terminum locationis, licet dicat se velle ibi habitare, nisi aliter sit conventum. Qui locator si dictam domum vendiderit nondum completo termino locationis, teneatur inquilinus requisitus per emptorem exire de domo et eam sibi dimittere liberam et expeditam infra mensem a die quo fuerit denunciatum, exceptione dominii vel quavis exceptione non obstante in pena soldorum centum plac. Et nihilominus ad predicta omnibus remediis iuris precise compellatur. Salvo ipsi inquilino omni iure et actione damno et interesse, si quod ipsi competit contra ipsum locatorem. Et si inquilinus pecuniam solvisset pro pensione ipsi locatori, et nondum esset terminus completus pro quo pensio fuit soluta, non teneatur exire inquilinus dictam domum nisi prius dicta pecunia soluta per ipsum nondum completo termino sibi restituatur: de quibus et super quibus procedatur et cognoscatur summarie et de plano sine libelli oblatione et sine strepitu et figura iudicii diebus feriatis et non feriatis. Et predicta locum habeant ad preterita pendentia et futura et etiam sine aliquo memoriali et aliqua instantia servanda. Et quod de questionibus pensionum et locationum quarumcunque domorum terrarum et rerum

---

(1) I mss. hanno *omnibus remediis iuris precise ad predicta per competentem iudicem compellatur.*

procedatur et cognoscatur summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii et absque aliquo memoriali et instantia servanda.

Quod massarii debeant requirere dominum tempore messium.

42. Omnis laborator terrarum teneatur requirere dominum tempore messium et vindemiarum ut intersit per se vel nuncium suum ipsis messibus et vindemiis et segationi collectioni et divisioni feni: et notificare sibi diem quo vult metere et excutere bladum et legumina, et segare colligere et dividere fenum: et quo vult incipere vindemias. Alioquin ipso iure sit condemnatus comuni in xx. soldis placen. qualibet vice qua fuerit contrafactum: et nihilominus de quolibet stario seminato frumenti sichalis spelte ordei fariole avene ad rationem unius modii ad minus dare et reddere teneatur domino sine aliqua probatione fienda si dominus maluerit vel placuerit domino: et reddere sibi legitimam rationem tam de predictis quam de vino et de feno. De marzaticis vero videlicet milica milio et panico vitia et omnibus leguminibus teneatur domino iustam reddere rationem, de quibus iudex maleficiorum possit et debeat cognoscere summarie, et de plano sine datione libelli et sine strepitu et figura iudicii quocumque tempore feriato et non feriato: et absque aliquo memoriali et absque aliqua instantia.

Quod dominus possit adonegare si velit.

43. Sit in arbitrio domini si maluerit adonegare et partiri in campo fructus cum colono vel laboratore ipso volente vel invito, nisi inter eos aliter sit conventum: et facta adonegatione predicta, seu divisione, teneatur colonus vel laborator partem domini conducere ad aream ubi dominus voluerit in villa in cuius territorio nati fuerint dicti fructus in pena centum soldorum plac. ipsi laboratori si contradixerit faciendum: et si dominus noluerit adonegare in campo, tunc teneatur colonus seu laborator conducere totam blavam in area domini: nec liceat ipsi laboratori ipsas paleas invito vel inscio domino de area ipsius domini exportari in pena predicta, sub quibus possit et debeat procedi et terminari sine strepitu et figura iudicii tempore feriato et non feriato summarie: et de plano et absque aliquo memoriali et aliqua instantia.

Quod massarii teneantur conducere blada.

44. Laboratores terrarum ad donicum teneantur conducere blada et legumina plac. ad domum domini infra octo dies postquam levata fuerint de area nisi inter eos aliter sit conventum in pena xx. soldorum plac. et emendationis ipsius damni domino.

De repudiatione hereditatis.

45. Quicumque repudiaverit hereditatem parentum ascendentium, si post repudiationem tenuerit ipsam hereditatem vel res hereditatis, talis repudiatio non valeat, nisi ipse repudians ostendiderit ipsam hereditatem vel res hereditatis iusto titulo tenere vel tenuisse. Et predicta locum habeant in preteritis pendentibus et futuris.

De antifacto et donatione propter nuptias.

46. Ad tollendas controversias et dubia que sepius oriebantur occasione constituendi antifactum seu donationes propter nuptias et sponsalitiam largitatem per viros uxoribus in dotalibus instrumentis: quod de cetero constituatur et fiat donatio per virum uxori in instrumento dotali nomine antifacti seu donationis propter nuptias, et sponsalitie largitatis pro medietate dotis vel estimationis dotis tantum quantum maritus fecerit, utputa si maritus recepit nomine dotis ducentas libras in pecunia vel rebus estimatis vel inestimatis valentibus ducentas libras plac. fiat per maritum donatio propter nuptias in instrumento dotali uxori, nominatim de tantis ex suis bonis mobilibus et imobilibus et iuribus quibuscumque que nunc habet et habiturus est que bene valeant libras l. placen. et propter sponsalitiam largitatem seu nomine sponsalitie largitatis que bene valeant decem libras placen. et si fieret ultra dictam quantitatem valeat tantummodo usque ad legitimum modum iuxta predicta.

De dote et antifacto lucrandis.

47. Consuetudo est in civitate plac. et episcopatu longissimo tempore observata cuius contrarii memoria non existit, quod si uxor moritur

ante maritum, si ex ipso marito liberos non relinquerit, quod eo casu maritus lucratur dotem pleno iure: si vero relinquat liberos ex dicto viro, eo casu vir toto tempore vite sue habeat ipsius dotis usufructum dumtaxat, et proprietas et ius dotis et exigendi eam remaneat ipsorum liberorum ex dicta uxore premortua relictorum. Si vero maritus decedat antequam uxor, si ex ipsa uxore liberos non relinquat, eo casu antifactum seu donationem propter nuptias et sponsalitiam largitatem uxor lucretur pleno iure. Quod si maritus premoriens ex ipsa uxore liberos relinquit eo casu uxor habeat usufructum dumtaxat toto tempore vite sue ipsorum antifacti seu donationis propter nuptias et sponsalitie largitatis, et proprietas et ius habendi et consequendi ipsum antifactum seu donationem propter nuptias et sponsalitiam largitatem remaneat penes liberos ipsius mulieris ex ipso matrimonio procreatos. Hoc videlicet observando, quod eo casu dicta mulier antequam possit exigere et habere ab heredibus viri dictum antifactum seu donationem propter nuptias et sponsalitiam largitatem, teneatur prestare liberis predictis idoneam securitatem de restituendo ipsis liberis dicto antifacto seu donatione propter nuptias et sponsalitiam largitatem si contingat eam predecedere liberis prelibatis. Quam consuetudinem confirmamus et approbamus: et pro lege municipali perpetuo inviolabiliter volumus observari. Et que dicta sunt circa dotem lucrandam per virum seu certo modo habendam, et circa antifactum seu donationes propter nuptias et sponsalitiam largitatem lucrandas per uxorem seu certo modo habendas, in casibus predictis locum habeant: nisi expresse inter ipsas partes aliter sit conventum. Sane per predicta vel aliquod predictorum nolumus in aliquo derogari statuto quod loquitur de muliere que facit finem patri de successione patris vel matris cum iuramento: quod statutum de muliere faciente finem manere volumus in omnibus suis partibus firmum et perpetuo illibatum.

De alienationibus simulatis.

48. Odiosas cautiones et simulatos contractus et alienationes facientium in aliorum non modicam lesionem auferre de medio cupientes. Statuimus quod siquis aliquam domum terras possessiones vel res immobiles alii vendiderit, alienaverit donaverit permutaverit seu quovis

titulo in alium transtulerit, et venditor alienator vel donator vel permutator seu ipsarum rerum in alium translator post dictos contractus vel aliquem eorum ipsas domos habitaverit, vel pensionem inde receperit, vel dictas res tenuerit vel coluerit seu coli fecerit et inde fructus receperit, quod eo casu tales contractus presumantur et sint fictitii et simulati et nullius momenti scilicet quantum in preiudicium et lesionem aliquam omnium aliorum qui ipsos contractus non fecerint, sed quantum in preiudicium illorum qui dictos contractus fecerint, valeant inter se tantum prout aliter valuissent non obstante hoc statuto. Et predicta locum habeant non obstante quod in instrumentis dictorum contractuum dicatur quod venditor vel permutator vel alienator seu in alium translator constituit se res predictas possidere vel quasi nomine illius qui vendiderit vel donaverit vel permutaverit vel alienaverit. Et quod dictum est quod dicti contractus vel aliquis eorum non valeant nec teneant in preiudicium aliorum, intelligimus et declaramus quod non faciant dicti contractus preiudicium aliis qui ante ipsos contractus contraxerint cum predictis. Et etiam qui contraherent cum eis post dictos contractus durante tempore quo dicti alienatores post dictos contractus tenuerint res predictas vel aliquam earum. Quo etiam tempore durante tales contrahentes non intelligantur possidere vel prescribere in preiudicium aliorum. Et predicta omnia vel aliquod eorum non habeant locum quando alienatori per eum cui facta est alienatio date sint res predicte vel aliqua earum in emphitheosim in perpetuum absque fraude. Et fraudem intelligimus quando ille qui investivit ad fictum in perpetuum confessus est habere in totum vel in partem ab ipso emphitheota ficta pro temporibus futuris, vel dicto emphitheote dicta ficta donavit pro temporibus futuris in totum vel in partem dummodo investiens rem investitam tenuerit, quo casu dicta in emphitheosim datio non intelligatur in predictis casibus exceptata, nec etiam talis confessio vel donatio fictorum pro temporibus futuris valeat in aliquo in dictis casibus etiam inter ipsos donantem et donatarium vel confitentem, et eum cui facta est confessio de dictis fictis: vel parte eorum pro aliquibus temporibus vel prestationibus futuris: que omnia supradicta locum habeant in preteritis pendentibus et futuris. Intelligatur etiam alienatio facta esse in fraudem, si facta fuerit postquam curator datus fuerit bonis alicuius et ante solutionem factam creditoribus qui in iudicio comparuerint, et de debitis fidem fecerint quantum est in pre-

iudicium creditorum. Et etiam alienatio facta per aliquem postquam factum fuerit ei preceptum per iudicem quod det bona sua in scriptis, vel solvat alicui quantum est in preiudicium eius ad cuius postulationem factum fuerit dictum preceptum.

De depositis ante terminum non petendis.

49 In his que consistunt in pondere numero vel mensura si fiat depositum et depositarius promittat ipsum depositum restituere usque ad certum terminum, non possit ante ipsum terminum depositarius compelli restituere dictum depositum ad postulationem deponentis seu cuiuscunque modo vel casu aliquo: salvo quod interim possint fieri saximenta hoc statuto non obstante.

De deposito etc.

50. Nullus ex his qui sunt obligati pro contractibus (1) sive ex causa depositi vel quavis alia possit detineri personaliter usque ad calendas octobris proxime venturi: quo termino elapso possit quilibet obligatus ex causa depositi ab hinc retro contracti detineri iuxta formam statuti loquentis de debit. qui possint ex causa depositi detineri: salvo quod quilibet tam pro quibuscunque debitis preteritis quam futuris ex causa depositi vel quavis alia causa possit cedere bonis, de qua cessione quid iuris et qualiter fieri debeat in alio statuto plenius continetur.

De deposito et modo procedendi.

51. Statutum est quod si aliquis de cetero receperit vel confessus fuerit recepisse pecuniam vel rem in deposito et accomanda ab aliquo civitatis vel districtus, compellatur reddere et restituere creditori in pecunia numerata: vel si est alia res rem depositam sine datione libelli et strepitu iudicii: et sine aliquo memoriali: et aliqua instantia nulla exceptione obstante. Alioquin detineatur personaliter vel pignoretur ad voluntatem deponentis vel eius heredum seu habentis causam ab eo,

(1) *Pro contractibus.* Il ms.° Pall. ha *pro contractibus preteritis.*

quousque satisfecerit creditori predicto. Salvo quod si dixerit se habere iustam defentionem vel exceptionem audiatur: et non detineatur facta primo depositione et consignatione in pecunia numerata dicti debiti vel si non fuerit pecunia, facta depositione rei deposite vel tantundem si consistit in pondere vel mensura coram iudice coram quo convenitur et non aliter. Quo facto iudex sine alia contestatione vel libello statuat certum terminum arbitrio iudicis debitori ad probandum ipsam defensionem vel exceptionem, qua legitime probata absolvatur, et dictum depositum sibi debitori restituatur. Alioquin detur creditori. Eo videlicet adiecto ac perpetuo observando quod siquis fuerit detentus occasione depositi et steterit propterea in carceribus per tres menses continuos, et si postea paratus fuerit cum effectu cedere bonis suis, et cedat, non possit ulterius detineri vel in carcerem retineri durante dicta cessione (1) pro deposito vel quovis alio debito preterito vel futuro quod debeat alicui, excepto comuni plac. Que cessio sic fiat videlicet, quod preconizetur premisso ter sono tube in platea comunis iudice rationis sedente, hora consueta, ad banchum sub pallatio comunis die iuridico et presente ipso debitore cedente, quod talis, videlicet nominando eum qui cedit bonis, et subsequenter ipse debitor presente iudice palam et publice dicat cedo bonis, et dicta crida et dictum debitoris (2) scribatur in actis, quibus factis persona debitoris dimittatur, salvo ipsis creditoribus omni iure contra ipsa bona tam presentia quam futura, ita tamen quod deducto ne egeat nunquam vindicet sibi locum etiam in bonis que postea aquireret: et quod dictum est quod quis possit cedere bonis non intelligatur in forensibus qui non sunt de civitate plac. vel episcopatu, quorum cessio occasione alicuius debiti non valeat ipso iure, nec intelligatur si aliquis cedens bonis probatus fuerit habere bona extra civitatem placentie et districtum: quo casu cessio non valeat ipso iure: et quod durante dicta cessione ille qui cesserit bonis non habere possit aliquod officium vel beneficium publicum, nec elligi possit ad officium alicuius notarii nec de aliquo consilio comunis plac. nec esse procurator, tutor extimator vel actor neque curator bonorum nec alicuius persone nec sibi in civilibus ius reddatur contra aliquam personam vel res alicuius persone.

---

(1) *Cessione.* Il ms.° Dominici ha *occasione.*

(2) Le stampe antiche hanno *creditoris.*

Et hoc statutum locum habeat in futuris tantum, et in omnibus observetur, preterquam in detentione, in quibuscunque et de quibuscunque mutuis de quibus apparet publicum instrumentum.

Quod vassallus teneatur ostendere rem feudalem domino.

52. Si quis dominus postulaverit ab aliquo vassallo vel ab eo qui causam habuerit a vassallo ut sibi feudum manifestet, cogatur per iudicem competentem ipsum feudum et res feudales manifestare, et hec scribantur in actis ad postulationem domini prelibati: et si scienter aliquid omiserit ipso iure cadat a iure suo.

De confitente se vassallum.

53. Si quis confessus fuerit consorti suo vel alii cuicunque, quod id quod tenet vel habet in aliquo loco vel certas res quas habet vel tenet esse feodales, seu feodum, nolumus talem confessionem preiudicare uxoribus seu aliis contrahentibus qui postea cum ipso confitente vel eius heredibus contraxerint vel contraxerunt, nisi de ipsis rebus feodalibus vel feodo alias seu aliter legitime doceretur: que confessiones preiudicent tantum confitentibus inter se et heredes eorum: et predicta locum habeant et extendantur ad preterita pendentia et futura.

De feudatariis renunciantibus feudo.

54. Statutum est quod feudum alicuius quod fuit vel fuerit datum in solutum alicui pro aliquo debito, et debitor feudum domino refutaverit, talis refutatio non noceat creditoribus, eo salvo quod si res feudalis fuerit accepta in solutum, et debitor vassallus sine liberis legiptimis decesserit, domino libere aperiatur vel ei ad quem de iure feudum apperiri debet non obstante dicta acceptione in solutum, que acceptio et datio in solutum valeat tantum in preiudicium dicti vassalli et heredum eius utriusque sexus, et cuiuscunque habentis causam a dicto vassallo.

Quod prescriptio non currat in feudis.

55. Volumus ad omne iuris dubium tollendum quod dominis nulla prescriptio currat in rebus feudalibus que possideantur per vassallum vel eius heredes. Et hoc locum habeat in preteritis pendentibus et futuris.

De feudo dato in solutum.

56. Si feudum quod datum fuit in solutum creditori apertum fuerit domino vel consorti, salve sint creditori vel eius heredibus vel ei que causam habuit vel ab eo habuerit pristine actiones et pristina iura: et hoc locum habeat in preteritis et futuris.

Quod emptor non possit petere nisi et prout venditor ipso poterat.

57. Si terra seminata, aut vinea putata vendita vel permutata vel alio modo alienata fuerit, ille ad quem pervenit sit contentus in eo redditu in eo anno quem laborator illius terre vel vinee dare tenebatur ei per quem alienata fuerit. Si vero alio modo fuerit laborata, et colonus a domino interesse consequi non poterit, extimationem laborerii novus dominus ei dare compellatur, nisi ipse dominus novus terram colono dimiserit secundum pacta vetera locationis usque ad perceptionem fructuum illius anni.

Quod forensis possit detineri.

58. Si quis ex causa legitima dicat se creditorem alicuius qui non sit de civitate vel districtu placen. habens et ostendens instrumentum debiti coram potestate vel iudicibus eius, possit eum debitorem existentem in civitate placen. vel districtu facere personaliter detineri. Et ad hoc potestas et eius iudices teneantur quo usque ipsi creditori fuerit satisfactum. Salvo quod si dictus debitor dicat se habere legitimam defensionem et det idoneam securitatem civem placen. iudicatum solui, prestita idonea securitate non detineatur personaliter: sed eius defensio legitima audiatur: non obstantibus aliquibus provisionibus nec reformationibus in contrarium loquentibus.

Quod ex alia causa quam depositi quis non detineatur.

59. Nullus ex causa alicuius debiti privati detineatur vel in carcerem detrudatur, salvo quod hoc non intelligatur in obligatis ex causa depositi, in quo deposito statuta comunis plac. predictis non obstantibus vendicent sibi locum. Et salvis illis casibus in quibus per statuta comunis plac. aliter est provisum.

De aditione hereditatis per tutorem.

60. Tutor vel tutrix testamentarius vel testamentaria possint adire hereditatem pupillorum vel pupillarum, et valeat aditio sine aliquo tutore vel curatore dando occasione dicte hereditatis adeunde.

De legatis et modo precedendi in legatis relictis Ecclesie.

61. In legatis relictis ecclesiis vel religiosis vel hospitalibus vel quibuslibet pauperibus vel miserabilibus personis seu aliis quibuscunque volumus procedi cognosci vel terminari summarie, et de plano sine strepitu et figura iudicii, et absque libelli oblatione tempore feriato et non feriato: et hoc locum habeat ad preterita pendentia et futura.

De clausula domina et dona et usufructuaria.

62. Declaramus quod si quis in testamento vel ultima voluntate dixerit, volo vel relinquo vel iubeo uxorem meam esse donam et dominam omnium meorum bonorum, vel dixerit volo et iubeo uxorem meam donam et dominam esse usuario vel usufructuario nomine omnium bonorum meorum: quod per predicta verba scilicet donam et dominam usuario vel usufructuario nomine, dicta uxor non possit petere vel habere nisi alimenta: dum sive defunctus decesserit relictis liberis, sive absque liberis, sive decesserit relictis heredibus liberis suis sive extraneis quibuscunque.

Quod heres intelligatur possessor bonorum defuncti.

63. Quilibet heres sive ex testamento, sive ab intestato adita hereditate habeatur et intelligatur possessor vel quasi possessor omnium bonorum rerum et iurium que defunctus tenebat et possidebat vel quasi possidebat tempore quo decessit, nulla relatione dominii vel alia quavis exceptione impediente vel obstante.

Quot testes requiruntur in testamentis.

64. Sufficiant in testamentis nuncupativis et in qualibet alia ultima voluntate quinque testes masculi et puberes etiam non rogati. Salvo quod in qualibet ultima voluntate excepto testamento mulieres puberes etiam ad testimonium admittantur.

De inventariis heredum.

65. Inventaria quorumcunque heredum et etiam tutorum et curatorum que manu publici tabelionis tribus testibus presentibus conficiuntur valeant: licet non sint citati vel evocati creditores vel legatarii, vel alia legitima solemnitas observata, et tempus a iure statutum intelligatur de solemnitatibus.

Quod interfectores non succedant defuncto.

66. Interfectores vel conscii mortis alicuius tam ipsi quam eorum descendentes ab omni successione defuncti interfecti perpetuo excludantur.

De imbreviaturis defunctorum.

67. Teneantur consules notariorum investigare et inquirere omnes penes quos sunt imbreviature notariorum defunctorum que non reliquerunt liberos masculos notarios: et scribere nomina ipsorum apud quos dicte imbreviature existunt si non sunt notarii, ad hoc ut sciantur apud quos existunt dicte imbreviature: et nihilominus procurent quod potestas eis precipiat sub certa pena et de dictis inbreviaturis custodiendis et salvandis.

Quod sufficiat accipere tenutam in una re pro omnibus (1).

68. Si venditor vel alio modo contrahens tenutam emptori vel alio modo contrahenti dederit ex una rerum super quibus contractum est vel erit nomine aliarum rerum seu sua parabola intrare preceperit ipsam tenutam: valeat ipsa tenuta in aliis rebus predictis ac si in singulis rebus intrasset. Et illud idem observetur in tenutis datis de precepto iudicis competentis et etiam in tenutis datis per curatorem bonis alicuius defuncti.

---

(1) La rubrica presente manca nel ms.° Pall. del 1336, ma trovasi nel *Dominici*, e nelle vecchie edizioni a stampa.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

10052142

INCIPIT QUARTUS

De spoliatis.

1. Spoliatorum restitutionibus intendere cupientes statuimus, quod omnes et singuli qui pro parte vel occasione partis expulsi fuerunt vel se absentaverunt de civitate placen. vel episcopatu tempore dominii dicte civitatis olim bone memorie domini galeaz vicecomitis, vel a dicto tempore citra, restituantur et pro restitutis habeantur ad omnia que possidebant vel quasi possidebant quolibet tempore absentationis seu expulsionis facte occasione predicta. Et quantum ad restitutionem predictam ille sit potior et restitutus esse intelligatur, et debeat restitui vigore presentis statuti qui altero tempore predictorum fuerit prior in possessione predictarum rerum per eum tunc possessarum: et si fuerit inter aliquos contentio de restitutione predicta, ille obtineat qui probaverit se tempore absentationis sue dictis temporibus vel altero predictorum temporum prior fuisse in possessione, dummodo spoliatio seu privatio possessionis facta non fuerit ipsis comuniter stantibus in civitate predicta, et comuni iure inter eos vigente. Ad predictam autem restitutionem fiendam procedatur sumarie, et sine strepitu et figura iudicii sine libello vel petitione, declaratione sola tantum precedente, si ille contra quem fienda restitutio negaverit petentem restitutionem fieri possedisse tempore expulsionis sive absentationis non obstante aliqua temporis prescriptione: possit tamen postea eodem iure summario quilibet contra predictos restitutos agere et experiri ad proprietatem dictarum rerum recuperandarum salvis omnibus contractibus a dicto tempore citra factis spontanee

non vi vel metu partis vel alio. Ad vim vel metum probandum sufficiant quatuor testes bone opinionis et fame. Qui verisimilia aliqua cum fama deponant, vel alias (1) probationes iuris si per alium modum possit fieri probatio quam predictis. Statuentes etiam quod omnes emphitheote qui a tempore predicto citra non solverunt canones suos et ficta, in eo sint iure in quo erant tempore expulsionis vel absentationis alicuius ex predictis quantum ad predicta: ita quod res non sint aperte petentibus vel veris dominis. Sed ipsis emphitheotis solventibus dimidiam partem eius quod debent, in eo sint iure quo erant tempore expulsionis vel absentationis predicte, sive dantes sive recipientes in emphitheosim fuerint, ceteris paribus quantum ad predicta: et predicta vendicent sibi locum in adherentibus cuilibet aliarum partium predictarum expulsarum spoliatis vel privatis possessione vel quasi a tempore predicto citra: et sequacibus eorundem, dummodo presumi possit quod occasione seu timore partis non potuerint vel ausi fuerint prosequi iura sua omni prescriptione cessante in omnibus supradictis: ad que observanda et cum effectu teneatur dominus potestas et quilibet officialis dicti domini potestatis et comunis plac. exceptione aliqua iuris vel facti non obstante.

De oneribus et cui debeant imponi.

2. Ut inter cives et districtuales placentie idem ius observetur et comune plac. non fraudetur firmiter ordinamus quod si contigerit quod deus avertat, aliquod estimum vel taleam vel aliud onus per comune placentie imponi, quod omnes civitatis placentie et districtus, qui tunc non essent estimati, faciant se estimari vel in talea poni in pena decem librarum placen. Sed hoc non habeat locum in scutiferis et bubulcis stantibus ad mercedem panem et vinum alterius comedendo: nec in pauperibus qui vadunt publice mendicando: qui non habent familiam, videlicet uxorem vel liberos nec aliqua bona immobilia inveniuntur possidere vel mobilia valentia ultra quantitatem decem librarum. Sane aliquod onus reale vel personale, seu impositio aliqua nemini in civitate placentie imponatur, nisi in porta et in vicinia ubi moratur tempore ipsius impositionis: et

(1) *Vel alias.* I mss. hanno *vel alie.*

alicui rustico nisi in villa in qua moratur cum familia tempore ipsius impositionis: et quod quilibet qui habitaverit seorsum seu divisus fuerit a patre vel fratre (1): seu qui bona divisa habuerit ponatur separatim in talea et in aliis factionibus et oneribus comunis placentie. Et quod quelibet persona que habitat, seu habitare inveniretur in districtu placentie, que sive cuius antecessores consueverunt morari in civitate plac. debeat estimari, et factiones et onera comunis placen. facere et sustinere in dicta civitate placentie in vicinia in qua ipse vel eius antecessores ultimo consueverunt morari sive morabantur: et si de dicta porta vel vicinia aliqua oriretur questio, ipsa questio decidatur per dominum potestatem et eius curiam: et si secus factum fuerit non valeat ipso iure (2).

De consulibus villarum elligendis.

3. Statutum est quod quelibet villa que habet ultra decem focos (3) seu focolaria teneatur quolibet anno eligere unum consulem de ipsa villa: qui consul possit agere et conveniri pro debitis comunis placentie: et super omnibus accusis vel denunciationibus vel inquisitionibus que fierent de ipsa villa, et per ipsam villam: et qui fuerit uno anno, vacare debeat ab ipso consulatu per biennium postea subsequentem. Si vero villa fuerit infra quantitatem decem focolariorum teneatur se coniungere cum una ex tribus villis proximioribus habentibus consulem, vel eligere consulem de se ipsa: et quod quilibet possit de hoc conqueri, et ad postulationem cuiuslibet conquerentis teneatur se coniungere cum una ex dictis villis sub pena librarum decem: et ad hoc teneatur potestas et iudex maleficiorum ipsas villas compellere quando fuerint requisiti in pena librarum viginti ipsis potestati et iudici.

De Equalitate onerum realium et personalium.

4. Ut equalitas circa onera realia et personalia in omnibus observetur,

---

(1) *A patre vel fratre.* Così i mss. tutti. Le stampe hanno *a patre vel matre.*
(2) Nelle edizioni a stampa questa Rubrica è sconvolta e confusa stranamente.
(3) *Decem focos.* Le stampe hanno *quinque focos.*

proinde statuimus quod onera que sunt realia, et de cetero imponentur villis castris locis et hominibus episcopatus et districtus placentie per patrimonia dividantur: realia vero onera intelligantur videlicet impositio salis estimi seu talee, impositio bladi, porcorum, vini, solutio salariorum potestatum, consulum defensorum, advocatorum, sindicorum seu procuratorum restitutionum et emendarum damnorum et condemnationum, que fient de ipsis villis castris locis seu comunitatibus: et etiam alia que de iure communi mere realia reputantur. Eo salvo, quod condemnationes villarum, locorum, castrorum et comunitatum: et emende que fient pro eo quod dicte ville vel comunitates non receperint malefactores, quod dicte condemnationes et emende solvantur et dividantur per ipsos homines pro medietate secundum capita, et pro alia medietate secundum patrimonia sive sit fienda divisio et contributio ipsarum condemnationum inter plures villas seu loca, sive inter homines alicuius ville castri vel loci. Personalia vero dividantur onera, et fiant modo infrascripto videlicet, quod dividantur per capita: ita tamen quod de eadem domo et familia in qua statur ad unum focum et comunem victum, quorum bona non sunt divisa non compellantur ad predicta ultra duo viri: ita videlicet quod servetur equalitas in dictis oneribus personalibus subeundis in numero dierum quibus ipsa personalia onera sustinebuntur, utpote siquis sustinuerit ipsum onus per decem dies quilibet alius de ipso loco teneatur tanto tempore subire, quousque numerus omnium de dicto loco sit completus. Et completo numero dierum et virorum modo supradicto redeat: et observetur iterum deinceps dictus ordo. Eo salvo quod siquis ex predictis noluerit exercitum vel andatam possit mittere pro se unum sufficientem virum, et tunc excusetur. Personalia vero onera intelligimus et declaramus: videlicet quando itur in exercitum vel cavalcatam seu andatam seu monstram: vel quando mittitur ad faciendum aliquam stratam, fossatum, pontem, fortalitiam vel aliquid aliud similiter fiendum. Omnia autem alia onera de quibus non est supra facta mentio, que non mere realia sunt, personalia volumus reputari. Salvo quod ad dicta onera personalia non teneantur mulieres et minores sedecim annis: et etiam qui etatem annorum septuaginta excesserint. Et si aliquis de districtu placentie habitationem mutaverit, solvat et sustineat onera realia ubi habitabat tempore quo fuerunt ordinata vel imposita, quod tempus intelligatur tempus, quo facta fuit descriptio focolariorum episcopatus placentie. Onera vero

personalia ubi habitat sustineat. Si autem de ipsis oneribus subeundis vel fiendis questio inter aliquos de dictis villis et locis oriretur, possit et debeat de ipso (1) cognosci, et terminari omni tempore feriato et non feriato: et de plano sine libello et strepito iudicii: prout brevius poterit expediri. Volumus tamen quod quando homines aliqui ipsarum villarum locorum et castrorum mittentur seu ibunt pro comuni placent. ad aliquem exercitum vel andatam vel custodiam: seu ad faciendum aliquas stratas opera vel laboreria pro comuni placen., fiat solutio eis per dictas villas castra seu loca predictis missis vel euntibus pro eorum soldo salario mercede remuneratione et labore: et fiat divisio pecunie solvende inter ipsos homines villarum et locorum seu castrorum pro medietate secundum capita, et pro alia medietate secundum patrimonia seu habere. Que omnia observentur sive vadant sive mittantur homines ad predicta cum bobus vel aliis bestiis sive sine ipsis: et omnes condemnationes que fierent ex causis predictis eodem modo dividantur et solvantur ut supra: et ad predicta teneantur vidue et pupilli pro patrimonio et habere, videlicet pro medietate predictorum tantum.

Quod massarii non teneantur pro vicinis.

5. Ordinamus quod aliquis massarius viciniarum civitatis placen. non possit compelli nec detineri per potestatem nec per aliquem officialem comunis plac. ad solvendum comuni plac. aliquod estimum seu datium vel taleam vel aliud consimile quod solvere deberent vicini seu vicinia seu aliquis ipsorum, eo salvo quod illi massarii possint compelli ad solvendum id quod receperint a vicinis suis: et hoc in pena cuilibet officiali contrafacienti lib. xxv. applicanda comuni placen.

Quod vicinus non teneatur pro vicino.

6. Nullus ex vicinis vel civibus placen. cogatur per comune plac. vel per aliquem officialem comunis solvere pro altero aliquod debitum vel onus, seu impositionem aliquam aliqua de causa: et hoc sub pena contenta in proxime precedenti capitulo.

---

(1) *De ipso.* Il ms.° Dominici ha *de ipsis.*

De equis perditis in bello ut emendentur per comune.

7. Si quis amiserit equum servitio comunis plac. in sturmo vel prelio, emendetur sibi equus per comune plac. prout probaverit legitime dictum equum valuisse tempore quo percussus fuerit in sturmo vel prelio.

De bubulcis sedentibus super carro seu barotio.

8. Potestas vel iudex sive officialis ad hoc deputatus teneatur auferre a quolibet bubulco qui steterit vel sederit super carro vel barrotio seu carreta in civitate plac. vel suburbiis pro banno qualibet vice tres soldos plac. et teneatur precedere per civitatem vel suburbia ipsum carrum barrocium seu carretam sub dicta pena: et hoc preconizetur per civitatem singulis duobus mensibus: et hoc inquiratur saltem semel in septimana per ipsum potestatem seu officialem ad hoc deputatum.

De his que pertinent ad iudicem pontium et viarum.

9. Judex stratarum vel alius ad hoc deputatus, teneatur in mense eundo per civitatem videre stratas civitatis et burgorum, et rivos, clavigas et andictos, et facere aptari et removeri impedimenta: et etiam mundalicias rivorum et stratarum et proiecta in ipsis stratis infra tertiam diem exportari et alia facere que in predictis fuerint facenda: Alioquin penam x. libr. qualibet vice qua non iverit bis per civitatem quolibet mense dicta de causa vel predicta non observaverit incurrat ipso facto: et quod non possit ipse iudex pro predictis facere aliquam condemnationem, sed contrafacientes vel inobedientes possit et debeat pignorare quod non adimplerentur contenta in hoc statuto.

De refectionibus pontium et viarum.

10. Quoniam inter cetera opera pietatum describuntur refectiones pontium et viarum, adeo quod etiam divine domus ad instructionem ipsorum iuxta sanctiones legitimas tenentur. Considerantes civitatem et districtum plac. ipsis maxime indigere, quibus nisi aliter provideatur damna et pericula maxima personarum et rerum posse incurrere ipsam civitatem

et districtum sicut docente experientia novimus hactenus incurrisse, bono publico consulentes statuimus, quod reficiatur et fiat pons trebie super strata romea, et fiat in pilis lapideis de bona calcina absque voltis, super quibus pilis fiat pons de legnamine sufficiens, vel saltem fiat dictus pons in sandonis vel cum sandonis. Item fiat unus pons bonus et sufficiens de legnamine super flumine trebie iuxta rivalgarium. Fiat etiam unus pons bonus et sufficiens de legnamine super flumine nurie iuxta villam sancti georgii, per quos pontes et quemlibet eorum possit iri cum carris et bestiis et rebus tute. Ad quem pontem trebie de strata romea fiendum et reficiendum teneantur conferre et ipsum pontem facere seu fieri facere omnes ville et loca et castra collegia et universitates et homines singulares cuiuscunque status vel conditionis existant habentes terras vel possessiones ultra trebiam vel ultra trebiam habitantes. Et ad quem pontem trebie iuxta rivalgarium fiendum et reficiendum teneantur conferre et ipsum pontem facere seu fieri facere omnes ville castra et loca collegia et universitates et homines singulares cuiuscunque conditionis vel status existant habentes terras et personas inter nuriam et trebiam vel intra nuriam et trebiam habitantes. Et ad quem pontem nurie iuxta villam sancti georgii fiendum et reficiendum teneantur conferre, et ipsum pontem facere seu fieri facere omnes ville et loca castra et collegia et universitates et homines singulares cuiuscunque status et conditionis existant habentes terras et possessiones ultra nuriam a strata romea supra, et ultra nuriam a strata romea supra habitantes. Salvis villis et comitatibus qui contribuerunt ad faciendum pontes super stratam romeam existentes. Que ville et comitatus ad dicti pontis confectionem et restitutionem minime teneantur. Que contributio sic fiat: quod omnes ville et loca de quibus fit mentio teneantur conferre ad ipsos pontes iuxta impositionem salis per comune plac. eis factam. Alii vero omnes habentes possessiones et terras, de quibus facta est mentio teneantur ad ipsam contributionem secundum valorem terrarum et possessionum quas habent infra terminos predictos. Ad que predicta melius et utilius peragenda hoc ordine procedatur: quod ad ipsos pontes fiendos et reficiendos sit unus bonus officialis qui non sit de civitate placen. vel districtu, videlicet iudex et officialis stratarum et viarum, ad quem officialem coadjuvandum, eligantur duodecim boni viri cives placen. videlicet quatuor ex illis qui habent facere ultra trebiam ad pontem trebie strate romee

fiendum et restituendum: et quatuor ex illis qui habent facere intra nuriam et trebiam ad pontem super trebia ad rivalgarium fiendum et reficiendum: et quatuor ex illis qui habent facere ultra nuriam ad pontem nurie iuxta sanctum georgium fiendum et reficiendum. Dictus vero officialis cum dictis bonis viris mittat pro consulibus villarum predictarum quod veniant coram eis cum duobus vel quattuor ex vicinis, et pro aliquibus ex civibus habentibus possessiones ubi pro eis videbitur expedire: et iuramento ipsorum teneantur inquirere et scribere quid valeat id quod quilibet ex ipsis civibus vel aliis quibuscunque habet in ipsis villis: et completa omni estimatione omnium qui tenentur ad predicta, et etiam scripta omni summa impositionis salis villarum et castrorum omnium predictorum, dictus officialis cum dictis bonis viris habeant consilium et examen magistrorum placen. super hoc edictorum: et levata ratione quid ascendere potest summa expensarum fiendarum, cuiuslibet ipsorum pontium, fiat divisio contributionis inter predictos pro medietate: videlicet omnes ville predicte solvant medietatem omnium expensarum predictarum: et omnes alii homines collegia et singulares persone cuiuscunque status vel conditionis existant aliam medietatem solvant: ita videlicet quod de dicta tota summa ipsorum pontium recuperetur ab initio medietas solummodo, que deponatur penes campsores placen. bonos viros, videlicet pecuniam unius pontis penes unum mercatorem campsorem, pecuniam alterius pontis penes alium mercatorem campsorem, et pecunia tercii pontis penes tercium mercatorem campsorem: et ut omnis via malignandi penitus auferatur, dicta pecunia non possit solui per ipsum depositarium mercatorem nisi de mandato dicti officialis, et de consensu expresso ipsorum omnium quatuor virorum super quoque ponte constitutorum: qui officiales et viri teneantur quolibet mense reddere rationem illis viris qui sunt ad videndum rationem camere, et comunis placentie, et quando medietas vel quasi dicte pecunie dictorum pontium fuerit expensa et distributa in ipsis, recuperetur ab ipsis villis et hominibus alia medietas, secundum ordinem supradictum: hoc adiiciendo quod ubicunque dictus officialis cum dictis bonis viris invenerint lignamina, vel alias res ipsis pontibus vel alteri eorum necessarias, teneantur domini lignaminis vel rerum ipsas res eis vendere iusto pretio persolvendo. Teneantur etiam habentes boves et carros ipsis officialibus et viris bonis eos locare et concedere dicta de causa solvendo

pro mercede quod iustum est. Ad que omnia predicti domini vel tenentes boves possint cogi: insuper volumus quod officialis stratarum et viarum teneatur et debeat facere aptari stratas principales inter nuriam et trebiam, videlicet stratam qua itur per portam sancti Raimundi ad rivalgarium: stratam qua itur per portam sancti antonii ad potentianum et pontem arbarolle, et stratam per quam itur ad sanctum georgium, cogentes omnes ducentes aquas facere pontes idoneos et sufficientes et munire ripas rivorum super ipsis stratis, ita quod ipse strate non devastentur vel impediantur: et etiam facere aptari omnes malos sapellos et garafossos, et inglarari: quod fiat scilicet de aptandis sapellis et garafossis expensis illorum, seu per illos qui utuntur ipsis stratis a quatuordecim miliaribus infra versus civitatem. Cogat omnes habentes terras iuxta stratas predictas affossadare terras quas habent iuxta ipsas stratas, faciendo fossatum ad minus per latitudinem trium brachiorum, et proiiciendo terram que eximetur de ipsis fossatis versus ipsas eorum terras vel stratam prout et ubi ipsi officiali pro meliori videbitur expedire: qui officialis possit coercere et condemnare contrafacientes pro qualibet vice in soldis decem placen. quarum condemnationum habeat ultra salarium suum quartam partem: et relique tres partes operibus ipsorum pontium et stratarum prout occasione ipsorum fient convertantur: et ad predicta omnes predicti nihilominus compellantur: et quod dictus officialis teneatur ipsas stratas, et scarafossas, et sapellos facere reaptari secundum dicti statuti continentiam, etiam ad postulationem requirentis vel conquerentis in pena librarum vigintiquinque placentie pro qualibet vice qua sibi fuerit requisitum, et quod de aliis stratis, malis sapellis, et scarafossis que essent in aliqua villa seu territorio episcopatus placentie non possit dictus officialis sub pena predicta aliqualiter inquirere vel se intromittere, nisi solum ad instantiam aliquorum ex vicinis dictarum villarum vel habentium facere in ipsis, qui accusam de predictis coram eo porrigerent vel denuntiationem.

De ponte trebie reficiendo.

11. Statutum est antiquum quod potestas teneatur infra mensem ab introitu sui regiminis dare operam summo studio, sine fraude quod dominus et minister domus sive ecclesie de rocho teneat et tenere debeat

duas bonas naves in flumine trebie continuo, et homines sufficientes ad eas cum necesse fuerit regendas: ita quod euntes et redeuntes et bestie possint ipsum flumen transire sine periculo quousque dictus pons super dicto flumine factus fuerit. Ita quod transeuntes et redeuntes possint ipsum flumen transire sine periculo aliquo, et sine expensis aliquibus: sed tantum expensis illius domini et ministri dicte domus: et siquis alicui pro navi sua pro transitu accipiet ab aliquo, solvat pro banno quinque soldos.

De legatis et redditibus pontis trebie.

12. Item statutum est antiquum quod potestas teneatur bona fide sine fraude operam dare quod introitus et redditus terrarum et possessionum pontis trebie de placentia, et denariorum legatorum ipsius pontis expendantur et ponantur in laborerio ipsius pontis faciendo et reficiendo ipsum pontem annuatim, Ita quod exinde ire possint homines et persone super ipsum pontem cum equis et sine equis et redire, et eligere unum bonum hominem et legalem, atque idoneum qui presit et preesse debeat laborerio predicto expendendo ipsos denarios introitus et redditus et denarios legatorum. Et hoc capitulum teneatur potestas preponere et facere legi infra mensem regiminis sui in consilio, et secundum quod placuerit maiori parti consilii ita observare.

De stratis solandis.

13. Est antiquum statutum quod omnes strate civitatis solentur et solari debeant hoc modo, videlicet quod si aliquis habens facere inter unam crucem et alteram petierit a potestate quod fatiat precipi quod illi qui habent facere inter illas duas cruces colligant se simul in propinqua ecclesia, et si placuerit maiori parti soletur illa strata, ita quod quilibet solet ante domum suam, et quod potestas teneatur facere fieri infra tres menses postquam maior pars fuerit in concordia de solando quod ipsa strata soletur.

De ponte nurie aptando.

14. Confirmamus statuta antiqua infrascripti tenoris: item statutum est, quod potestas teneatur conzari facere pontem nurie de ponte nurio et manuteneri per ipsam domum sive dominum ipsius domus secundum pacta facta inter ipsum dominum seu mansionem et paraticum callegariorum et dominum episcopum plac. et hec usque ad quatuor menses ab introitu sui regiminis, et ad ea omnia teneantur que in instrumento continentur. Additum est quod domus de montali ad quam dicta domus pervenit cogatur subire onera pro ipso ponte fiendo et manutenendo. Additum est huic capitulo quod predicta domus cogatur omnia que in predicto capitulo continentur facere et adimplere: ita quod predictus pons comode possit equitari et carrezari. Et hoc statutum sit precisum in qualibet parte sui et sine tenore. Additum est huic capitulo quod ille qui possederit possessionem de montali teneatur potestas seu iudex et officialis qui fuerit super pontibus et viis deputatus facere inquisitionem de predictis infra mensem ab introitu sui regiminis: et possit et debeat sindicari in xxv. libris: si secus fecerit.

De iuribus comunis contra domum rochi.

15. Item statutum est quod quilibet potestas placen. teneatur diligenter inquisitionem facere de iure et ratione que comune placen. habet contra domum sancti iacobi seu rochi occasione pontis trebie, et ipsa omnia facere observari tam in costructione dicti pontis quam etiam in manutenendo ipsum pontem seu navem in pena xxv. librarum placen. ipsi potestati si predicta facere omiserit. Idem observetur per dominum potestatem in faciendo construi pontem nurie, et manuteneri habentibus et tenentibus domos et possessiones de montali, sive de sancto bernabove.

De stratis spazandis.

16. Item statutum est quod omnes strate civitatis spazentur et mundentur singulis tribus mensibus (1) si opus fuerit, scilicet per quemlibet

---

(1) *Tribus mensibus.* Così hanno il ms.° *Dominici* e gli stampati. Ma il ms.° del 1336 ha *quolibet mense si opus fuerit.*

ante domum suam: et qui contrafecerit solvat pro banno soldos quinque, et potestas et eius iudices teneantur dictum bannum auferre.

De sedilibus removendis.

17. Item statutum est quod omnia sedilia que sunt in spondis viarum publicarum aut penes vias destruantur aut extrahantur retro per sex brachia in pena xx. soldorum.

De ponte arde ad curtem maiorem.

18. Item statutum est quod pons qui solitus erat esse super ardam ad curtem maiorem reficiatur et restituatur sicut solebat esse: et ita quod carrezari et uti possit expensis illorum quibus spectat.

De pontibus clavene fiendis.

19. Eodem modo statutum est quod pontes fiant super Clavenam et Gabiollam (1).

De viis spazandis et desbozandis.

20. Omnes vie magne et parve districtus placen. per quos consuevit iri et carezari, et que sunt insterponite et imbozite seu guaste, desbozentur et reaptentur per homines villarum et locorum in quorum territoriis sunt ille vie magne vel parve, ita quod per ipsas vias possit iri cum carris libere tute et expedite in pena centum soldorum cuilibet ville seu loco quotiens requisitus contrarium duxerit faciendum. Et per iudicem pontium et viarum procedatur et non aliter, prout procedi debet in statuto posito sub rubrica de pontibus fiendis.

De andictis et cloacis spazandis.

21. Statuimus quod omnes andicti et latrine et cloace que respondent

(1) *Trebiolam* hanno gli Stampati. I mss. tutti hanno *Gabiollam*, che è il *Gambiolo* poco lontano dalla Chiavenna.

seu pontant in viis publicis civitatis placen. claudantur per eos qui eis utuntur de muro lapideo in calcina altitudinis sex brachiorum ad minus: ita et taliter quod nullum decursum habere possint in stratis publicis in pena soldorum decem (1). Salvo quod si fuerit sibi denunciatum seu preceptum, quod tunc si fuerit in contumacia faciendi iusto impedimento cessante puniatur in soldis sexaginta: et nihilominus dictum murum et clausuram firmiter et absque fraude sine aliqua apertura facere teneantur: et ad predicta complenda et manutenenda teneantur officiales comunis ad quos hoc pertinet in pena x. librarum pro quolibet et qualibet vice.

De via cremonensi et clavene aptanda.

22. Ut ligna de subtus stratam quibus civitas placen. non modicum indiget facilius habeantur: volumus quod strata per quam itur de civitate placen. ad portam cremonensem ad clavenam et curtem maiorem aptetur et reficiatur, et fiat ubi deficit amplitudinis xxiiii. brachiorum cum bonis et decentibus fossatis ad minus sex brachiorum hinc inde, et proiiciendo terram ipsorum fossatorum super ipsa strata: et hoc fiat per villas omnes de subtus stratam: et etiam per omnes et singulos habentes ibi possessiones et nemora qui ex hoc sentiunt utilitatem: et ad predicta fienda eligantur boni viri qui compellant remediis iuris omnes predictos prout fuerit opportunum.

De boschis iuxta stratam cedendis.

23. Ad detegendos et evitandos malefactores qui secus stratas occultantur, firmiter statuimus quod omnes boschi, busconi, et cesoni existentes iuxta stratam romeam per quinquaginta zitatas, et existentes iuxta alias stratas publicas districtus placen. per xx. zitatas incidantur et extirpentur per illos quorum sunt terre in quibus existunt in pena x. lib. pro quolibet. Et ad predicta nihilominus teneantur: et hoc statutum cridetur per civitatem et mercata districtus placen.

---

(1) *Soldorum decem* hanno i mss. Gli stampati *soldorum centum.*

De fenestris borarum aptandis.

24. Omnes habentes boras iuxta stratas publicas civitatis placen. teneantur in ea parte in qua occupaverint seu occupant de via publica occasione hostiorum et fenestrarum ipsius bore ponere inter ipsam boram vel fenestras et stratam et tenere unam magnam clapam vel assidem ita largam et longam que coperiat tantum quantum protendit extra murum ipsum hostium seu fenestra versus stratam, in pena decem soldorum pro qualibet vice postquam fuerit preceptum vel denunciatum: et nihilominus predicta teneantur facere.

Quod seglaria et foramina habeant horificia.

25. Omnia seglaria seu foramina, vel meatus in quibus mittitur vel mitti potest aqua in aliquam viam publicam civitatis, habeant orificium et foramen ex quibus exit aqua iuxta terram: ita quod exitus vel reliberatio non ledat transeuntes, in pena contrafacienti viginti sold. placen. pro qualibet vice: et nihilominus predicta claudere usque prope terram teneantur.

De sedilibus comunis reficiendis.

26. Sedilia comunis ubi esse consueverunt fiant et penitus reficiantur expensis comunis plac. et aqua comunis de subtus ipsa sedilia labatur et manuteneatur per comune plac. sicut consuevit: et potestas seu iudex stratarum teneatur ea facere fieri: salvo iure aqua rivi que consuevit labi iuxta pallatium notariorum deversus viciniam sancti gervasii

De via publica vel vicinali non occupanda.

27. Si quis aliquam viam publicam vel vicinalem occupaverit vel removerit puniatur in sexaginta soldis: Et nihilominus teneatur ipsam viam reducere in pristinum statum infra xv. dies postquam ei fuerit denunciatum, in pena predicta pro qualibet vice qua sibi denunciatum fuerit. Et hoc non intelligatur de eo qui removerit de campo suo, et eam posuerit in capite ipsius campi loco competenti per quem commode iri possit.

De banchis bechariorum.

28. Statutum est quod becharii non habeant aliquod banchum vel carnale a columnis grossis becharie in antea quo prestent aliquid impedimentum euntibus per viam in pena xx. sold. Et nihilominus predicta in statum debitum reponere teneantur.

De impedimentis removendis de via.

29. Nemo audeat aliquid ponere vel tenere in via publica, vel super ipsam viam, per quod impediatur iter vel actus alicuius euntis per ipsam viam sive cum carris vel bestiis vel sine eis in pena LX. sold. plac: et nihilominus impedimentum teneatur removere: quam penam incurrat nisi predicta removerit usque ad v. dies a die quo predictum impedimentum posuerit vel fuerit in ipsa via. Et non intelligatur hoc in canavatio quod tenetur ante stationes.

De porcis ferrandis in grugno.

30. Nullus teneat porcum in civitate plac. qui non sit ferratus in grugno, in pena quinque soldorum pro qualibet vice qua repertus fuerit idem porcus non ferratus. Et hoc habeat locum post quinque dies a die quo fuerit preconizatum per civitatem.

De magistris et discipulis exercentibus artem lane et laborerium terrarum ut sint decennio immunes.

31. Cum inter cetera quibus civitates et eorum territoria potius augmentantur, sint ubi operatorum artis lane, et lanificii, et laborantium terras copia reperitur, toto nixu insistentes ut in civitate placentie et districtu sit copia predictorum ad que per infrascriptas immunitates citius alicientur operarii prelibati, decrevimus et firmiter ordinavimus, quod quicumque magistri, discipuli, vel operarii seu laboratores tam masculi quam femine artis lane seu lanificii qualitercunque operantes qui non sint de civitate placen. vel episcopatu ac etiam laboratores omnes terrarum qui non sint de civitate plac. vel episcopatu qui venerint de

cetero ad civitatem placentie vel episcopatum causa exercendi dictam artem lane seu lanificii qualitercunque, causa laborandi ipsas terras, habeant operando per se vel per alium ipsam artem lane et ipsum lanificium, et ipsas terras laborando per se in ipsa civitate vel episcopatu usque ad decem annos, et per decem annos continuos a tempore quo ad predicta venerint, plenam et plenissimam et generalem et generalissimam immunitatem ab oneribus omnibus realibus, personalibus, et mixtis impositis et imponendis per comune placen. seu per alios quoscunque in civitate placen. vel districtu. Sive imponentes onera predicta sint officiales comunis sive non: sive paratici vel artes vel consules artium, vel comunia loca vel ville, vel consules comunis locorum vel villarum, vel massarii viciniarum, sive sint impositiones estimorum, talearum, mutuorum, cavalariorum, stratarum, pontium, laboreriorum, custodiarum, exercituum, andatarum et monstrarum emendationes damnorum vel guastorum vel laboreriorum vel robariarum condemnationum villarum quavis causa, sive impositiones salis, bladi, vini, porcorum, bovum, et aliarum quorumcunque impositionum onerum realium et personalium seu mixtorum seu aliorum cuiuscunque conditionis et qualitatis sint, et quocunque nomine censeantur. Quas immunitates omnes teneantur potestas plac. et quilibet officialis comunis plac. et quilibet alius cuiuscunque conditionis existat inviolabiliter observare sub pena librarum centum placen. potestati, et quinquaginta librarum placen. cuilibet alio officiali, et xxv. librarum cuilibet alii tam collegio vel comuni quam singulari persone.

Quas penas incurrant ipso facto, si contra predicta quoquo modo duxerint faciendum: et ne circa predicta fraus aliqua comittatur, et ut sciri valeat quando incipiet vel deficiet dictum tempus: volumus quod predicti omnes qui dicta de causa venerint faciant scribi nomina eorum, et tempus quo venerint coram camerario comunis placen, in libro ad hoc specialiter deputato: et nihilominus de predictis facere fieri coram potestate placen. publicum instrumentum: de quo notarii accipiant duos soldos et non ultra: et ipse potestas teneatur requisitus hoc facere in pena xxv. libr. placen. qui potestas eos iurare faciat de causa et tempore quibus venerunt, ad hoc etiam ut ad defensionem ipsorum circa predicta possit quando et ubi opus fuerit ipsum ostendere instrumentum. Qui potestas faciat ipsos laboratores terrarum iurare et promittere, quod stabunt in civitate placentie vel districtu dicta de causa usque ad dictum

tempus immunitatis eis concesse: et non recedent infra dictum tempus. Alioquin solverent dicti laboratores terrarum nomine pene vigintiquinque libras placen. Quas omnes immunitates in omnibus et per omnia per quinque annos dumtaxat continuos quicumque qui non sunt de civitate placentie vel episcopatu, et qui venerint causa exercendi in ipsa civitate qnamlibet aliam artem habeant in totum et per totum, qui teneantur se scribi facere et fieri facere publicum instrumentum prout superius est expressum: quas artes et laboreria possint predicti non obstantibus aliquibus statutis et consuetudinibus civitatis placentie seu aliquorum paraticorum preceptis vel molestationibus libere exercere. Salvo quod in exercitibus generalibus predicte immunitates non vendicent sibi locum.

De immunitate hominum de montiselis guaragnorum.

32. Statutum est antiquum quod potestas et officiales comunis placentie ad hoc ut confines inter comune placentie et comune cremone ad honorem ipsius comunis placen. custodiantur, quod immunitates concesse per comune placentie hominibus habitantibus in loco de montixelis deversus cremonam, et in burgo guaragnorum eisdem hominibus inviolabiliter observentur, uullo extraneo intellectu, vel interpretatione predictis immunitatibus contrariis additis circa ipsas.

De immunitate hominum castri sancti ioannis.

33. In statuto comunis placen. reperitur quod homines habitantes in castro sancti ioannis habeant immunitatem eam perpetuo, quam habent illi de castro florenzole, quod statutum in ea parte approbamus.

De immunitate magistrorum grammatice et doctorum de collegio.

34. Cum magistri grammatice sint tanquam patres filiorum hominum placentie, et maxime tempore exercituum: volumus ipsos magistros ab exercitibus, andatis, cavalcatis, et custodiis sive guardis, et ab his quibuscunque oneribus personalibus esse immunes et penitus absolutos. Et idem intelligatur de advocatis collegii civitatis placen. Et quod ma-

gistris grammatice observentur eorum privilegia tam in personalibus oneribus comunis placen. quam in realibus.

Quod quilibet possit exercere quamlibet artem mecanicam.

35. Providentes utilitati publice (1) civitatis placentie: volumus quod quilibet civitatis placentie et districtus et aliunde undecunque sit possit libere et impune exercere, et facere quamlibet artem mecanicam in ipsa civitate et districtu, absque eo quod aliquid solverit pro introitu alicuius paratici, et absque eo quod non sit de paratico nec compellatur ad intrandum aliquod paraticum ipsorum paraticorum, statuto, precepto, vel consuetudine seu ordinamento seu aliis quibuscunque non obstantibus. Alioquin dicti paratici vel consules eorum, si predictis impedimenta in aliquo prestiterint, penam decem librarum placen. consules, et xxv. librarum ipsum paraticum incurrat ipso facto. Et nihilominus predicti ipsam artem possint libere exercere, et facere ad eorum liberam voluntatem prout et sicut voluerint.

De campariis eligendis in villis.

36. Item statuerunt quod quelibet villa extra confinia civitatis placen. habens consulem, teneatur et debeat in pena centum soldorum singulis annis eligere unum camparium de ipsa villa bonum et sufficientem cum feodo, seu salario competenti: qui camparius duret per annum, et compelli possit ad dictum officium camparie faciendum per ipsum annum: qui accusare et denunciare teneatur omnes damnum dantes in ipsa villa seu territorio. Et quod dicto campario de damno et estimatione ipsius damni credatur cum sacramento eius usque in decem soldis placentie contra quamlibet personam cuiuscunque conditionis existat: quam estimationem dicti damni usque ad quantitatem dictorum decem soldorum, iudex maleficiorum teneatur absque alia condemnatione dari et solui facere damnum passo: et a quantitate decem soldorum supra non credatur nisi legitime probatum fuerit iuxta formam iuris, vel etiam statutorum

(1) *Utilitati publice.* Gli statuti a stampa hanno *utilitati rei publice.*

comunis placentie. Qui camparius electus teneatur infra decem dies a die ipsius electionis comparere coram iudice maleficiorum ad iurandum de ipso officio bene et legaliter exercendo. Ita tamen quod camparii illarum villarum que sunt sub potestariis vallis tarii et ceni, castri arquati, florenzole, et castri sancti ioannis teneantur et debeant dictum eorum officium iurare coram eius potestate sub cuius iurisdictione sunt dicte ville. Et quod notarii qui scripserunt iuramenta dictorum campariorum, non possint auferre nisi sex denarios a quolibet campario pro dicto sacramento et scriptura: et quod predicti camparii teneantur omnes et singulos damnum dantes in ipsis villis et territorio earum accusare infra quindecim dies a die damni dati, in pena et banno decem soldorum pro qualibet vice: cuius pene medietas sit comunis, et alia medietas domini damnum passi (1).

De repressaliis et modo concedendi.

37. Statutum est et diutius observatum, quod siquis de civitate placentie vel districtu dixerit se habere debere aliquid ab aliqua persona, seu ab aliquibus personis, aut comuni et universitate extra civitatem et districtum placen., teneatur potestas ad requisitionem et voluntatem ipsius denunciare per suas litteras sigillatas sigillo comunis, et etiam per ambassiatores, si de ambassiatoribus placuerit illi comuni vel universitati que debuerit, vel unde fuerint illi qui debebunt, quod satisfacere debeant illi conquerenti, aut iustitiam reddere sub comuni iudice, seu

---

(1) Nel solo ms.° del 1336. trovasi la giunta seguente: *Quia officium campariorum valde dampnosum bono publico docente experientia sit inventum, pro eo maxime quod non ad custodiam agrorum, sed ad persecutionem innocentium recipiunt ipsum officium districtuales placentie sibi facere tributare, et per redemptionem ab eis pecuniam extorquere, quia contra damnum dantes statutis optimis est provissum, ipsorum campariorum qui vere possunt capientes non camparii nuncupari officium reprobamus, et penitus anullamus ita quod in confinibus seu placentino nullum camparie officium valeant exercere, non prohibentes ob hoc quominus ville et homines singulares possint custodes rebus suis adhibere: quibus custodibus non credatur nixi in quantum romanis legibus et statutis comunis plac. est permissum. Eodem etiam modo reprobamus et anullamus officium quorumcunque Rasporum. Ita quod deinceps nulli penitus in civitate vel districtu plac. sint vel fiant Raspi vel Raspati, quia raspabant et extorquebant pecuniam indebite ab innocentibus, omni bono publico preternisso. Et predicta omnia locum habeant tam in preteritis quam presentibus et futuris. Et si quis iudex vel officialis contrafecerit, puniatur in* XXV. *libr. plac. et quod factum fuerit non valeat nec teneat ipso iure.*

sub arbitris secundum qualitatem negociorum: quod si facere noluerint requirantur iterum: et deinde provideatur indemnitati ad voluntatem conquerentis, visis rationibus suis, dando eis repressalias et licentiam et potestatem intromittendi, et capiendi de bonis et rebus personarum et hominum ipsius terre: et alia faciendi sicut consilio comunis placuerit.

De eisdem repressaliis.

38. Statutum est antiquum quod potestas teneatur curare et facere quod quilibet civitatis placentie et districtus possit uti repressaliis suis contra laicos secundum formam instrumentorum suorum: et detinere personaliter et realiter quemlibet secundum formam instrumentorum suorum. Et potestas non possit impedire aliquem civitatis placentie et districtus uti suis repressaliis: et si contradixerit potestas de feodo suo perdat qualibet vice xxv. libras placen. et de predictis omnibus non possit dari parabola nec peti: nec repressalie prolungari nisi de voluntate illorum qui habeant repressalias: et si data fuerit non teneat ipso iure: et hoc sine tenore: et teneatur potestas cogere quemlibet habentem repressalias facere rationem coram ipso potestate, vel coram aliquo de familia eius iudice vel milite de toto eo quod habuit et percepit occasione dicte sue repressalie, et illud facere redigi in publicam scripturam: et quelibet persona habens repressalias teneatur dictam rationem suo sacramento reddere. Alioquin si non reddiderit dictam rationem sicut debuerit, vel integre receperit suum debitum pro quo habuit dictam repressaliam, prohibeatur per potestatem uti dicta repressalia: et etiam predicta repressalia cassetur per sententiam in consilio generali: que scripture publice scribantur in uno quaterno vel libro ad hoc spetialiter deputato, et gubernando seu reponendo ad cameram comunis placen.

De questionibus comunis cum consortibus vicinis decidendis per arbitros.

39. Teneatur potestas requirere seu requiri facere omnes circumstantes civitati placen. quod parata est civitas placentie quod eligantur arbitri comunes et in loco comuni competenti super decidendis et terminandis questionibus existentibus inter ipsum comune placen. seu aliquos eius

cives et ipsas civitates, seu aliquos earum cives: et predicta fiant ut omnes questiones et repressalie de medio auferantur.

De putheo comuni spazando.

40. Statutum est quod si putheus vel andictus fuerit comunis inter aliquos qui purgatione vel mundatione indigeant, quod potestas vel officialis ad hoc deputatus faciant ipsum purgari et mundari ad postulationem cuiuslibet ex consortibus predictis expensis cuiuslibet predictorum pro parte eorum contingente. Et hoc cognoscatur sine strepitu et figura iudicii summarie, et de plano sine libello, quocunque tempore feriato et non feriato.

De mercato maioris ecclesie.

41. Approbamus et confirmamus infrascriptum Statutum in totum et per totum: cuius tenor talis est. Ordinatum est et statutum firmiter multa deliberatione premissa et universaliter per consilium generale civitatis, societatis mercatorum et paraticorum, et per consilium generale comunis placentie: quod mercata omnia que hactenus fuerunt vel fieri consueverunt in platea maioris ecclesie, et circa ipsam plateam rerum omnium venalium: et specialiter mercatum sabbati, tam pellizarie, robarie, marzarie, draparie, cordovarie, carnium, et casei, quam aliarum rerum: atque mercata aliorum dierum scilicet piscium et vini (1) et aliarum rerum fiant et fieri debeant deinceps, et de cetero in perpetuum sine aliqua temporis prescriptione ibidem in dicta platea, et circa ipsam plateam, et in illis partibus maioris ecclesie, et circa ipsam maiorem ecclesiam, sicut hactenus fuerunt et fieri consueverunt sine aliqua detractione vel diminutione facienda et non alibi. Sic quod perpetuo et inviolabiliter observetur et observari debeat per comune placentie, et per potestates et capitaneos, et quoslibet officiales comunis placentie, et comunitatis et societatis cuiuslibet que est vel in futurum aliquo modo esset, et spetialiter mercandie et mercatorum placen. Et quod per potestatem et capitaneum presentes, et alios qui pro tempore fuerint capitanei et po-

(1) *Piscium et vini.* Così nel ms.° del 1336. Negli altri mss. e negli stampati manca il *piscium*.

testates procuretur, quod predictum capitulum secundum quod superius et inferius continetur, ponatur et scribatur in libro statutorum comunis placentie, et societatis mercatorum et paraticorum placentie. Et ad illud perpetuo et firmiter observandum, faciant presentes potestas et capitaneus iurare futurum potestatem et capitaneum futurum et etiam per successores iurare successores suos, et ita faciant et observent, quod capitulum non possit removeri in totum vel in partem, vel mutari vel emendari nec in aliquo tenore detrahi, vel diminui aliquo tempore, vel aliquo modo vel forma contra illud statutum, vel in fraudem eius in totum vel in partem: et quod nullus audeat in contrarium in aliquo consilio generali vel speciali contra hoc capitulum dicere facere seu arengare vel emendare: teneatur potestas quilibet illum qui in hoc diceret vel arengaret in aliquo consilio generali vel speciali ipsius vel sui vicarii vel assessoris vel militis et cuiuslibet alterius in aliquo emendari punire ut infra. Et quod non possit potestas vel capitaneus quilibet de predictis, vel aliquo predictorum, vel instrumentorum absolui, vel absolutionem accipere a comuni placentie, vel a societate, vel a societatibus, vel ab aliqua persona ecclesiastica vel seculari: sed teneatur condemnare infra tertiam diem quemlibet qui contradiceret vel faceret emendaret vel arengaret in ducentis libris placentie, sine aliqua defensione danda quotiens contrafecerit, vel tentaverit facere in aliquo capitulo, et pro qualibet clausula: et ipsam condemnationem exigere et exigi facere infra octo dies, et sine aliqua remissione vel compensatione. Quam condemnationem si solvere non posset, publicatis omnibus suis bonis de civitate et districtu forestetur et banniatur, et compellatur per decem annos continuos: et potestas et capitaneus quilibet qui non observaverit in totum vel in aliquo contrafecerit, sindicetur et ipso iure sit condemnatus qualibet vice in centum marchis argenteis: quam condemnationem teneantur potestas et capitaneus et omnes qui pro temporibus fuerint, si non fuerint exacte, exigere vel exigi facere sine aliqua remissione. Et hoc capitulum in totum et in qualibet parte sui sit precisum, et precise debeat observari: et derogatorium sit et intelligatur cuiuslibet alterius statuti quod videretur huic obviare in totum vel in partem: et hoc capitulum etiam registretur et ponatur in registro comunis.

De pedagiis non solvendis per cives.

42. Nullus homo civitatis placen. vel districtus sive equester sive pedester solvat pedagium in civitate placentie vel districtu pro se vel familia sua, et equis suis vel familie sue, nisi essent equi de guarda, in pena cuilibet qui predictos molestaverit contra predicta decem librarum placentie, pro qualibet vice.

Quod quilibet possit denunciare et requirere potestati.

43. Possit quilibet denunciare, et requirere quicquid voluerit potestati, et iudicibus, et cuilibet alii officiali comunis placentie, et quilibet notarius teneatur inde publicum facere instrumentum si fuerit requisitus a denunciante vel requirente, in pena centum soldorum ipsi notario. Si vero potestas vel aliquis officialis comunis placentie predicta impediverit, seu ob hoc aliquod preceptum vel minas vel detentionem fecerit contra ipsum denunciantem, vel notarium, condemnatus sit vel intelligatur hoc ipso in libris centum plac. et ipsa precepta seu processus ob hoc facta non valeant ipso iure.

De iurisdictione potestatum episcopatus placen.

44. Potestas florenzole, et castri sancti ioannis, et vallis arde non possint cognoscere de aliqua causa, questione, vel querela, que ascendat quantitatem vel estimationem centum soldorum, nec audeat condemnare aliquem quavis de causa ultra viginti soldos. Potestates vero valis tarii et ceni possint cognoscere et terminare de questionibus ascendentibus usque ad vigintiquinque libras: et condemnare usque in centum soldis. Quod si secus fecerint dicti potestates vel aliquis ipsorum non valeat ipso iure. Et nihilominus condemnentur dicti potestates pro quolibet eorum in decem libris placentie. Insuper volumus quod omnes condemnationes, quas facerent potestates predicti, vel aliquis ipsorum exigant, et de eis rationem faciant et reddant iudici camere presente camerario seu aliis officialibus ad hoc deputatis, et nomina condemnationum et scripturas condemnationum penes ipsum camerarium teneantur consignare sub pena predicta.

Quod salaria potestatum solvantur per homines dictarum terrarum.

45. Statutum est quod comune et homines de florenzolla, et homines vallium ceni et Tarii, et comune et homines de castro sancti ioannis solvant feoda potestatum eorum et notariorum ipsorum potestatum de bannis et condemnationibus datis et factis per ipsos potestates: et si aliquid ad hoc defuerit teneantur supplere: et si aliquid superfuerit comuni placen. applicetur.

Quod habentes loca in platea debeant illa mundare.

46. Item statutum est quod homines habentes loca in platea maioris ecclesie debeant mundare suum locum singulis duobus mensibus in pena et banno quinque soldorum pro quolibet: et cogantur per potestates habere et eligere unum massarium qui faciat mundare dictam plateam secundum quod dictum est: et habeat ille massarius pro suo feodo ab eis xx. soldos in anno.

De rivo sancti antonini.

47. Item statutum est antiquum quod potestas teneatur eligi facere duos massarios qui dent decursum rivo sancti antonini a domo que guielmi surdi fuit infra iuxta plateam sancti antonini expensis illorum quos tangit.

De arboribus inserendis et plantandis.

48. Approbamus statutum antiquum cuius tenor talis est: quod quilibet tam civis quam rusticus cuiuslibet loci extra civitatem teneatur quolibet anno inserere vel plantare quatuor arbores domesticas. Alioquin solvat pro banno quilibet qui non fecerit v. soldos: quorum medietas est accusatoris et alia sit comunis: et accusator teneatur privatus: et hoc ponatur in brevi sequelle potestatis, et consules locorum debeant denunciare vicinis.

De arboribus removendis de clavena.

49. Quia aqua clavene propter arbores natas in alveo ipsius exit de loco suo occupando stratam romeam et alios multos campos usque ad padum: statuimus quod omnes habentes campos et testas terrarum iuxta dictum flumen, teneantur ipsas arbores suis expensis incidere seu incidi facere a villa sancti Protasii usque ad padum: et super hoc eligantur per potestatem duo massarii qui faciant fieri predicta, et possint ipsos contrafacientes condemnare usque in decem soldis pro qualibet vice qua contraduxerint faciendum, cuius pene medietas sit comunis, et alia dictorum massariorum.

De lignis et arboribus aliorum fluminum.

50. Cum ex inundatione fluminum agrorum fructus ledantur, in quibus lesis accidunt reipublice multa damna. Statuimus quod omnes habentes terras iuxta ripas fluminum teneantur inquantum protendunt dicte terre in ipso flumine, vel glarea seu lecto ipsius, infra mensem, postquam ei fuerit denunciatum, incidere seu incidi facere et exportare omnia ligna impedientia decursum ipsius fluminis liberum non nocivum, in pena sexaginta soldorum placen. pro quolibet. Et ad predicta nihilominus teneantur, et quilibet possit accusare, et habeat medietatem banni: et insuper, si elapso termino predicto predicta non fuerint observata possit quilibet ipsa ligna incidere et impune exportare: et potestas teneatur hoc statutum cridari facere bis in mense per civitatem, et in locis consuetis, et in platea maioris ecclesie: et etiam in campo ferie diebus mercati.

De gurris cedendis in trebia (1).

51. Quolibet anno per totum mensem martii teneantur omnes habentes facere in gurris trebie ipsas gurras et busconos existentes prope stratas quibus itur ad castrum sancti ioannis, et ad burionum per unam balestratam ab utraque parte ipsarum stratarum incidere, et incidi facere,

---

(1) Gli Statuti a stampa hanno *gherris*. Ma tutti i mss. hanno *gurra*, che è *gorra* anche in Italiano (salix viminalis).

et boscare cum effectu, quod si non fecerint cuilibet liceat impune ipsas incidere, et eas exportare et exportari facere: et nihilominus quilibet predictorum ad quos pertinent dicte gurre, et busconi penam soldorum quadraginta placen. incurrat ipso facto, si predicta non fecerit cum effectu. Et hoc statutum preconizetur singulis annis per mensem februarii.

De salicibus lurete incidendis.

52. Item statutum est quod omnes salices et arbores que sunt in lureta incidantur et deradantur a campremoldo suprano usque ad tidonum: et hoc facere teneatur quilibet habens ibi terram per medium suam terram.

De argino pantani fiendo.

53. Item statutum est quod fiat arginus per pantanum et partes illas, quo defendi possint terre de pantano de inundatione padi, expensis illorum ad quos spectant.

De rumentis non proiiciendis de balcono.

54. Nemini liceat proiicere aquam vel rumentas, vel pulverem, vel aliud turpe in civitate vel suburbis a balcono vel fenestra, seu pontili, vel ab hostio stando in domo et proiiciendo extra domum: et qui contrafecerit solvat pro banno soldos decem placen. qualibet vice: et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni, et teneatur privatus, et credatur accusatori: quod statutum legatur semel in anno in contione.

Quod via possit mutari.

55. Item statutum est quod si aliquis civitatis vel episcopatus plac. habeat viam in campo vel vinea sua vel prato, quod illam possit a capite campi vinee vel prati ponere.

De vacatione consulum massariorum et camararіorum.

56. Statutum antiquum est quod si aliquis fuerit consul, camararius,

massarius, seu notarius alicuius paratici seu collegii, sive fuerit ad sex menses, sive ad annum, non possit esse consul, camerarius, massarius, vel notarius in sequentibus sex mensibus, vel in sequenti anno ab exitu officii. Et si quis contrafecerit, condemnetur in xxv. libris placen.

Quod quilibet possit aptare pelicias.

57. Statutum est quod quilibet puer, seu quilibet homo possit et ei liceat preparare et aptare fodras et pellicias ad postulationem et requisitionem cuiuslibet persone pro precio et sine precio ad eorum voluntatem: ita quod ea de causa consules seu paraticus pellizariorum seu robarollorum non possint eos nec aliquem eorum compellere ad intrandum in paratico pellizariorum seu robarollorum ad solvendum intratam paratici robarollorum. Et potestas teneatur precise predictos qui talia preparantur a dictis consulibus et paratico defendere de predictis, non obstantibus aliquibus vel aliquo statuto vel statutis vel reformationibus, seu provisionibus his contrariis, a qua vel a quibus potestas et alii officiales sint penitus et libere absoluti.

De cavo fluminis regii.

58. Quia flumen regii a strata romea inferius per unum milliare et ultra caret lecto seu rivo, ita quod labi non potest aqua per ipsum flumen: et quia inundatione aquae dicti fluminis sparguntur per campos et nemora, et ob hoc destruitur strata qua itur ad clavenam, ita quod ligna non possunt conduci absque magna difficultate et incommodo per ipsas stratas, et ob hoc sunt solito cariora: Volumus quod cavus et lectus fiat ipsi flumini, prout sapientibus ad hoc deputandis melius videbitur expedire: et incipiant ibi ubi lecto caret recta linea usque ad flumen clavene, vel usque ad flumen gambiolle ita quod propter inundationem aquarum dictum flumen non exeat lectum seu cavum suum. Ad cuius laborerii contributionem prout continetur in statuto antiquo cogantur omnes et singuli qui propter hoc senserint in suis terris commodum et utilitatem: de quibus expensis comune placen. solvat prout inspecta ipsarum quantitate pro laborerio predicto et sapientibus ad hoc deputandis videbitur expedire: qui sapientes inspiciant si dictum flumen

regii possit poni in flumine carii et in contratis de zena, et si commode fieri poterit fiat expensis predictorum.

De decimis et possessionibus earum.

59. In libro statutorum antiquorum comunis plac. tale statutum longo tempore observatum quod approbamus reperitur, tenor cuius statuti talis est. Item statuerunt et ordinaverunt pro bono et evidenti utilitate comunis plac. quod si aliqua persona civitatis plac. vel districtus possederit, aut fuerit in possessione vel quasi iuris percipiendi fructus alicuius decime per decem annos continuos, ipsa persona vel a qua causam habuerit aut fructus dicte decime pro dicto tempore decem annorum perceperit, habeatur et haberi debeat pro vero et legitimo possessore. Et potestas, et capitaneus, et alii officiales comunis placentie, et quilibet ipsorum precise teneantur et debeant ipsum talem possessorem defendere in ipsa possessione vel quasi a quacumque persona undecumque sit: et si aliqua persona iurisdictionis comunis placentie ipsum talem possessorem coram aliquo iudice cuiuscumque sit molestaverit et accusaverit, vel accusari fecerit, predicta occasione, solvat pro banno qualibet vice xxv. libras placen. et plus ad voluntatem dominorum potestatis, et capitanei considerata qualitate facti, et restituat damnum passo, et de quo damno credatur sacramento illius qui molestatus aut requisitus fuerit. Si vero ille qui molestaverit possessorem qui fuerit in possessione seu quasi decime seu iuris decimandi aut per se, aut per datores et precessores suos annis quadraginta continuis, non fuerit de iurisdictione dicti comunis plac. eximatur et extrahatur et extractus sit, et eius bona de protectione comunis plac. ita quod per aliquem officialem comunis placen. sibi non fiat ius in civilibus vel criminalibus, nisi primo non fuerit in concordia cum predicto molestato seu requisito: et nihilominus compellantur propinquiores seu amiciores illius qui non fuerit de iurisdictione comunis, ad restitutionem faciendam in pecunia numerata tantum illi qui molestatus et requisitus fuerit de omni danno et expensis que propterea incurrisset, sacramento cuius credatur de ipsis damno et expensis sine aliqua probatione facienda. Et predicta fieri debeant per potestatem et capitaneum, et eorum iudices, et quemlibet ipsorum qui de hoc fuerit requisitus omni tempore summarie, et sine strepitu et

figura iudicii, et libelli oblatione: et si per potestatem et capitaneum vel aliquem ex eorum iudicibus qui de predictis vel aliquo predictorum esset requisitus, predicta omnia et singula integraliter non fuerint observata et executioni demandata, solvat pro banno xxv. libras placen. antequam discedat a civitate placen. et restituat damnum predicto citato vel molestato secundum quod de damno et expensis iuraverit: Et predictum statutum in qualibet parte sui sit precisum, et precise debeat observari: et quod de eo non possit parabola dari nec peti. Et quod si data fuerit ipso iure non valeat. Hoc intellecto quod propter statutum nullum preiudicium fiat alicui persone iurisdictionis comunis placen. que haberet ius in ipsa decima seu fructibus ipsius decime ab ipsis, decem annis retro, quibus aliquis alius ipsam decimam seu fructus ipsius decime tenuisset.

De operis novi nunciatione.

60. Nullus in eo quod possidet, vel quasi possidet, sive sit publicum sive privatum possit per alium prohiberi edificare, dummodo caveat cum satisdatione si edificat in privato, denuncianti novum opus vel predictis se opponenti de damno restituendo et opere demoliendo si appareret eum non debite edificasse: et si edificat in publico promittat absque satisdatione de removendo quicquid fecerit: de quibus summarie, et de plano sine figura et strepitu iudicii et absque libello cognoscatur tempore feriato et non feriato.

De clausuris fiendis.

61. Si quis in civitate vel suburbiis requirat fieri clausuram inter se et suum convicinum in domibus vel curtibus, compellatur per iudicem convicinus comunicare ad dictam clausuram fiendam de muro vel gratitio pastonato, vel pariete, vel assidibus in domibus arbitrio iudicis, et in curtibus de sepe: de quibus summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, et absque libello cognoscatur quolibet tempore feriato et non feriato: et idem intelligatur de curtaritiis et casamentis villarum episcopatus placentie: quod fiat clausura seu serranda de sepibus (1).

(1) *De sepibus.* I mss. hanno *de sepis.*

De via danda non habenti.

62. Si quis extra civitatem in districtu placen. non habeat viam eundi ad vineam vel ad fundum suum, possint et debeant compelli per potestatem et iudices eius vicini ad minus damnum eorum per eorum terras ei dare viam, satisfacto eis de precio terre quam occupaverit ipsa via arbitrio boni viri. De quibus summarie et sine strepitu et figura iudicii et libelli datione cognoscatur diebus feriatis et non feriatis: et sit in electione requirentis cogere ad hoc illum ex vicinis suis quem voluerit.

Quod quis compellatur stare cum eo cum quo convenit.

63. Si quis vel si qua convenit stare ad mercedes cum aliquo vel aliqua in civitate placentie vel districtu, compellatur stare usque ad terminum conventum et completum omnibus remediis iuris: nec aliquis alius ante ipsum terminum eum vel eam teneat vel receptet absque voluntate eius cum quo vel qua stare tenebatur, in pena soldorum centum placentie postquam sibi fuerit denunciatum. Et de predictis cognoscatur summarie sine libello et strepitu et figura iudicii, quocumque tempore feriato et non feriato.

De ecclesia sancte Marie de bigollis.

64. Approbamus et ratificamus statutum antiquum infrascripti tenoris item statuerunt et ordinaverunt quod ecclesia sancte marie de bigollis, que consueverat esse in platea comunis, et dirupta fuit, debeat restitui et edificari expensis comunis cum claustro et domibus idoneis, et quod restituatur et construatur et edificetur, et indemnitati ipsius ecclesie et clericorum provideatur: de qua fienda et modo ipsius teneatur et debeat potestas presens ponere in consilio suo infra duos menses ab introitu sui regiminis de modo et forma faciendi seu fieri faciendi ipsam ecclesiam.

Quod potestas baratarie faciat spazari plateam.

65. Quicumque est vel fuerit potestas baratarie sive ribaldorum teneatur spazari et mundari facere singulis mensibus semel ad minus

plateam comunis placentie, et immunditias et rumentas ab ea facere exportari in pena centum soldorum pro qualibet vice: et teneatur potestas predicta excutioni facere mandari.

De confinibus civitatis.

66. Infrascripta sunt statuta confinia civitatis reperta in statutis antiquis comunis placentie, que approbamus et confirmamus, et pro statuto haberi volumus et observari. Primo videlicet a domo seu ecclesia de montali filiorum rainerii versus placen. a dicta domo usque ad ecclesiam de mucinaxio: Ab ecclesia de mucinaxio usque ad ecclesiam sancti bonici: ab ecclesia sancti bonici usque ad monasterium de pletolis. A monasterio de pletolis usque ad monasterium domus de ponte. A monasterio de ponte usque ad pontem trebie. A ponte trebie usque ad buccam trebie que intrat padum. A dicta bucca trebie citra padum usque ad ecclesiam hospitalis facii. Ab ecclesia hospitalis facii, usque ad buccam taleate veteris. A bucca taleate veteris usque ad domum sancti savini que dicitur de mosis eundo per rectam viam, que est secus dictam taleatam. A dicta domo de mosis usque ad dictam ecclesiam de montali (1).

Quod ville inhabitate non possint condemnari.

67. Alique ville seu loca vel comunia que non sunt vel non erant vel non fuerunt habitata, non possint aliquo casu modo vel iure per comune plac. seu per potestatem vel aliquos alios officiales comunis placentie condemnari. Et si aliqua condemnatio facta est vel deinceps fiet de ipsis locis vel villis, vel comunibus tempore quo non erant habitate, dicta condemnatio sit cassa vel nullius momenti: et non valeat ipso iure: nec possit exigi vel executioni mandari tempore quo post modum sint vel fuerint habitate.

De ponte albarole.

68. Nullus dimittat postquam fuerit denunciatum trabes vel caveriatas

(1) Nelle stampe questa rubrica è corrotta e non intelligibile.

seu auedos vel aliquod lignamen desuper pontem albarole per medium miliare in flumine vel glarea nurie: quia ex hoc dictus pons destruitur tempore inundationis dicti fluminis percutientibus et devastantibus columnas dicti pontis, in pena quadraginta soldorum placent. et amittendi ipsum lignamen: et quilibet possit accusare et habeat medietatem dicte pene, et lignaminis.

De solutione magistrorum grammatice.

69. Magistri grammatice non possint accipere pro eorum salario a scholaribus discentibus donatum vel psalterium ultra duodecim denarios a quolibet pro quolibet mense, et ab aliis discentibus grammaticam ultra sedecim denarios quolibet mense. Et pro mensibus quibus iacuerint scollares in scholis non accipiant ultra xxx. denarios (1) pro quolibet mense: que solutiones fiant magistris ipsis quibuslibet tribus mensibus secundum quod est consuetum.

De solutione notariorum pro instrumentis (2).

70. Statuimus quod solutiones notariorum officialium comunis fiant et taxate sint modo infrascripto. Primo de quolibet dicto et securitate ali-

---

(1) *Triginta denarios.* Il ms.° *Dominici* ha *triginta duos denarios.*

(2) Nel ms.° del 1336. alla presente Rubrica è premesso il preambolo seguente: *Item statutum est quod quilibet notarius qui scripserit et receperit aliquas depositiones seu dicta aliquorum testium in quocunque iudicio, seu coram arbitro vel arbitratore, teneatur conscribere in quacunque pagina libri seu quaterni viginti duas rigas seu lineas ad minus, et quod quecunque riga seu linea contineat ad minus decem diciones. De quarum receptione et scriptura possit notarius habere pro qualibet carta decem den. plac. a parte producente et non ultra, et pro dando dicta ipsorum testium exemplata possit exigere notarius sex denarios pro qualibet carta modo predicto conscripta, et non ultra. Et si aliqua partium voluerit habere aliquem notarium qui intersit examinationi ipsorum testium, possit ipse notarius percipere et habere a parte que ipsum proponere voluerit dicte examinationi octo den. pro qualibet parte modo predicto conscripta et non ultra. Et quod quilibet notarius qui fecerit vel scripserit extrasserit seu exemplaverit aliqua acta ex libro aliquorum actorum in quocunque iudicio factorum, teneatur conscribere in quacunque pagina quaterni exemplature* xxiiij. *rigas ad minus, et quod quelibet riga habeat ad minus quinque diciones, de quorum actorum exemplatura et scriptura, et dando ipsam cum grupo suo possit percipere notarius pro qualibet carta modo predicto conscripta quinque denar. plac. et non ultra a parte que ipsa acta habere voluerit, in pena et sub pena viginti sol. plac. et nihilominus per Iudicem ad observantiam huius statuti compellatur.*

cuius persone contra quam proceditur per accusam vel inquisitionem notarii habeant decem denarios.

Et pro quolibet termino tres denarios.

Et pro qualibet positione scripta in actis a qualibet parte, unum denarium.

Et pro qualibet contestatione scripta in actis a qualibet parte: salvo si in ipsa contestatione scribatur libellus, habeant arbitrio iudicis.

Et pro qualibet scriptura et cancellatura cuiuslibet banni criminalis si fuerit de damnis et guastis habeat quinque denarios, et si fuerit de aliis maleficiis duodecim denarios.

Et pro qualibet carta attestata seu publico instrumento procure, tutele, cure, emancipationis, et de instrumentis solutionis, et alienationum que fient auctoritate iudicis, habeant arbitrio iudicis secundum qualitatem negocii.

Pro qualibet littera pignorationis vel alterius cause cum gruppo notarii octo denarios.

De qualibet sententia diffinitiva lata de consilio alicuius iudicis, sapientis de collegio iudicum placentie, si fuerit de lite que fuerit infra quantitatem vel estimationem centum soldorum, a qualibet parte novem denarios.

Si fuerit ultra quantitatem predictam in decem libris, a qualibet parte decemocto denarios.

Si fuerit ultra quantitatem decem librarum in xxv. libris, a qualibet parte tres soldos.

Si fuerit ultra quantitatem xxv. librarum usque in l. a qualibet parte quinque soldos et sex denarios:

Si vero fuerit a quinquaginta libris supra usque in centum libris, a qualibet parte septem soldos et sex denarios.

Si vero a centum libris supra usque in ducentis libris, a qualibet parte decem soldos.

Et a ducentis libris supra, quantacunque sit quantitas, a qualibet parte quindecim soldos.

De sententiis vero interlocutoriis latis de consilio alicuius sapientis, iudicis assumpti ad consulendum que sunt de lite existente, infra quantitatem vel estimationem centum soldorum, habeant notarii a qualibet parte sex denarios.

Si vero fuerit a centum soldis usque ad decem libras, a qualibet parte novem denarios.

Si vero a decem libris usque ad vigintiquinque a qualibet parte duodecim denarios.

Si vero fuerit a vigintiquinque usque in quadraginta libris, a qualibet parte xviii. denarios.

Et si fuerit a quinquaginta usque in centum libris, a qualibet parte duos soldos et sex denarios.

Et si fuerit a centum libris supra quantacunque sit quantitas vel estimatio quatuor soldos.

Notarii camere habeant et habere possint et non ultra pro quolibet brevi sequele quod datur villis, duos soldos.

Et pro canzellatura cuiuslibet condemnationis sex denarios.

Et de quacunque pecunia que solvitur per camerarium seu per tesaurarium comunis placentie, pro qualibet ab eo qui receperit dictam pecuniam, duos denarios pro libra. Salvo quod pro salariis potestatis et capitanei comunis placentie, camerarius seu thesaurarius comunis plac. non teneatur dictos duos denarios pro libra notario camere dicti comunis. Notarii pignorum camare habeant pro quolibet pignoramento pro se et curreriis quinque denarios, videlicet tres denarios pro ipso met et duos pro currerio.

Et notarii comunis, videlicet dictatores habeant simili modo unum denarium pro libra.

De solutionibus salariorum iudicum.

71. Approbamus et confirmamus infra scriptas provisiones, et pro statuto comunis placentie de cetero volumus perpetuo haberi et observari: quorum tenor talis est. Item providerunt quod iudices pro remuneratione, seu salario, vel sententiarum seu consiliorum quas seu que dant non possint accipere ultra id quod consueverunt accipere pro salario ipsarum sententiarum seu consiliorum per formam statutorum seu ordinamentorum factorum seu ordinatorum, tenor quorum talis est.

In christi nomine amen. Millesimo tricentesimo trigesimo sexto, indictione quinta die xxvii. mensis ianuarii. Hec sunt capitula et statuta facta et ordinata super taxatione salariorum iudicum.

Primo statuerunt pro evidenti utilitate omnium personarum et etiam iudicum: videlicet quod de qualibet questione usque in centum soldis

placen. iudices qui eligentur ad dandum consilium, possint percipere de interlocutoria usque in duobus soldis et sex denariis a qualibet parte, et non ultra. De diffinitiva vero negocii quantitate, et qualitate et causa inspecta, a qualibet parte usque in quinque soldis.

Item a quinque libris supra usque in decem libris placentie, usque in tribus soldis placentie de interlocutoria a qualibet parte, et usque in septem soldis placen. de diffinitiva a qualibet parte.

Item a decem libris supra usque in viginti libr. placentie usque in quinque soldis de interlocutoria: et usque in decem soldis placentie de diffinitiva a qualibet parte.

Item a viginti libris placentie usque in triginta libris placentie, usque in sex soldis placen. de interlocutoria, et usque in quindecim soldos placen. a qualibet parte de diffinitiva.

Item a triginta libris usque ad quadraginta, usque in octo soldis de interlocutoria, et usque in xx. soldis a qualibet parte de diffinitiva.

Item a quadraginta libris usque ad quinquaginta, usque in decem soldis de interlocutoria, et usque in vigintiquinque soldis a qualibet parte de diffinitiva.

Item a quinquaginta libris usque in sexaginta libris, usque in duodecim soldis de interlocutoria, et usque in vigintiocto soldis de diffinitiva a qualibet parte.

Item a sexaginta libris usque in septuaginta libris, usque in tredecim soldis de interlocutoria, et usque in triginta duobus soldis de diffinitiva a qualibet parte.

Item a septuaginta libris usque in octuaginta libris, usque in quindecim soldis de interlocutoria, et usque in trigintaquinque soldis de diffinitiva a qualibet parte.

Item ab octuaginta libris usque in nonaginta libris, usque in sedecim soldis de interlocutoria, et usque in quadraginta soldis de diffinitiva a qualibet parte.

Item a nonaginta libris usque ad centum libras, usque in decemocto soldis de interlocutoria, et usque in quadragintaquinque de diffinitiva a qualibet parte.

Item a centum libris usque ad mille libras placentie ultra dictas quantitates, decemocto soldorum de interlocutoria, et non ultra: et usque in quadragintaquinque soldis de diffinitiva, et non ultra: et sex denarios

pro qualibet decena de interlocutoria, et duos soldos pro diffinitiva pro qualibet decena a qualibet parte.

Item a mille libris supra quantacunque sit quantitas percipere possit iudex pro consiliatura tres libras placentie et non ultra de interlocutoria, et duodecim libras de diffinitiva et non ultra a qualibet parte, et non vendicantibus sibi locum taxationibus supra scriptis: casibus predictis et singulis semper intelligantur dicte taxationes et salaria a qualibet parte.

Item quod omnes taxationes predicte et salaria iudicum habeant locum et observentur in quolibet foro civili, criminali, clericali vel ecclesiastico, vel in quolibet alio foro: nec ultra predictas quantitates, vel summas aliquod aliud donum, exenium, vel promissionem, vel obligationem accipere, nec aliquo modo machinari nec fraudem facere predictis. Et sic omnes iudices observare teneantur iuramento, sub pena in statutis comprehensa. Taxatio vero expensarum et interrogationum, correctiones solvantur arbitrio iudicis coram quo questio ventilatur.

De salario advocatorum et procuratorum.

72. Statuimus quod advocati pro eorum patrociniis et salario advocationis non possint accipere pro quolibet eorum, pro qualibet causa vel questione ultra duplum quantitatum taxationum factarum super salariis illorum qui habent consulere super diffinitivis sententiis, prout de predictis salariis super diversis quantitatibus plene et clare in statutis comunis placentie continetur. Et si in aliqua causa vel questione fuerint plures advocati ab una parte, quod tunc advocati illi non possint habere nec percipere pro eorum salario et patrocinio a parte, nec illi parti expensis dictorum advocatorum taxentur, nisi tantum quantum percipere et habere potest et posset si esset unus advocatus tantum secundum quod in predictis taxationibus continetur: et procuratores similiter pro eorum salario non possint accipere ultra simplum taxationum predictarum.

De eisdem.

73. Hec omnia supradicta, et singula et quodlibet predictorum capitulorum serventur, et servari teneantur precise sine aliquo sophistico

intellecto et colore omnes et singuli iudices et advocati placentie in consiliis, tam super diffinitivis sententiis quam interlocutoriis in pena et sub pena dupli eius quod illicite accepissent. Cuius pene dimidia applicetur collegio, et alia dimidia illi cui illicite accepisset pro qualibet vice qua contrafacerent seu venirent committenda et exigenda: et quilibet possit accusare et denunciare: et si accusam et denunciationem probaverit habeat dimidiam illius dupli et compellatur restituere. Salvo quod si propter multitudinem testium, et instrumentorum actorum seu scripturarum videretur iudici de medio coram quo esset causa ventilata quod maius salarium esset statuendum, quod dictum salarium possit augmentare ultra dictas sententias secundum quod sibi videbitur expedire.

De sapientibus assumptis ad consulendum super questionibus.

74. In aliqua causa vel questione civili vel criminali non possit per eum coram quo questio vel causa ventilatur assumi ad consulendum super diffinitiva vel interlocutoria, nisi unus de collegio iudicum placentie tantum sapiens, nisi ambe partes de maiori numero consentirent. Qui sapiens et quilibet eorum assumpti ad consulendum ut predicitur, habeat pro quolibet pro eorum salario iuxta taxationes salariorum iudicum et sapientum de quibns fit mentio in statutis comunis placentie, et statutis collegii iudicum placentie. Si vero sapiens aliquis unus vel plures assumpti, dicerent se dubitare super questione vel causa in qua assumpti sunt, et requirerent sibi ad hoc alium sapientem associari tunc suis sumptibus sibi sapiens adiungatur, et non sumptibus alicuius ex litigantibus. Et si alter ex litigantibus hoc requireret, et tamen sapiens consentiret sibi alium associari, tunc assumatur sapiens predictus expensis illius tantum qui hoc requirit. Et si ambe partes dictam associationem requirerent, assumatur ipse sapiens eo casu utriusque partis expensis: hoc intellecto quod ubicunque in qualibet causa assumendus fuerit sapiens ad consulendum, sive super diffinitiva, sive super interlocutoria, assumatur sapiens de collegio iudicum placentie, receptis prius confidentibus ab utraque parte si dare voluerint confidentes, vel si in casu quo assumendus erit ille sapiens pars citata ad dandum confidentes suos infra terminum statutum non venerit, tunc possit assumi ipse sapiens receptis confidentibus a parte presente, et aliter predicta assumptio sapientis predicti facta, et consilium

ipsius, et quicquid sequetur ex ipsis non valeat ipso iure: hoc videlicet intellecto et etiam observando, quod si sapiens assumptus ad consulendum in aliqua causa vel questione voluerit seu petierit sibi alium sapientem assotiari, seu si aliqua partium ipsi sapienti assumpto super aliquo gravamine assumpto voluerit, et petierit suis expensis alium sapientem assotiari, illud fiat et fieri possit per octo dies utiles ante finem instantie cause, si fuerit causa de maioribus, et si causa fuerit de minoribus ante finem instantie cause per quinque dies utiles, et non ultra fieri possint nec debeant dicte assumptiones sapientum, nec aliqua earum in dictis casibus nec aliquo eorum: et quod alicui sapienti assumpto super aliquo gravamine vel petitione consilii sapientis non possit associari aliquis alius sapiens.

De civibus impetrantibus mandata nundinarum.

75. Cum multi cives et districtuales placentie dolose contra suos convicinos et districtuales impetraverint et quotidie impetrare et habere procurent litteras nundinarum campanie et brie quas appellant mandamenta, que per nuncios custodum nundinarum predictarum presentantur, et deferuntur potestati et officialibus et comuni placentie, propter quas litteras et mandamenta nundinarum multotiens conceditur defensa seu prohibitio ipsarum nundinarum mercatoribus et hominibus civitatis placentie et districtus, et contra ipsos in non modicum opprobrium et lesionem honoris, et iurisdictionis comunis placentie, ac ipsorum mercatorum et civium placentie maximum detrimentum, pro eo quod ipsi insontes sepius redimere coguntur innocentiam suam et vexationem piam premissi faciunt impetrantes: et etiam alii pro aliis conveniuntur, quod est contra ius naturale, huic verbo quotidie subcrescenti celeri remedio occurrere cupientes, proinde statuimus quod siquis civis vel districtualis placentie contra civem vel districtualem dicta mandamenta ad civitatem vel districtum placentie miserit vel mitti fecerit, vel aliquam defensam seu nundinarum prohibitionem a magistris nundinarum predictarum, vel a quibuscunque aliis per se vel per alium impetraverit vel fieri fecerit, hoc ipso intelligatur, et sit condemnatus qualibet vice in ducentis libris placentie, cuius medietas pene parti adverse, et alia medietas comuni placentie applicetur.

Et nihilominus mandamenta et defensas, seu prohibitiones, vel quovis censeantur nomine auferre et removere, et auferri et removeri facere teneantur. Alioquin sit et intelligatur hoc ipso bannitus et rebellis comunis placentie perpetuo, et bona sua omnia comuni placentie sint publicata. Quas penas incurrant omnes qui de debitis vel nominibus aliis qui non sunt cives vel districtuales plac. contra ipsos cives vel districtuales plac. fecerit quoquo modo vel titulo cessionem, si ipsi quibus facta fuerit cessio ipsa miserint vel mitti fecerit ut premittitur mandamenta vel etiam ipsas defensas vel prohibitiones duxerint impetrandas. Sane ad hoc ut predicti si sunt veri creditores ius suum citius consequantur volumus, quod si civis vel districtualis placentie vult conqueri de aliquo cive vel districtuali placentie coram potestate vel iudicibus eius, vel officiali vel iudice competenti comunis placentie occasione alicuius contractus initi in dictis nundinis, cognoscatur de dictis contractibus questionibus et litibus et terminetur summarie sine libello et absque strepitu et figura iudicii. Statuto aliquo non obstante volentes quod litteris nundinarum campanee et brie credatur tamquam publicis instrumentis.

De securitate prestanda per consules villarum.

76. Nullus locus castrum vel villa cogatur occasione comunis placen. per aliquem officialem ipsius comunis placen. prestare securitatem ipsi comuni vel officiali comunis, nisi unam tantum generalem semel in anno, videlicet mense ianuarii, que duret per annum, quam prestare teneantur apud officiales et acta camere comunis placentie: et que securitas extendatur ad officia et condemnationes que fient de ipsis villis per comune placent. proinde ac si apud eos esset prestita, et ultra predicta non possint cogi dicte ville vel loca, et condemnationes ob hoc facte, vel fiende per ipsos officiales, et omnes processus contra predicta facti sint cassi et irriti et nullius momenti; et quod iudex maleficiorum et iudex stratarum, victualium, et quilibet alius officialis comunis placentie, non possint nec debeant compellere aut molestare aliquam villam, locum seu castrum, aut consules ipsarum ad prestandam aliquam aliam securitatem nec sacramentum: sed sufficiat dicta unica securitas prestita ad cameram ut supra. Et hoc in pena et sub pena cuilibet officiali, et iudici et notario contrafacientibus librar. xxv. placen. quam penam in-

currant ipso facto: et de hoc debeant sindicari: nec aliqualiter possint absolvi:

De pena tenentium aliquod impedimentum in stratis publicis.

77. Item quod nullus artista nec aliqua alia persona possit tenere aliquem discum vel aliud impedimentum in stratis publicis extra domum et murum ipsorum a duobus brachiis ultra muros domorum eorum in pena et sub pena soldorum centum placentie pro quolibet et qualibet vice: salvo quod draperii et speciarii possint tenere discos et tabulas ultra murum per brachia tria: cuius pene medietas sit comunis et alia accusantis: et iudex stratarum ad postulationem cuiuslibet requirentis vel accusantis teneatur procedere contra ipsos contrafacientes in pena et sub pena dicto officiali florenorum x. auri.

De securitate prestanda per castellanos.

78. Item statuerunt quod omnes et singuli qui habent vel tenent castrum aliquod vel speluncam vel caminatam vel fortalitiam in episcopatu et districtu placentie teneantur presentare se infra decem dies post terminum assignatum per potestatem: et post requisitiones factas specialiter cuilibet per admonitiones per potestatem super his. Et presentare coram domino potestate et satisdare dicto domino potestati vel alteri recipienti nomine et vice domini nostri domini comitis virtutum (1) et comunis placen. sub pena contrafacienti pro prima admonitione centum librarum placentie. Pro secunda admonitione non obediendo diruptionis et destructionis dicte fortalitie, quod facere fieri et executioni mandare precise teneatur dominus potestas qui nunc est, vel pro tempore fuerit.

De forma satisdationis.

79. Promitto ego talis tibi notario recipienti nomine et vice illustris domini nostri domini comitis virtutum (2) et comunis placentie, et

---

(1) *Comitis virtutum.* Nel ms.° del 1336 leggesi: *Domini Azonis Vicecomitis.*

(2) Qui pure è nel ms.° 1336: *Domini Azonis.*

omnium et singulorum quorum interest seu interesse posset attendere et observare omnia et singula mandata dicti domini comitis et vicarii, et aliorum omnium et singulorum iudicum et militum domini potestatis, et se coram ipso domino potestate et eius vicario iudicibus et militibus eius, et quolibet ipsorum presentare totiens quotiens fuerit requisitus ex parte ipsius potestatis, vicarii, iudicum et militum, vel alicuius eorum: et custodire et salvare ipsum locum et fortalitiam ad honorem et reverentiam et mandata domini nostri domini comitis et comunis placentie: et facere etiam curare quod ibi non stabunt malandrini, nec habitabunt, nec alique persone infamate, vel rebelles banniti dicti domini nostri et comunis placen. nec aliqui alii contra formam statutorum et provisionum comunis placentie: et non tenere nec receptare in ipso loco et fortalitia, seu teneri vel tueri vel receptari permittere aliquos malandrinos, seu homines male conditionis et fame. Et si aliqua robaria fieret in dicto territorio ipsius loci seu fortalitie aut ville, seu alibi in episcopatu placentie per dictos malefactores sic receptatos vel ibi stantes vel habitantes, quoquo modo emendare damnum ipsius robarie passo, et ipsum locum et fortalitiam dare et consignare guarnitum et disguarnitum in fortia et bailia dicti domini nostri et predicti domini potestatis presentis et futuri: et cuiuslibet ipsorum totiens quotiens inde per ipsos vel alterum ipsorum fuerit requisitus, aut de ipsorum vel alicuius ipsorum processerit voluntate. Et promittit omnia et singula observare et observari facere que continentur in dictis statutis vel provisione vel altera ipsarum, ac si specificatus esset de verbo ad verbum sub pena in dictis statutis vel provisionibus contenta. Que omnia et singula, et etiam omnia alia et singula, prout continentur et scripta sunt supra scriptis specialiter factis, dictus talis, renunciando exceptioni et omni alii legum auxilio quibus se tueri posset promisit attendere et observare: et non contrafacere vel venire in pena et sub pena mille librarum placen. Que pena totiens committatur et possit exigi cum effectu, quotiens in predictis vel aliquo predictorum fuerit contrafactum. Et sub pena in statutis et provisionibus contentis in predictis promissis per ipsum talem, ratis manentibus suprascriptis, et in sua firmitate perpetuo durantibus sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum.

De eodem.

80. Et continuo tales sponte et ex certa scientia in presentia domini potestatis constituti, et eorum motu quilibet eorum in solidum se in omnibus et singulis suprascriptis principaliter obligando, renunciando omni legum auxilio omnique exceptioni et defensioni quibus se tueri possent, ita quod non possint dicere vel allegare se obligatos esse sine causa vel ex iniusta causa seu pro tali causa que non teneat aut valeat de iure et epistole divi adriani, et generaliter omni alie exceptioni et defensioni iuris que contra predicta vel aliquod predictorum dici vel opponi possent: promiserunt mihi notario stipulanti et recipienti modis et nominibus predictis facere et curare cum effectu, quod predictus talis attendet et observabit, faciet et complebit et in totum et per totum ut facere promisit et convenit. Alioquin ipsi per se et de eorum et cuiuslibet eorum bonis attendent et observabunt facient et complebunt que superius continentur et scripta sunt renunciando exceptioni et legum auxilio: et spetialiter auxilio legis dicentis principalem debitorem prius fore conveniendum fideiussore. Et generaliter omnibus aliis et singulis legibus et iuribus, quibus contra predicta per eos superius promissa, vel aliquod predictorum, dicere vel facere vel venire possent in pena et sub pena mille librarum placentie exigendarum a predictis, et quolibet predictorum, si fuerit contrafactum, seu contraventum, que pena totiens committatur et exigi possit cum effectu, quotiens in aliquo fuerit contrafactum seu contraventum, omnibus et singulis suprascriptis ratis manentibus et in sua firmitate perpetuo duraturis sub obligatione eorum bonorum.

De pena tenentium bannitos in eorum fortalitiis.

81. Item quod nullus audeat vel presumat in dictis fortalitiis tenere aliquem bannitum civitatis placentie, vel rebellem dicti domini nostri et comunis placen. vel malandrinum, vel alium hominem male conditionis et fame foresterii: immo facere et curare debeant quod dicti non habitent, vel aliqui predictorum: et si sibi reperiantur, quoquo modo presumantur de eorum voluntate ibi receptatos sub penis in statutis vel provisionibus et iuribus comunis contentis: et ulterius arbitrio potestatis si sibi videbitur, inspecta qualitate personarum receptarum et receptantium:

idem intelligatur si predictis personis dederint comestiones vel auxilium consilium vel favorem in dictis fortalitiis vel extra.

Quod nullus baroarius potestatis possit accipere aliquid in civitate.

82. Nullus soldatus seu baroarius potestatis placen. seu alicuius alterius officialis comunis placen. possit et debeat aliquid petere vel habere seu accipere in civitate placentie seu suburbiis pro aliquo pignoramento seu aliquid exequendo: in pena soldorum sexaginta placen. et quod per potestatem et quemlibet officialem comunis compellatur quilibet soldatus ad predicta fienda in pena potestati et officiali cuius essent dicti soldati xxv. librarum plac. pro qualibet vice: et nihilominus faciat restitui totum id quid dicti soldati acceperint.

De non ponendo linum ad macerandum.

83. Nemo ponat linum ad macerandum infra fossata civitatis placentie, nec in ipsis fossatis, in pena viginti soldorum placentie pro qualibet vice.

De sale habendo per advocatos.

84. Antiquum statutum et diutius observatum est quod omnes iudices de collegio iudicum placen. quolibet anno a comuni placen. habeant decem soldos plac. pro quolibet ipsorum iudicum: que solutio sit et fieri consuevit in sale pro comuni quod approbamus et volumus, statutumque quod potestas teneatur predicta facere inviolabiliter observari.

De nobilibus simulatis.

85. Cum multi sint habitantes in districtu placen. qui sub nomine et colore nobilium defraudent comune dicte civitatis in honeribus tam realibus quam personalibus persolvendis: statuimus quod de cetero nullus possit uti privilegio dicte nobilitatis, sed omnes habitantes in districtu placen. si fuerint laboratores terrarum, vel exercuerint aliquod artificium propriis manibus, vel fuerint tabernarii seu hospites, teneantur

omnia onera tam realia quam personalia, seu mixta subire cum hominibus ville in qua habitant nullo privilegio, consuetudine, prescriptione seu immunitate vel sententiis que super hoc fuissent late obstantibus. Si autem fuerit de progenie nobilium, vel non exercuerit aliquam artem vel artificium, et non fuerit tabernarius vel ospes et habitaverit in districtu placentie, teneatur se scribi facere et poni in civitate placen. in ea vicinia in qua ipse vel sui antecessores ultimo habitare consueverunt. Et si de hoc esset questio seu dubium in ea vicinia in qua decreverit potestas seu eius vicarius cum consilio sapientis presidentium negociis comunis, in omnibus oneribus realibus et personalibus, seu mixtis imponendis per comune placen. ponatur, et ipsa onera ibi sustinere debeat: et si quis contrafecerit puniatur et condemnetur pro qualibet vice in viginti libris placen. et nihilominus ad predicta faciendum compellantur et teneantur; cuius pene medietas sit comunis et alia medietas dicti accusatoris. Et quod nullus possit tanquam nobilis ad aliquod onus pro comuni placentie compelli.

Quod masculinum genus concipiat femininum.

86. Ubicunque in statutis comunis plac. continetur vel dicitur siquis, vel quilibet, vel quicunque, vel simile verbum, declaramus tam masculinum quam femininum per ipsa verba et quodlibet ipsorum intelligi et comprehendi sive tractetur de odio vel de favore: nisi in ipsis statutis expresse exprimatur aliter.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

10052142

INCIPIT QUINTUS

1. Quoniam nocentium delicta publice expedit esse nota, statuimus quod omnes condemnationes et absolutiones criminales que fient per potestatem vel eius iudices vel alium officialem comunis placentie fiant de die et in publica contione.

De capiendo malefactores.

2. Quia quilibet rector debet purgare provinciam malis hominibus, potestas summo opere teneatur procurare quod omnes malefactores in civitate et districtu capiantur, et capti penis congruis puniantur.

De corrumpentibus officiales.

3. Quicunque per se vel interpositam personam potestatem vel eius iudices et familiam seu aliquem officialem comunis placen. ausus fuerit corrumpere quoquo modo puniatur corruptor in amissione rei quam dedit pro corruptione. Et nihilominus solvat comuni duplum rei ipsius vel estimationis: corruptus autem solvat ipsam rem vel estimationem, et ultra id duplum ipsius rei vel estimationis. Et nihilominus predicti corruptores et corrupti puniantur ultra predicta pena pecuniaria inspecta personarum et negocii qualitate arbitrio potestatis. Quam corruptionis penam incidat quicunque ipsius corruptionis fuerit mediator. Et quilibet possit esse accusator et denunciatur dicti criminis, et habeat dimidiam dicte condemnationis, et nomen ipsius accusatoris et denunciatoris

secretum teneatur. Salvo quod si corruptor accusaverit vel denunciaverit corruptum ante quam ipse corruptus fuerit denunciatus vel accusatus per alium, quod tunc ipse corruptor nullam penam patiatur et res quam ipse corruptor dederit pro corruptione non veniat in comuni: sed dicto corruptori restituatur.

De arsaleis.

4. Si quis dolose immiserit ignem in domum vel cassinam, vel torculare seu fenum vel bladum vel ligna vel palearium alicuius, dexter oculus ei eruatur et manus dextra ei abscindatur nisi infra quindecim dies post condemnationem dicti criminis solvat comuni placentie ducentas libras placen. et nihilominus damna emendet leso ante quam de carceribus comunis placentie relaxetur. Et hoc habeat locum si incendium passus fuerit damnificatus ex hoc infra quantitatem librarum xxv. placen. Si abinde supra, faciens dictum incendium igne comburatur ita quod moriatur.

De terminis.

5. Si quis dolose terminum amoverit alicuius eo inscio vel invito, manus ei abscindatur nisi solverit comuni placen. quinquaginta libras infra quindecim dies post condemnationem dicti criminis, et nihilominus teneatur emendare damnum passo antequam de carceribus comunis relaxetur.

De his qui maledixerint.

6. Si quis maledixerit deo vel beate virgini Marie vel alicui sancto condemnetur in libris xxv. plac. (1) quam condemnationem si solvere non poterit ponatur ad berlinam et ibi stet per medium diem, et nihilominus per civitatem grossis virgis fortiter fustigetur, et per tres menses stet in carceribus (2).

---

(1) *Libris* xxv. Il ms.° Pall. ha *condempnetur in centum sol. et plus usque in* xxv. *libr. plac. arbitrio potestatis, inspecta qualitate facti et personarum.*

(2) *Et per tres menses stet in carceribus.* Nel ms.° 1336. non havvi questa ultima parte di pena.

De accusis que fiunt de villis.

7. Si aliqua accusa vel denunciatio facta fuerit de aliquo comuni vel universitate alicuius ville vel loci episcopatus placen. seu districtus, consules cum duobus vel tribus vicinis de dicta villa seu loco venire debeant tantum ad respondendum accuse seu denunciationi facte de ipsis: et una securitas sola recipiatur pro omnibus illis: De qua securitate et dicto illorum solvantur notario duodecim denarii et non ultra per ipsum consulem et vicinos: et quilibet accusator teneatur solvere expensas currerio qui fecerit citationem de predictis: et illud idem observetur per potestates et notarios vallium et aliorum locorum episcopatus plac. in pena iudici et potestatibus si contra predicta permiserint decem librarum placent. pro quolibet et notariis sexaginta soldorum pro qualibet vice qua contrafecerint, et quantum ad solvendum expensas currerio qui citaverit idem observetur, videlicet quod quilibet accusans ipsas expensas solvere teneatur.

De damnis et guastis datis occulte.

8. Si damnum vel guastum datum fuerit vel factum alicui occulte in aliquibus seu de aliquibus bladis, leguminibus, lignis, arboribus, plantonis, pratis, feno, vineis, vel uvis, vel de aliis fructibus existentibus in campis sive sint pendentes sive non in aliqua villa vel eius territorio districtus placentie, teneatur ad emendationem ipsius damni vel guasti damnum passo villa in qua vel in cuius territorio hoc fuerit perpetratum, si fuerit habitata tempore dicti damni vel guasti.

Alioquin teneantur ad hoc tres ville circumstantes proximiores loco dicti damni et guasti. Et si non constaret cuius ville esset dictum territorium circumstantes ville et confinantes loco ubi fuerit damnum vel guastum datum vel factum teneantur emendare dictum damnum vel guastum. Salvo quod in damno dato ex incendio in dictis rebus vel etiam in domibus, cassinis, torculari, seu rebus existentibus in eis occulte seu de nocte, volumus quod ville et plebatus in quo fuerit villa seu locus ubi factum fuerit dictum incendium teneantur emendare dictum damnum damnum passo. Et si dictus locus non fuerit de plebatu, emendetur dictum damnum per villas circumstantes confinantes territorio ville in

quo vel in qua dictum incendium fuerit commissum. Que emendatio contribuatur et fiat per ipsas villas secundum impositionem salis per comune plac. eis factam. Ad quam contributionem damnorum ex incendio teneantur nobiles iuxta impositionem salis eis factam habitantes in ipsis villis que contribuere teneantur ad ipsum damnum emendandum. De quibus omnibus suprascriptis possit et debeat iudex maleffitiorum per se cognoscere et diffinire sententiare consilio sapientis partibus non suspecti si de hoc fuerit ab aliqua partium requisitus ad banchum suum, absque eo quod sententia legatur sive feratur in consilio generali vel in contione publica. Repellatur ab accusatione damni vel guasti preterquam ex incendio qui non accusaverit infra quatuor menses numerandos a tempore damni seu guasti facti: que prescriptio quattuor mensium non vendicet sibi locum in malefactoribus qui principaliter damnum dedissent vel dari fecissent. Qui malefactores accusari possint a die damni dati usque ad unum annum et non ultra.

De bestiis dantibus damnum.

9. Si bestie alicuius qui non sit de civitate vel episcopatu placen. dicantur fecisse damnum alicui in aliquibus rebus, teneantur consules et homines ville vel loci in cuius territorio reperte fuerint dicte bestie, et ad requisitionem eius qui dicit se damnum passum, vel eius nuncii vel massarii capere, et penes se retinere impune tot ex dictis bestiis quot ex eis possit consuli et satisfieri damnum passo. Alioquin dicti consules comune et homines teneantur emendare dictum dannum. Quibus consulibus et hominibus teneantur ad predicta fienda homines et ville circumstantes si ab eis fuerint requisiti in pena predicta dare auxilium cum effectu: sed predicta locum non habeant in illis bestiis in quibus prestita fuerit idonea securitas ad cameram comunis placen. de damnis que fecerint emendandis.

De damnis et guastis.

10. Si probatum fuerit legitime aliquem fecisse vel dedisse damnum alteri a quinque soldis supra usque in decem soldis, solvat pro pena comuni decem soldos. Si a decem soldis usque ad xx. soldos solvat

pro pena xx. soldos. Si a xx. usqne ad quadraginta sold. solvat pro pena comuni lx. sold. (1). Si abinde supra puniatur in v. libris: et nihilominus teneatur damnum passo emendare omnia: et predicta locum non habeant in casibus in quibus aliter per statuta alias est provisum.

De animalibus occisis vel vulneratis.

11. Si animal alicuius occisum vel vulneratum fuerit existens absque custodia, non teneantur ville in quibus vel earum territorio hoc acciderit ipsum emendare: sed habeat damnum passus regressum adversus vulnerantem vel ipsum animal occidentem.

Quod nullus det damnum vel guastum in fossatis.

12. Nullus det damnum vel guastum in fossatis magnis vel parvis, muris, seu aliis rebus comunis existentibus in civitate placen. vel suburbiis, vel circa ipsam civitatem: et qui contrafecerit puniatur arbitrio potestatis habito respectu ad qualitatem facti et personarum.

De accusis fiendis.

13. Si quis fecerit accusam vel denunciationem de aliqua singulari persona vel universitate de aliquo damno vel guasto sibi dato vel facto per homines, vel per bestias in aliquibus rebus, credatur accusatori vel denunciatori de damno dato et estimatione ipsius damni usque in quantitate xx. sold. cum sacramento ipsius accusatoris vel denunciantis etiam de credulitate, si fuerit accusans civis oriundus de civitate plac. qui intelligatur oriundus si sit descriptus in libro talearum civitatis plac. vel aliter a taleis absolutus dummodo sit civis, et homo bone fame (2): quod iuramentum teneatur prestare in presentia iudicis coram quo fiet accusa vel denunciatio: si vero damnum ascendat ultra quantitatem predictam usque in quantitatem quadraginta soldorum, credatur dicto accusatori vel denunciatori cum sacramento si probaverit damnum datum

---

(1) lx. *sold.* Il ms.° Pall. ha: *quadraginta sol.*

(2) *Bone fame.* Il ms.° Pall. ha: *homo bone fame et conditionis.*

per accusatum seu denunciatum et estimatum damni per unum testem: a dicta vero quantitate quadraginta soldorum supra circa probationem damni dati vel estimationem iuri comuni relinquatur: eo salvo quod non credatur accusatori vel denunciatori ut supra premittitur per sacramentum suum nisi semel contra eundem dumtaxat in uno mense. Et si de eadem persona plures accusationes in uno mense quis duxerit facienda suo sacramento non stetur nisi super prima: super aliis vero stetur prout superius est expressum: videlicet pro qualibet accusa vel denunciatione si est infra quantitatem soldorum (1) XL. per probationem unius testis: si autem ultra quantitatem predictam relinquitur iuri prout superius est declaratum: et ultra predicta si probatum fuerit aliquem fecisse damnum in ortis, zardinis seu campis sitis in civitate plac. puniatur pro qualibet vice in XL. soldis plac. comuni plac. applicandis. Et quilibet accusans teneatur omnes accusas ultra illam de qua sibi debet credi quas fecerit probare ipsas accusas legitime infra mensem computandum a die quo ipsas accusas fecerit absque litis contestatione et aliquo tertio dando per iudicem: et si ipsas accusas legitime non probaverit factis capitulis et accusationibus missis, et citato eo ad faciendum contraquestiones ipsis capitulis, et quod habeat notarium pro parte sua ad examinandum testes quos producere voluerit super ipsis capitulis, condemnatus sit elapso dicto mense ipso iure et facto ille qui accusavit in soldis tribus pro qualibet accusa non probata applicandis parti accusate, et nihilominus in expensis legitimis: pro quibus expensis et pena iudex teneatur ipsum accusantem compellere iuris remediis usque quo ipsas expensas et condemnationem solverit accusato. Ad qua observanda iudex maleficiorum teneatur ad postulationem cuiuslibet procedere sub pena librarum XXV. placen.

Qui accusaverit et non probaverit.

14. Omnis qui accusaverit vel denunciaverit aliquem de aliquo crimine ex quo pena sanguinis vel corporis ingeratur, si non probaverit, teneatur restituere accusato vel denunciato omnes expensas postquam fuerit absolutus, et damna que accusatus vel denunciatus ob hoc incur-

(1) *Soldorum* XL. Il ms.° Pall. ha *soldorum decem.*

risset: et in hoc facta dicta absolutione intelligatur legitime condemnatus. Et nihilominus iudex coram quo dicta fuerit accusa delata teneatur et debeat cogere accusatorem ad satisdationem prestandam de substinendo et probando dictam accusam in pena librarum L. in quam penam incurrat si non probaverit ut supra: et de expensis restituendis accusato. Qua satisdatione non prestita non possit procedi super ipsa accusa: et non possit pro predictis aliquis fideiubere qui prohibetur fideiussor esse in instrumentis gabellarum.

De conducentibus vinum adaquatum.

15. Nullus vendat seu ducat seu ducifaciat mustum seu vinum adaquatum, nisi de hoc emptorem vel alium cui vinum duxerit certioraverit, in pena c. soldorum plac. pro quolibet carro: cuius medietas sit accusatoris vel denunciatoris et alia medietas sit comunis.

De pena ponentium ollegos (1) *in vinum.*

16. Quicumque posuerit et miscuerit ollegos in vino condemnetur in xxv. lib plac. pro qualibet vice: et qui collegerit ipsos ollegos condemnetur pro qualibet vice in centum soldis: et qui habuerit ipsos ollegos in domo condemnetur in x. lib. Quod statutum faciat cridari potestas per civitatem semel quolibet mense: et quilibet possit accusare et habeat medietatem dicte pene.

De accusis et processibus.

17. Statuimus quod accuse et testes et processus et alia acta accusationis et etiam aliarum criminalium causarum que fient et recipientur tam per accusas quam per officium potestatis, vel suorum iudicum vel aliorum quorumcumque officialium, edantur quam citius fieri possunt partibus si petierint tam ante probationem quam post: et etiam ante responsionem seu litem contestatam in pena ipsi potestati et cuilibet officiali comunis

---

(1) *Ollegos.* *Ölas* ed anche *ulâs* è voce viva anche oggi nel dialetto Piacentino per indicare il *Sambucus ebulus* le cui bacche tingono in rosso.

plac. xxv. libris plac. pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, quam penam incurrat ipso facto.

De occupatoribus terrarum.

18. Si quis in tantam pervenerit audaciam quod terras domos vel res immobiles quas aliquis tenebat vel possidebat seu quasi occupaverit vel invaserit, si res occupata vel invasa valuerit L. libras plac. vel abinde infra puniatur invasor vel occupator in x. libris plac. Si autem excesserit estimationem L. librarum usque in C. libris, puniatur in XXV. libris. Si abinde supra res valuerit puniatur in L. libris plac. et nihilominus teneatur restituere rem predictam cum effectu cum fructibus perceptis ei qui eam tenebat vel possidebat sive naturaliter sive civiliter tempore occupationis vel invasionis cum omnibus fructibus expensis damnis et interesse: de quibus omnibus possit cognosci, et cognoscatur summarie, et de plano sine datione libelli et strepitu et figura iudicii, diebus feriatis et non feriatis.

De turbatione in possessione.

19. Si quis turbaverit aliquem in possessione seu quasi alicuius rei immobilis, si res super qua quis turbatur valuerit infra quantitatem quinquaginta librarum, puniatur turbator in libris decem. Si autem excesserit quantitatem predictam usque in centum libris, puniatur in viginti libris. Si vero a centum libris supra puniatur in quinquaginta libris placen. Et nihilominus condemnetur in cessatione dicte turbationis: de quibus omnibus possit et debeat cognosci et cognoscatur summarie et de plano sine datione libelli et strepitu et figura iudicii quolibet tempore feriato et non feriato.

Quod occupator et turbator non possit referre questionem adversario.

20. Statuimus quod nullus occupator invasor vel turbator alicuius rei immobilis possit referre adversario aliquam questionem de dominio: sive agatur criminaliter, sive civiliter, sive qualitercunque.

De terris non laboratis per minas.

21. Si per minas vel per potentiam alterius terra quam aliquis tenet guasta steterit vel inculta, condemnetur ille ex cuius facto hoc acciderit in xx. libris (1) placen. Et nihilominus damna emendet possessori. Et insuper homines ville, et ipsa villa in cuius territorio fuerit illa terra teneantur laborare seu laborari facere ipsam terram si consueta fuerit laborari. Si vero ipsa villa est inhabitata, villa seu locus proximior ipsi terre teneatur ipsam laborare seu laborari facere habendo pro laborando sicut habent laboratores terrarum circumstantium ipsi terre. Et quantum ad cogendum ipsas villas et homines laborare dictam terram, possit et debeat potestas seu iudex maleficiorum, vel alter ex iudicibus comunis procedere summarie et de plano sine libello et sine strepitu et figura iudicii quocunque tempore feriato et non feriato: et per presumptiones sive iudicia prout viderit expedire.

De pena euntium de nocte.

22. Si quis inventus fuerit per familiam potestatis per civitatem extra domum sine lumine de nocte post tertium sonum campane que pulsatur de sero usque ad sonum campane que pulsatur summo mane, condemnetur in decem soldis plac.

De pena tenentium post campanam canevas apertas.

23. Nullus tabernarius vel tabernaria vendat vel vendi permittat vinum, vel teneat apertam tabernam post tertium sonum campane comunis, que pulsatur de sero in pena x. soldorum: qui autem repertus fuerit in dicta taberna post dictum sonum condemnetur in x. soldis placen.

De matrimoniis clandestinis et non debitis.

24. Quicunque contraxerit matrimonium cum aliqua minore viginti-quinque annis que maritum non habuerit sine consensu patris, puniatur in quinquaginta libris placen.

---

(1) xx *libris.* Il ms.° Pall. ha *vigintiquinque libris.*

De eodem.

25. Ad refrenandam audaciam contrahentium clandestina matrimonia, ex quibus sepe scandala oriuntur: statuimus quod si quis dixerit se matrimonium contraxisse cum aliqua muliere, vel mulier cum aliquo viro, et ob hoc questio moveretur, condemnetur in centum libris plac., nisi probaverit ipsum matrimonium fore contractum coram honestis et fide dignis personis propinquis, videlicet tam ex parte viri quam mulieris. Matrimonia autem clandestina minime reputamus, sed legitima, que facta sunt et fient iuxta consuetudinem civitatis plac. videlicet coadiunctis (1) propinquis et amicis viri et mulieris et facto sacramento ante ecclesiam de dicto matrimonio fiendo, et postea impositione annuli in digito mulieris per ipsum virum seu eius legitimum procuratorem publice subsecuta.

De contestatione litis super accusationibus.

26. Si accusa facta fuerit de aliquo ex qua queritur aliquid dari fieri vel restitui per accusatorem, et citatus in qua citatione nomen accusatoris et causa propter quam facta fuerit accusa quam exprimi volumus, non comparverit infra terminum sibi assignatum, et ob hoc bannum receperit, elapso termino dicti banni, hoc ipso super ipsa accusa lis intelligatur et sit contestata: et super ipsam procedi possit ac si lis esset legitime contestata. Et nichilominus per iudicem maleficiorum possit procedi contra ipsum contumacem ad condemnationem pene et damnum petitionis, si probatum fuerit legitime iuxta statuta.

De eodem.

27. Insuper declaramus et volumus quod in omni causa (2) possit simul et semel criminalis et Civilis questio intentari agitari et procedi, Criminalem intelligentes nisi pena (3) sanguinis vel corporis ingeratur, et ubicunque pena aliqua etiam pecuniaria sit comuni placentie applicanda.

---

(1) *Coadiunctis.* Il ms.° Pall. ha *coadunatis.*
(2) *Omni causa.* Il ms.° Pall. ha *omni accusa.*
(3) *Nisi pena.* I mss. hanno *ubi pena.*

De ordine habendo contra contumaces.

28. Quoniam publice expedit ne maleficia remaneant impunita, statuimus quod si quis fuerit de quovis crimine accusatus vel condemnatus (1), seu contra eum fuerit per inquisitionem processum citetur ad domum habitationis sue: vel si certam habitationem non habeat in civitate placentie vel districtu, citetur ad petram arenghi, post quam citationem si non venerit in omnibus casibus predictis in loco seu petra arenghi, publice banniatur et termino banni elapso detur sibi defensio decem dierum. Que defensio notificetur ad domum predictam, vel ad petram seu locum arenghi prout superius est expressum: et si predicte citationes notificationes assignationes defensionis in dictis locis commode fieri non possent, utputa propter guerram vel propter aliam legitimam causam, de qua credatur sacramento quattuor curreriorum equestrium, vel quatuor aliorum bonorum hominum qui sciant et scire possint inde veritatem, et illud tale sacramentum ponatur in actis iudicis, fiat in loco vel petra arenghi: quo termino defensionis elapso quantum ad penam comunis habeatur lis pro contestata, et pro confesso dictus contumax, et perinde possit condemnari ac si legitime esset confessus. Sed non obstantibus predictis si comparverit voluntarie vel coactus ante condemnationem, non habeatur pro confesso, sed eius defensio legitima audiatur, et in citatione predicta inseratur totus tenor accusationis vel inquisitionis scriptus (2) manu notarii actorum. Et aliter non possit contra accusatum vel inquisitum procedi: nec valeat processus.

De pena committentium falsa in scripturis.

29. Ut omnis via falsa committendi penitus excludatur, firmiter statuimus, quod si quis dolose inciderit vel abstulerit chartas aliquas de libris statutorum comunis placen. vel aliquas litteras detraxerit (3) ex eis vel canzellaverit, vel in eis aliquid immutaverit addendo vel minuendo, manus dextra et pes dexter sibi amputentur nisi usque ad decem dies

---

(1) *Condemnatus.* I mss. concordemente recano *denunciatus.*
(2) *Inquisitionis scriptus.* I mss. hanno *inquisitionis subscripte.*
(3) *Detraxerit.* I mss. hanno *abraxerit.*

solverit comuni plac. ducentas libras plac. in pecunia numerata absque aliqua compensatione numerandas a die qua fuerit condemnatus.

De eodem.

30. Quia fides publica notariorum est per universum orbem comuniter approbata, et ob hoc merito defensanda, cupientes fame laudabili quam notarii civitatis plac. inter ceteros habent, et hucusque habuerunt, et deo propitio sint perpetuo habituri consulere, statuimus quod si quis criminaliter accusaverit aliquem notarium civitatis vel districtus plac. dixerit vel denunciaverit vel inculpaverit de falso instrumento fabricato, vel carta vel scriptura publica falso fabricata, condemnetur in septuaginta (1) lib. placentie, nisi probaverit ipsum instrumentum chartam seu scripturam esse falsam. Et antequam procedatur contra ipsum notarium, prestet dictus accusans vel dictus denuncians seu inculpans securitatem idoneam coram iudice maleficiorum de dicta pena solvenda, nisi probaverit ipsam falsitatem per dictum notarium fore factam. Si vero civiliter in iudicio peragendo vel excipiendo aliquod instrumentum vel scripturam publicam quis dixerit esse falsam et non probaverit, puniatur in xx. lib. (2) applicandis comuni placen.

De eodem.

31. Omnes fabricantes et fabricari facientes falsa instrumenta, vel cartas vel scripturas publicas condemnentur, si fuerint notarii in amputationem manus dextre cuiuslibet. Si vero alii fuerint quam notarii, condemnentur in trecentis lib. placen. pro quolibet. Quam penam si non solverent infra decem dies post condemnationem de eis factam, eis et cuilibet eorum manus dextra amputetur.

De pena falsi testis in criminalibus.

32. Si quis dolose falsum testimonium tulerit in causa vel questione

---

(1) *Septuaginta.* Il ms.° Pall. ha *vigintiquinque.*

(1) *In* xx *lib.* Il ms.° Pall. *in decem libris.*

criminali ex quo pena sanguinis vel corporis ingeratur, amputetur ei lingua et oculus ei eruatur. Si vero in aliis casibus vel questionibus criminalibus vel civilibus quibuscunque falsum dixerit testimonium, puniatur pena pecuniaria arbitrio potestatis, inspecta personarum et negocii qualitate. Quam penam si non solverit usque ad decem dies post condemnationem de eo factam, lingua ei amputetur: quibus penis puniantur dolose producentes falsos testes.

De ludentibus ad taxillos.

33. Si quis in civitate vel districtu placentie inventus fuerit per familiam potestatis ludere ad taxillos, vel denunciatus vel accusatus fuerit, infra tres dies a die quo dixerit (1) lusisse ad ludum taxillorum, et probatum fuerit quando fuerit accusatus vel denunciatus, condemnetur in c. sold. plac. Si autem inventus fuerit per familiam potestatis aliquis ludere ad ipsum ludum in domo habitationis alicuius, puniatur habitator ipsius domus in vigintiquinque libris placen. Eodem modo puniatur si per accusationem vel denunciationem vel inquisitionem ipsos ludos et lusores tenere et receptare in domo vel habitatione sua probatum fuerit aliquem tenere vel tenuisse: si vero aliquis mutuaverit ad ipsum ludum pecuniam, puniatur in x. libris plac. Et quicunque contractus super hoc factus, et quicquid sequitur ex eo vel ob ipsum non valeat ipso iure: qui contractus presumatur occasione ludi facti si probatum fuerit creditorem consuetum fuisse mutuare ad ludum bisclatie et debitorem consuetum fuisse et esse lusorem. Et possit procedi in predictis summarie, et de plano sine strepitu et figura iudicii: et hoc habeat locum in civitate placent. et episcopatu. Et predicta in ludis tabularum, vel ludis qui fuerint in barataria, vel in ludis qui fiunt in civitate plac. et episcopatu cum nevolariis ad nevolas, vel canestrellos non vendicent sibi locum: et iudex non possit procedere per inquisitionem nisi facta fuerit accusa vel denunciatio, vel inventus per familiam potestatis in qua sit collegralis domini potestatis.

---

(1) *Dixerit.* I mss. hanno chiaramente *luxerit.*

Quod in omni causa criminali possit iudex maleficiorum procedere per accusam et inquisitionem.

34. In omni causa criminali possit potestas et iudex maleficiorum, seu alter eorum procedere cognoscere et terminare tam per accusacionem vel inquisitionem divisim et separatim prout eis videbitur expedire. Ita tamen quod non possit aliquem condemnare nisi defensione ei data videlicet trium dierum ad minus, si est tale crimen ex quo pena sanguinis vel corporis ingeratur. In aliis vero criminibus decem dierum terminus ad sui defensionem ad minus ei detur: salvo quod quando dicitur damnum vel guastum esse factum per aliquem non possit procedere cognoscere vel terminare potestas vel iudex maleficiorum per inquisitionem vel denunciationem sed solummodo per accusam. Salvo quod possit iudex procedere in damnis datis in rebus comunis plac. Nec etiam in causa adulterii possit potestas vel iudex maleficiorum procedere per inquisicionem seu denunciationem, sed solum per accusacionem que fieret per maritum, patrem, matrem, socerum, seu fratres mulieris que dicitur adulterium commisisse: et non per alios fieri possit dicta accusacio. Que accusacio de adulterio possit fieri infra triginta dies tantum a tempore commissi adulterii, et non ultra.

De pena portantium arma.

35. Quicunque inventus fuerit portare arma per civitatem placentie, pro quolibet genere armorum de ferro offendibilium condemnetur per potestatem in quadraginta soldis: et pro quolibet genere armorum defensibilium in viginti soldis. Et si inventus fuerit de nocte, pena duplicetur, et ipsa arma amittat et deveniant in comune plac. et vendantur publice ad incantum: et quod inventus cum armis detineatur personaliter, donec solverit vel deposuerit penam contentam in dicto statuto: ita quod facta depositione penes camerarium comunis in pecunia numerata, audiatur eius defensio si quam facere voluerit infra tempus sibi statuendum a iudice: et si fuerit persona suspecta detineatur saltem per tres dies, et fiat tunc proclamatio publice siquis vult contra ipsum captum aliquid opponere infra tempus arbitrio iudicis statuendum. Excusetur eques si reperiatur habere capellum, vel eius famulus, vel si iuraverit ad villam ire.

Quod hospites teneantur notificare hospitibus suis ne ferant arma.

36. Ut transeuntes per civitatem placen. non valeant ignorantiam pretendere, cridetur quod teneatur quicunque albergator notificare penam ordinatam contra arma portantes per civitatem cuilibet hospiti suo in pena xx. sold. placen.

De verbis iniuriosis.

37. Quicunque dixerit verba iniuriosa adversus aliquem puniatur in sexaginta soldis. Salvo quod ex qualitate personarum et verborum dictam penam potestas valeat mitigare vel augere.

De pena percutientium.

38. Si quis percusserit aliquem sine armis et sine sanguinis eflusione, puniatur in centum soldis: si vero cum sanguinis effusione in x. libris. Et si aliquis dixerit verba iniuriosa potestati vel capitaneo civitatis plac. condemnetur in xxv. libris plac. et si dixerit iudicibus vel militibus suis condemnetur in xx. libris (1) pro qualibet vice.

De eodem.

39. Si quis percusserit aliquem cum armis, si sine sanguinis effusione puniatur in x. libris plac. si cum sanguinis effusione in xxv. libris. Et si plura vulnera cum sanguine intulerit, puniatur pro quolibet vulnere in xxv. libris plac. salvo quod si ex quavis percussione membrum fuerit amissum, percussor vel hoc comittens puniatur in cc. lib. Et si non solverit dictas cc. libras usque ad x. dies post condemnationem factam, puniatur in amissione similis membri: et si membrum debilitatum fuerit puniatur in centum lib. placen.

---

(1) *In* xx *libr.* I mss. hanno *in decem.*

De penis committentis vel commiti facientis homicidium.

40. Si qnis commiserit vel comitti fecerit homicidium, et in fortiam comunis pervenerit capite puniatur. Et si receperit bannum pro contumacia, et defensionem non fecerit, bona eius comuni plac. nihilominus publicentur: salvo iure creditorum, et salvis debitis iure nature descendentibus talis malefactoris: et si postea pervenerit in fortiam comunis capite puniatur.

De pena facientium insultus.

41. Quicunque contra aliquem insultum fecerit, si sine armis et non percusserit, puniatur in lx. soldis: si cum armis in centum soldis: si ad domum alicuius insultum fecerit, si sine armis vel cum armis que non sint de ferro in x. libris: si cum armis de ferro in c. lib. plac. Et si percusserit faciens insultum ad domum puniatur ultra predicta de percussione, prout in aliis statutis continetur.

De adulteriis.

42. Si quis commiserit adulterium cum aliqua nupta que non sit publica meretrix, condemnetur in ducentis libris, et adultera in tamtumdem. Salvo quod si adultera non solverit dictas ducentas libras infra quintam diem post condemnationem, denudata usque ad cingulum per civitatem grossis virgis fortiter fustigetur.

De raptu mulieris.

43. Quicunque mulierem non publicam meretricem vi rapuerit, vel vi carnaliter cognoverit, vel visus fuerit vi carnaliter cognoscere, capite puniatur si in forcia comunis provenerit. Et si receperit bannum pro contumacia, et defensionem non fecerit, bona eius comuni placentie nihilominus publicentur. Salvo iure creditorum, et iure liberorum, ut in statuto de homicidio supra dictum est. Et salvo quod si mulier predicta fuerit infamata de meretricio, vel ad precium cum aliquo steterit, tunc quod pro dictis maleficiis non inferatur pena mortis, sed pecuniaria arbitrio potestatis, inspectis facti et personarum qualitate: Salvo quod si accepit eam in uxo-

rem non puniatur corpore, sed in centum libris placentinis condemnetur.

De illo qui contra aliquem emanaverit de manu vel pede.

44. Si quis emanaverit contra aliquem de manu vel pede, et non percusserit, puniatur in lx. soldis: et si de aliquo genere armorum puniatur in centum soldis.

De verbis iniuriosis.

45. Ubicunque tractatur in statutis comunis placentie de penis imponendis dicentibus verba iniuriosa vel percussoribus sine armis et absque membri debilitatione vel amissione, nolumus hoc intelligi de ribaldis vel meretricibus seu vilibus et abiectis personis predicta commitentibus, sed in dictis casibus penas eis imponi volumus arbitrio potestatis.

De furibus et latronibus.

46. Si quis furatus fuerit res valentes infra quantitatem viginti soldorum placentie, ponatur et stet ad berlinam per medium diem: et postmodum denudatus usque ad cingulum per civitatem grossis virgis fustigetur fortiter. Si vero fuerit ultra estimationem xx. soldorum, et infra estimationem quadraginta soldorum ei auricula abscindatur. Si autem excesserit estimationem quadraginta soldorum usque in centum soldis, ei oculus ervatur. Si abinde supra usque in decem libris ei oculus eruatur, et pes incidatur et auferatur. Si vero a decem libris placentie supra, suspendatur per gulam ita quod moriatur. Salvo quod non osbtantibus predictis si fuerit primum furtum usque in centum soldis placentie, ponatur ad berlinam et fustigetur modo predicto: ita tamen quod si fur esset minor vigintiquinque annis possit potestas (1) ipsas penas mitigare propter miserationem etatis prout ei videbitur convenire. Et predicta non habeant locum in frugibus que decem soldorum estimationem non excedant: sed relinquatur statutis loquentibus de damnis datis: et siquis inciderit bursam vel tascham in qua fuerint xx. soldi, et abinde infra, quod manus sibi amputetur: et abinde supra laqueo suspendatur.

---

(1) *Possit potestas.* I mss. *possit et debeat.*

De eodem.

47. Famosi latrones seu derobatores in viis publicis seu stratarum publicarum seu domorum violenter per gulam suspendantur: ita quod moriantur.

De pena receptantium latrones.

48. Receptatores latronum et derobatorum et aliorum malefactorum si scienter et dolose ipsos receptaverint, vel eis auxilium vel favorem dederint ad ipsa maleficia perpetranda, pari pena puniantur qua dicti malefactores puniri debent.

De assassinis.

49. Assassinorum tam nomina quam opera detestantes, statuimus quod quicumque assassinus sive precio vel precibus aliquem occiderit vel occidere tentaverit, licet mors non sequatur, durissima morte prout de qualitate ipsius mortis potestati videbitur moriatur: et bona eius si qua habet comuni placen. nihilominus publicentur. Quas penas simili modo incurrant omnes qui humanum sanguinem sitientes per assassinos aliquem interfici mandaverint, seu ipsis assassinis ad hoc dederint auxilium et favorem: contra quos omnes potestas habeat plenum et liberum arbitrium inquirendi, torquendi, procedendi, et puniendi prout ei videbitur expedire.

Quod nullus reddat ius in villa nisi qui fuerint deputati.

50. Item statutum est quod aliqua persona non reddat ius in villa, nec audeat vel presumat in aliqua villa episcopatus placen. ius reddere, nisi qui fuerint deputati per dominum nostrum: nec recipere aliquam querelam ab aliquo comuni occasione alicuius debiti, damni, et guasti: nec etiam alicuius iniurie vel offense. Et quod nullus audeat vel presumat cogere seu cogi facere aliquam personam episcopatus ad aliquod laborerium sibi fiendum in terris, vineis, domibus, castris, et fortalitiis. Et hoc in pena et banno decem librarum placen. cuilibet conquerenti, et ducentarum librarum cuilibet respondenti ipsi querele et contrafacienti

predictis vel alicui predictorum. Quod statutum notificetur semel in anno cuilibet consuli villarum et locorum episcopatus placen. videlicet de mense ianuarii in forma precepti detur in scriptis: et datum facere inchiodari supra hostium ecclesie dicti loci seu ville, seu supra hostium dicti consulis.

De tributis.

51. Quicunque per vim vel minas sibi aliquem fecerit tributum prestare puniatur in centum libris placen.

Quod nulla femina carceretur cum viris.

52. Nulla femina cum viris carceretur.

Quod nemo prohibeat accipere sabulum.

53. Nemo probibeat accipere sabulum vel lapides de flumine publico, in pena centum sold. quam incurrat impediens ipso facto.

De pena officialium comittentium fraudem in eorum officiis.

54. Quilibet officialis comunis plac. qui in officio sibi comisso vel circa ipsum dolum vel fraudem commiserit, puniatur pro qualibet vice in vigintiquinque libris: et hoc ipso ab omni officio comunis placen. per quinque annos tunc proxime continuos sit privatus: salvis statutis in quibus in certis casibus est provisum aliter.

De pena transeuntium super muros civitatis.

55. Nulli liceat transire supra muros seu spaldos civitat. placen. in pena xxv. librarum de die: et de nocte quinquaginta librarum plac.

De pena currentium equos per civitatem.

56. Nullus scutifer vel regatius in civitate placen. vel burgis currat aliquem equum vel equam, mulum seu mulam, nisi in presentia domini

cuius fuerit equus vel equa, mulus vel mula: et si contrafecerit condemnetur qualibet vice in viginti soldis placentie: quos si solvere non poterit ponatur ad berlinam.

De aquis et rivis.

57. Ducentes aquas ad ortos iardinos vel campos intra civitatem et suburbia existentes, et etiam ad ortos et iardinos prope civitatem per medium miliare, non possint occasione ipsarum aquarum accusari molestari impediri seu aliqualiter condemnari: sed impune et libere ad predicta possint ipsas aquas ducere: et hoc absque eo quod a iudice aquarum habeant aliquam licentiam, nec ab aliquo alio officiali. Et si occasione predicta per aliquos officiales seu notarios molestarentur, ipsi ipsos tales molestantes dicta occasione condemnentur in xx. libris (1) placen. et de hoc sindicari debeant.

De habentibus testam.

58. Statutum est et longo tempore observatum quod omnes qui habeant testam seu caput terre rivo alicui possint et eis liceat habere et auferre quindenam de ipso rivo.

De duplicatione penarum.

59. Statuimus quod in omnibus et singulis suprascriptis delictis si committerentur de nocte vel in platea civitatis placen. vel in domibus comunis, pene debeant duplicari: et intelligatur nox a pulsatione campane que pulsatur in sero ad avemaria usque ad campanam que pulsatur in mane ante avemaria: et predicta locum habeant in pendentibus et futuris: et intelligatur platea comunis intra rivos qui labuntur circa ipsam plateam.

De possentibus ducere rivos.

60. Statutum est et diutius observatum quod quelibet persona que habet ius ducendi et extrahendi aquas seu rivos de fluminibus, surtuminibus

---

(1) *In* xx. *libris.* I mss. in x. *libris*

10052142

et scolaturis districtus placen. vel qualitercunque possit ipsos rivos et aquas ducere per terras et campos cuiuslibet persone ad minus damnum illius persone seu personarum cuius seu quarum sunt seu fuerint ipse terre per quas ducuntur et ducentur dicti rivi seu aque, habendo ille persone quarum fuerint dicte terre si voluerint quindenam dictorum rivorum seu aquarum, seu tantum a conducentibus ipsas aquas vel rivos quantum valuerint ipse terre super quibus ducentur ipse aque seu rivi: et hoc sit in electione illius cuius fuerit ipsa terra. Et si elegerit sibi dari estimationem dicte terre, estimetur ipsa terra arbitrio boni viri pro parte seu quantitate qua caperent cavi ipsius rivi seu aque. Et si ille qui duxerit ipsam aquam prohibuerit accipere et habere quindenam ut predicitur domino dicte terre, condemnetur qualibet vice in xx. soldis placen. Ita tamen quod cuilibet per cuius terram ducetur vel ducitur dicta aqua vel rivus liceat expensis suis ipsam aquam cavum vel rivum ponere a qua parte terre sue maluerit: dum tamen ipsa aqua vel rivus commode decurrat et labatur ad utilitatem ducentis. Salvo quod ille per cuius terram ducitur vel extrahitur quindena, non possit de dicta quindena accipere quindenam: sed teneatur ducens ipsam quindenam solvere estimationem terre quam occupaverit domino ipsius terre.

De existentibus in possessione seu quasi ducendi aquam per xx. *annos.*

61. Si quis duxerit aquam ex aliquo flumine publico seu sortivibus vel scolaturis, et steterit ipse et ille a quo causam habet vel alter eorum in possessione, seu quasi ducendi ipsam aquam per xx. annos continuos, non possit molestari ab aliquo, qui se diceret habere a dictis xx. annis citra causam vel titulum a comuni place. nisi pretendat alia iura, per qua debeat obtinere. Alioquin si de dicta possessione vel quasi non probaverit, preferatur qui titulum presens habuit a comuni: et in hoc defendatur per comune placen. Et hoc habeat locum in preteritis presentibus et futuris.

De pena non facientium exportari immunditias.

62. Quicunque fecerit mundare rivos in civitate placen. faciat exportari immunditias que extracte fuerint de ipsis rivis usque ad quinque dies

subsequentes in pena quinque soldorum placentie, et quod omnes molinarii qui ducunt vel duci faciunt rivos per civitatem placen. teneantur mundare dictos rivos semel in anno et exportare munditias eorum expensis in pena lx. soldorum plac. pro qualibet vice et quolibet ipsorum, et nihilominus ad predicta teneantur.

De modo observando quando dividuntur aque trebie.

63. Ad evitanda scandala qua sepe ex aquarum divisionibus oriuntur proinde statuimus quod quando per aliquos requireretur quod aque trebie vel nurie dividantur, tempore videlicet siccitatis, teneatur potestas preconizari facere publice per civitatem premisso sono tube in locis consuetis, quod omnes quos negocium tangit, et qui volunt contradicere et se opponere ne dicta fiat divisio, compareant coram potestate vel iudice maleficiorum certo termino eis in ipsa crida exprimendo: post que iudex maleficiorum personaliter cum tribus magistris aquarum vel duobus si tres commode haberi non possent vadat ad ipsa flumina cum quo etiam vadant si voluerint illi quos negocium tangit, et facta estimatione ipsius aque per ipsos magistros presente dicto iudice, si fuerit in casu quo dividi debeat dividatur et non aliter. Et hoc statutum potestas et eius iudices observare et exccutioni mandare inviolabiliter teneantur in pena quinquaginta librarum placen. potestati et vigintiquinque librarum cuilibet iudicum suorum. quam si non observaverint ipso facto incurrant.

De aquis.

64. Potestas vel aliquis officialis non cogat aliquem ad contributionem aliquarum expensarum rivorum vel aquarum, nisi sit consors et particeps ipsorum rivorum seu aquarum.

De eodem.

65. Statutum est quod siquis duxerit seu duci fecerit rivum vel aquam per civitatem vel districtum placen. taliter arceat et ducat ipsam aquam suis expensis quod non damnificet aliquam viam publicam vel privatam, nec det damnum alicui persone. Quod si contrafecerit condemnetur in

XL. soldis qualibet vice. Et nihilominus ad emendandum damnum passo in duplum teneatur.

De eodem.

66. Super questionibus aquarum et rivorum procedatur cognoscatur et terminetur per potestatem vel iudicem maleficiorum summarie, et de plano ac sine libello et strepitu et figura iudicii diebus feriatis et non feriatis: exceptis feriis introductis in honorem dei.

De eodem.

67. Item statutum est et diu observatum, quod partitores rivi qui dicitur de canalibus aptentur et manuteneantur a becharia sancte brigide infra expensis illorum quibus ipsi partitores seu rivi ipsorum partitorum pertinent. Et hoc potestas teneatur facere fieri infra mensem ab introitu sui regiminis. Ita quod aqua sufficienter et libere decurrat per rivum qui labitur subtus sedilia comunis, ita quod latrina ipsorum sedilium mundetur.

De eodem (1).

68. Omnes qui ducunt vel ducent aquas per rivos macinatores qui scavizant vel scavizabunt stratam Romeam, vel stratam de Rivalgario, vel stratam qua itur ad Sanctum Georgium, vel stratam qua itur ad Potentianum et Albarollam, vel stratam Cremonensem, vel stratam montenariam, teneantur facere super ipsis rivis ubi scavizant ipsas stratas usque ad festum S. Michaellis proxime venturi, vel quam cicius fieri poterit pontes de lapidibus et calcina ad voltas bonos et sufficientes amplitudinis sex brachiorum ad minus infra spondas, sub pena XXV. libr. plac. Que pena solvatur per illos ducentes ipsos rivos dividendo ipsam pro rata iurium inter ipsos. Et nichilominus ipsos pontes facere teneantur. Et potestas vel officialis ad hoc deputatus teneatur in pena quinquaginta libr. quam si secus fecerit incurrat ipso facto elapso dicto

(1) Le presenti rubriche 67ª e 68ª sono nelle stampe barbaramente confuse in una sola. I tre mss. sono concordi nella lezione qui data.

termino, inquirere et facere videri predicta. Et condempnare illos qui predicta neglexerint adimplere. Et potestas teneatur et faciat preconizari hoc statutum quolibet mense in pena predicta. Quam si secus fecerit incurrat ipso facto.

De eodem.

69. Omnes qui ducunt vel ducent aquas per rivos etiam macinatorios et alios quoscumque rivos vel adaquatoria, et scavizant vel scavizabunt aliquas stratas publicas vel privatas teneantur facere super ipsis stratis ubi scavizant ipsas stratas usque ad tres menses proxime venturos, vel quam cicius fieri poterit pontes ydoneos de bono lignamine sufficientes, ita quod possint libere et tute carezari et equitari, et fiant in medio cuiuslibet ipsarum stratarum sub pena centum sol. plac. Que pena solvatur per illos qui ducunt ipsos rivos seu adaquatorios dividendo ipsam inter ipsos pro rata iurium. Et nihilominus ipsos pontes facere teneantur. Et potestas seu officialis ad hoc deputatus teneatur in pena xxv. libr. plac. quam si secus fecerit incurrat ipso facto ellapso dicto termino inquirere et facere videri predicta. Et condempnare illos qui predicta neglexerint adimplere. Et potestas faciat preconizari publice quolibet mense dictum statutum in pena predicta. Quam si secus fecerit incurrat ipso facto. Salvo statuto quod loquitur de pontibus lapideis in certis casibus et stratis fiendis, quod in suis cassibus observetur.

De eodem.

70. Statutum est et diutius observatum, quod si quis acceperit aquam, vel extraxerit de aliquo rivo non suo, vel de rivo in quo habuerit partem eo die vel hora qua habere non debuerit, vel ultra suam partem quam habere debuerit, condemnetur qualibet vice in xl. soldis placen. et damnum emendet passo, et presumatur accepisse dictam aquam ille in cuius pratis vel terris inventa fuerit dicta aqua: et credatur domino dicte aque seu rivi, vel ei qui est in possessione vel quasi iuris dicte aque seu rivi suo sacramento de predictis et quolibet predictorum, et de damno proprio, et quantitate damni quam et quod receperit occasione predicta usque in viginti soldis placen. si fuerit oriundus de

civitate placen. et homo bone fame et conditionis: et ultra in quantum legitime poterit probare: et predictum statutum non vendicet sibi locum in aliquo molinario: videlicet quod suo sacramento credatur circa damnum et quantitatem damni.

De clusis non fiendis in rivis.

71. Nemo faciat in aliquo rivo clausam aliquam nisi de assidibus, in pena pro qualibet vice xx. sold. placen. Et nihilominus ad removendam dictam clusam teneatur.

De hiis qui non solverint partem rivorum suorum.

72. Statutum est et longo tempore observatum quod si plures homines fuerint habentes aquam seu rivum comunem, et unus vel aliqui dictorum consortum vel omnes duxerit vel duxerint dictam aquam, et fecerit cavum seu lectulum rivi vel canales vel alia necessaria que fuerint de necessitate causa ducendi dictam aquam, seu rivum; quod illi consortes qui non solverint, seu nolent solvere suam partem eis contingentem de dictis expensis necessariis cum consensu consortis vel ipso legitime requisito, et expectato legitimo tempore scilicet spatio trium dierum, non possit nec debeat uti dicta aqua, nec habere nec tollere suam partem dicte aque aliqua occasione vel modo, nisi primo restituat massario rivi vel illi qui dictas expensas fecerit dictas expensas ei contingentes: nec possit nec debeat habere aliquem cavum per quem possit extrahere aquam de dicto rivo : et si haberet dictum cavum, potestas vel eius iudices teneantur compellere eum vel eos facere explanare dictum cavum seu adaquatorium infra octo dies postquam fuerit sibi denunciatum. Et qui contra fecerit condemnetur, et teneatur potestas eum condemnare et auferre pro banno centum sold. placen. pro qualibet vice.

Quod potestas compellat consortes rivi ad dividendam aquam.

73. Statutum est quod si sint plures consortes habentes aliquem rivum vel aquam comunem, et aliquis eorum voluerit dividere et partiri dictam aquam per partitorium, quod potestas seu iudex maleficiorum compellant

infra brevem dilationem illos consortes qui nollent hoc facere dividere et partiri dictam aquam, et solvere suam partem dicti partitorii, et expensas que fierent in predictis: et interim ille ex consortibus qui fecerit ipsas expensas possit nihilominus interim retinere ipsam aquam et uti parte consortis quousque ipse expense fuerint restitute.

De quindenis aquarum.

74. Statutum est et magno tempore observatum quod quindena rivorum accipiatur ab illis qui habent ius accipiendi ipsam quolibet die veneris in occasu solis, et retineatur usque ad diem dominicam sequentem in occasu solis. Et quicumque aliter tenuerit vel acceperit ipsam quindenam, puniatur qualibet vice in XL. soldis. Et nihilominus teneatur emendare omne damnum ex hoc damnificatis.

De pertinentibus aquarum quindenam.

75. Ordinatum est et diu obtentum quod illi ad quos pertinet quindena aquarum, possint ipsam quindenam extrahere accipere et ducere per terras alienas solvendo estimationem terre cavi et lecti per quem accipitur et ducitur ipsa quindena domino seu dominis cuius seu quorum fuerit ipsa terra estimanda arbitrio boni viri.

De accipientibus quindenam non divisam.

76. Nulli liceat in pena soldorum sexaginta placentie pro qualibet vice accipere vel ducere aliquam quindenam ex aliquo rivo, nisi prius tota quindena dicti rivi fuerit divisa inter habentes ius ipsius quindene: que quindena dividatur inter habentes ius in ea: et habeat (1) quilibet de ipsa quindena pro rata iuxta quantitatem teste terre, et trabucorum teste terre contigue ipsi rivo: ad quam divisionem fiendam teneatur potestas seu iudex maleficiorum ad postulationem cuiuscumque habentis

(1) *Et habeat etc.* Il ms.° Pall. ha la variante: *Et habeat quilibet de ipsa quindena pro rata iuxta quantitatem teste terre, et trabuchorum teste terre quam habet ipsi rivo, faciendo ipsam divisionem iuxta numerum trabuchorum teste terre contingentis ipsi rivo.*

facere in ipsa quindena requirere seu requiri facere omnes habentes facere in ipsa quindena, et eis statuere certam diem pro termino ad ipsam divisionem fiendam per magistros. Et siquis non interfuerit dicta die non impediatur ob hoc dicta divisio, sed fiat per ipsos magistros iuxta formam prelibatam: de qua divisione et assignatione que fiet cuilibet et secundum quod fiet cuilibet conficiatur publicum instrumentum. Hoc adiiciendo quod illi qui solverint expensas predicte divisionis possint partem quindene non solventium retinere, et uti quousque solverent ipsarum expensarum partem suam. Et hoc statutum legatur in publica concione, et cridetur publice per civitatem semel in quolibet mense maii. Et teneatur potestas et iudex maleficiorum hoc statutum inviolabiliter observare in pena vigintiquinque librarum, quam incurrant ipso facto si secus duxerint faciendum.

De habentibus testam iuxta rivos.

77. Ad tollendas fraudes que fieri procurantur in quindenis extrahendis de rivis et ipsis dividendis, cum quidam habentes testam iuxta rivos, que testa est terra glarea vel gerbida que non consuevit laborari vel colligi nitantur habere quindenam iuxta numerum trabuchorum ipsius teste terrarum glarearum predictarum et gerbidarum, quod quidem est contra mentem illorum qui ipsas quindenas constituerunt pro eo quod quindena conceditur in recompensatione damni cavi rivi qui fit in terris alienis, quod in dictis terris glareis non debet sibi vendicare locum pro eo quod eis damnum non infertur ex predictis; declaramus quod tales teste terrarum glarearum et gerbidarum non computentur in ipsis quindenis, vel mensuratione seu divisione earum ut ex ipsis vel pro eis quindena aliqua extrahatur. Salvo quod si habentes ipsas terras glareas vel gerbidas vellent ipsas vel partem earum reducere ad laborerium sine fraude, tunc pro numero trabuchorum teste ipsius terre reducte ad laborerium habeant quindenam pro rata iuxta formam statuti loquentis de quindenis dividendis, quam quindenam non possint reducere nec uti nisi ad ipsas terras dumtaxat reductas ad laborerium. Et si de predictis vel aliquo eorum questio aliqua oriretur, possit et debeat cognosci per potestatem vel iudicem maleficiorum summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii et libelli oblatione quocunque tempore feriato et non feriato.

De datis et concessis iuribus aquarum fiendis per camerarium.

78. Omnia data et concessiones iurium aquarum facta et fienda per camerarium comunis placen. de quibus publico constiterit instrumento rata et firma sint. Salvo statuto quod loquitur de possessionibus vel quasi per xx. annos aquarum et rivorum, quibus per hoc statutum nullum preiudicium intelligatur esse factum.

De divisionibus aquarum.

79. Quando fiunt divisiones aquarum in episcopatu placen. teneatur potestas mittere unum ex iudicibus suis, videlicet iudicem maleficiorum qui intersit ipsis divisionibus ad hoc ut rixe et scandala que inde oriri possent evitentur.

De rivis civitatis terminandis et mitiplanandis.

80. Statutum est antiquum quod omnes rivi civitatis plac. qui non sint terminati vel mitiplanati, ad postulationem cuiuslibet cuius interest terminentur et fundentur et mitiplanentur per magistros aquarum et manuteneantur per illos qui ducunt aquam secundum quod terminati et mitiplanati fuerint per magistros aquarum. Ad que adimplenda potestas teneatur in pena xxv. librarum.

De traversis rivorum.

81. Item statutum est quod traversie rivorum qui labuntur per civitatem placentie, et maxime per burgum, ita aptentur quod carri et barotia possint duci per stratas iuxta dictos rivos commode sine detrimento bouum et plaustrorum.

De ducentibus aquam.

82. Statutum est quod nulla persona que inventa fuerit ire vel reddire per ripas alicuius rivi causa ducendi aquam ad adaquandum prata seu terras, seu causa custodiendi aquam rivorum, non possint nec de-

beant accusari, nec aliquo modo condemnari, dummodo non dederit seu non fecerit damnum in aliquibus rebus.

De impedimentis rivi comunis.

83. Statutum est antiquum quod omnes habentes pontilia, lapides, sedilia, sepes et bancha prestantia impedimentum in rivo comunis, qui labitur ad pallatium comunis ab ecclesia sancte brigide citra usque ad dictum palatium, teneantur et debeant penitus removere seu removeri facere, vel saltem ipsum rivum eorum propriis expensis mundare seu mundari facere, cum dicatur quod occasionibus supra scriptis dictus rivus non possit habere comode decursum.

Quod camararius comunis possit vendere aquas.

84. Statutum est et antiquitus observatum quod quilibet camararius comunis plac. debeat et possit vendere et concedere pretio consueto cuilibet persone civitatis plac. et episcopatus, que sit supposita iurisdictioni ipsius comunis et que factiones sustineat pro ipso comuni emere volenti, iura aquarum tam sortivivarum, scolaturarum, pluviarum et aliarum aquarum, quam fluminum civitatis et districtus plac. et emptor possit dictas aquas tollere et menare sua libera voluntate per terras alienas, habendo domini terrarum mendam damni eorum si voluerint, aut quindenam ipsius aque. Et hoc locum habeat tam in preteritis quam in futuris: salvo statuto quod loquitur de illis qui fuerint in possessione vel quasi per xx. annos continuos ducendi aquam seu in possessione vel quasi ipsarum aquarum vel rivorum.

De custodibus castrorum.

85. Si quis capitaneus vel custos comunis plac. proditione vel dolo perdiderit vel occupari permiserit per aliquos aliquod castrum, turrim, vel fortalitiam contra comune plac. capite puniatur, et bona eius nihilominus publicentur. Si vero pro mala custodia, puniatur arbitrio potestatis personarum et facti qualitate inspecta.

De capitaneo qui se absentaverit a custodia castri.

86. Si aliquis capitaneus vel custos alicuius castri vel loci se absentaverit a dicta custodia, vel minus bene custodierit puniatur arbitrio potestatis.

De villis non capientibus malefactores.

87. Quoniam iure testante negligere cum possis perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere: volentes eos qui negligunt prosequi et capere, malefactores penis debitis coercere, statuimus quod si aliqua robaria, vel homicidium facta vel factum fuerit in aliqua villa seu in aliquo loco districtus placen. vel eius territorio, teneantur et debeant homines dicte ville et loci in quo vel cuius territorio facta fuerit ipsa robaria et homicidium, et homines villarum et locorum circumstantium, videlicet locorum et villarum confinantium territorio dicte ville vel loci, postquam clamor fuerit levatus, currere et prosequi et capere ipsos robatores vel homicidas, et in fortia comunis placen. presentare, vel saltem si robaria facta fuerit predam ab eis auferre et recuperare, et eam restituere derobatis. Quod si predictos robatores vel homicidas non ceperint ut predicitur, puniantur omnes simul et coniunctim dicte ville et loci homines in xxv. libris placen. et nihilominus estimationem dicte robarie teneantur emendare passo damnum. Teneantur etiam omnes ville et loca per quorum territoria ducentur ipse robarie, postquam levatus fuerit clamor, ita quod ipse clamor possit in ipsis villis exaudiri, prosequi et capere ipsos derobatores vel saltem predam ab ipsis auferre et recuperare. Quod si predicta non fecerint teneantur contribuere ad solvendum ipsam penam, et ad emendationem damni cum villis et hominibus supradictis. Si vero percussio fieret cum ferro cum sanguinis effusione teneantur homines dicte ville vel loci in quo vel cuius territorio facta fuerit ipsa percussio, capere et in fortiam comunis sive potestati presentare percussorem in pena decem librarum placen. ipsi ville vel loco. Et si sine ferro et cum sanguinis effusione in quinque libris placen. ad quas contributiones condemnationum et emendarum etiam teneantur omnes nobiles in ipsis villis et locis seu territoriis eorum habitantes. Sed ad predicta pupilli et vidue minime teneantur: et predicta locum habeant non obstantibus aliquibus statutis provisionibus et reformationi-

bus hinc retro factis, que in predictis vel circa ea de cetero non vendicent sibi locum. Et si questio aliqua de predictis oriretur, possit et debeat cognosci summarie et de plano sine figura et strepitu iudicii et libelli oblatione, quolibet die feriato et non feriato. Et predictum statutum non vendicet sibi locum, si homines villarum de quibus fit mentio in dicto statuto non fuerint negligentes in capiendo dictos malefactores, et in recuperando dictas robarias. Et quod ubi dicit de pena xxv. librarum, intelligatur si villa fuerit a quinquaginta focolaribus supra: et si fuerit abinde infra usque in xxv. focolariis, in vigintiquinque libris: et si abinde infra, in decem libris placen. et quod statutum presens non vendicet sibi locum, si homicidium robaria vel percussio fieret extra habitationem dictarum villarum de nocte. Et ubi dicit supra de nobilibus intelligatur et de omnibus habitantibus pro maiori parte anni in dicta villa. Et predicta locum habeant in questionibus et litibus preteritis pendentibus et futuris. Et quod quilibet qui fecerit aliquod dictorum malorum propter quod dicte ville, seu aliqua earum fuerint condemnate, teneantur ad solvendum et restituendum dictis villis que propterea aliquid solverent occasione aliquarum condemnationum que propterea fierent, vel emendationem dictarum robariarum. Et quod potestas civitatis placentie qui nunc est et pro tempore fuerit, teneatur personaliter detinere dictum malefactorem, donec restituerit in pecunia numerata dictis villis totum illud quod dicte ville, seu aliqua earum solverint occasione dictarum condemnationum, vel damni emendationem cum expensis et damnis quod dicte ville propterea haberent et sustinerent.

De pena massariorum non capientium malefactores.

88. Statuimus quod si aliquod homicidium factum fuerit de die, videlicet a sono campane comunis que pulsatur in aurora diei usque ad tertium sonum ipsius campane que pulsatur in aurora sero in aliqua platea, strata, vel via civitatis placen. vel suburbiorum, et homines illius vicinie in qua fuerit dictum homicidium perpetratum non ceperint ipsum homicidam, et in fortiam potestatis non presentaverint, puniantur vicini dicte vicinie si fuerint in dicta vicinia a duodecim vicinis supra in xxv. libris placen. et ab inde infra in decem libris plac.

Et si aliqua ferita facta fuerit cum ferro cum sanguinis effusione,

puniantur in decem libris dicti vicini si non ceperint percussorem. Et si sine effusione sanguinis cum ferro puniantur in centum soldis. Et eodem modo si cum sanguinis effusione et sine ferro: et si dicta maleficia facta fuerint in domo alicuius, teneantur ipsi vicini postquam levatus fuerit clamor currere, et capere ipsum homicidam vel percussorem in penis predictis secundum quod dicta maleficia distinguuntur. Et omnes qui fuerint in domo predicta sive de nocte sive de die, teneantur dictum malefactorem capere vel saltem clamare alta voce post eum. Quod si non fecerint teneantur ad medietatem dicte pene, prout distinguitur supra in quolibet capitulo. Salvo quod habito respectu ad paucitatem numeri ipsorum vicinorum et qualitatem facti, potestas placen. dictas penas possit si sibi videbitur mitigare. Et ad predicta pupilli et vidue minime teneantur: que condemnationes vicinorum dividantur et solvantur per capita. Et predicta omnia et singula locum habeant non obstantibus aliquibus statutis provisionibus vel reformationibus hinc retro factis, que in predictis vel circa ea de cetero non vendicent sibi locum: et ad predicta non teneantur dicte vicinie vel vicini, quando minores sedecim annorum, vel publici ribaldi vel publice meretrices inter se ad invicem altercarentur vel percuterent. Et quod quilibet qui fecerit aliquod dictorum maleficiorum, propter quod aliqua vicinia fuerit condemnata, teneantur ad solvendum et restituendum dicte vicinie totum illud quod propterea dicta vicinia occasione dicte condemnationis solverit. Et quod potestas civitatis plac. qui nunc est et qui pro temporibus erit teneatur personaliter detinere dictum malefactorem, donec restituerit in pecunia numerata dicte vicinie totum illud quod dicta vicinia occasione dicte condemnationis solverit cum expensis, et damnum quod propterea dicta vicinia haberet vel sustineret: et ad quas penas solvendas contribuere teneantur omnes stationarii et becharii, sive tenentes stationem sive tabernas sive becharias in dictis viciniis quocumque nomine censeantur, non obstante quod in dicta vicinia non morentur cum familia: et que predicta sunt non vendicent sibi locum in vicinia sancte marie de bigollis.

De eodem.

89. Omnes massarii viciniarum civitatis placen. infra tres dies, et consules villarum et locorum districtus placentie infra quinque dies

teneantur denunciare potestati vel iudici maleficiorum omnia homicidia, feritas, et robarias, et incendia que facta fuerint: et in viciniis eorum quantum ad ipsos massarios, et in villis eorum seu territoriis ipsarum villarum, seu locorum quantum ad ipsos consules, in pena centum soldorum cuilibet massario et consuli qui predicta duxerit negligenda.

De pena incurrenda furanti canem.

90. Si quis furatus fuerit canem alterius vel occiderit, puniatur in centum soldis: et nihilominus teneatur ad restitutionem domino canis.

De pena fabricantium falsam monetam.

91. Quicumque fabricaverit vel fabricari vel fieri fecerit monetam falsam igne comburatur taliter quod moriatur. Qui vero monetam tonderit vel tondi fecerit incidatur ei manus, nisi comuni plac. solvat usque ad decem dies post condemnationem trecentas libras placen.

De eodem.

92. Qui monetam falsam dolose expenderit vel expendi fecerit a quinque soldis supra usque in decem soldis, puniatur in xxv. libris. A decem soldis supra usque in viginti soldis, puniatur in quinquaginta. A viginti soldis supra usque in quadraginta soldis, puniatur in centum libris. Et abinde supra in trecentis libris: quas trecentas libras nisi solverit usque ad dies decem post condemnationem, ab eo manus et pes abscindantur.

De imbreviaturis non vendendis.

93. Nullus audeat vendere vel emere aliquas imbreviaturas alicuius notarii vivi vel defuncti, in pena xxv. librarum tam emptori quam venditori. Et teneatur potestas hoc facere preconizari infra mensem ab introitu sui regiminis: et quilibet possit accusare: et habeat dicte pene medietatem.

10052142

De pena proditorum.

94. Quoniam de iure naturali est ut patrie pareamus, qua languente necesse est penates omnium condolere cui quilibet ut prosit nascitur, adeo ut non sint lugendi de iure si moriantur contra patriam venientes, toto nixu insistimus statutis prosequi comune excidium videlicet patrie affectantes, statuentes et omnes qui tractaverint vel ordinaverint publice vel privatim pacificum statutum civitatis, vel districtus plac. subvertere vel removere faciendo dolose, vel etiam ordinando rebellionem ipsius civitatis, vel alicuius castri vel fortalitie districtus placen. tanquam lese maiestatis rei et hostes patrie, capite puniantur. Et nihilominus bona eorum comuni placentie publicentur.

De eodem.

95. Statuimus ad conservationem status pacifici civitatis episcopatus et districtus placen. quod quecumque persona undecumque fuerit et cuiuscumque conditionis extiterit civis vel forensis, qui commiserit contra personas magnificorum dominorum Ioannis et Luchini civitatis plac. et episcopatus et districtus dominorum generalium, vel contra civitatem predictam, vel contra personam alicuius ex officialibus fecerit vel commiserit aliquam iniuriam realem personalem vel verbalem, vel unde vel cuius occasione status predictorum dominorum vel civitatis vel districtus ledi posset, lederetur, vel ledi videretur aliqua ratione vel causa, vel qui ab inimicis emulis vel tractantibus aliquid contra predictos magnificos dominos civitatis et districtus receperit nuncium litteras vel ambassiatam, vel cum eis tractaverit, nisi illico potestati civitatis vel ipsis dominis infra tres dies manifestaverit in persona et rebus ad arbitrium predictorum dominorum suorumque officialium irremissibiliter puniatur, facti et personarum qualitate pensatis. Et de predictis teneatur et possit cognoscere quilibet eorum officialis per accusationem, denunciationem, et inquisitionem, cum iudicio et presumptione quacumque levi ad tormenta ponere, et rei veritatem exquirere modis omnibus quibus potest: et punire et condemnare in havere et persona ut dictum est summarie, et de plano omni modo et forma quo aliquod predictorum melius possit inveniri, omni iure statutorum et ordinamentorum solemnitate vel sub-

stantia pretermissis, que omnia quantum ad predicta vel predictorum aliquid cassamus et irritamus expresse.

De pena prohibentium capi malefactores.

96. Si quis per vim vel metum illatum vel minas illatas per eum prohibuerit aliquem malefactorem capi per potestatem vel eius familiam vel alium officialem comunis placentie, seu captum per ipsos de manibus vel fortia eorum abstulerit, vel auferri seu aufugi fecerit, puniatur pena pecuniaria tantum arbitrio iudicis, inspecta qualitate personarum et delicti.

De pena talionis.

97. In accusationibus non habeat loeum prescriptio (1) fienda per accusantem, nec etiam accusans teneatur ad penam talionis, nisi de ipsa pena per statuta aliter sit provisum.

Qualiter quis debeat tormentari.

98. Quoniam ubi maius vertitur periculum cautius est agendum, proinde statuimus quod potestas vel eius iudices, seu aliquis ipsorum non possit nec eis liceat tormentare vel subiicere alicui generi tormentorum aliquem civem vel districtualem placen. occasione alicuius delicti sive maleficii, nisi prius receptis omnibus probationibus ab utraque parte si quas voluerint super maleficio, vel delicto vel eorum occasione producere quando proceditur per accusam, et nisi completa inquisitione, si per viam inquisitionis procedi contigerit: et tunc si per ipsas probationes apparverint legitime presumptiones et indicia manifesta, possit in tali maleficio vel delicto ad questiones et tormenta contra delinquentem vel malefactorem procedi: de quibus presumptionibus et indiciis an sint legitime priusquam ad tormenta procedatur cognoscatur per iudices potestatis, facto scrutinio privatim inter eos ad fabas albas et nigras, ita quod non possit decerni quis ponit fabam albam vel nigram. Et si maior pars ipsorum iudicum concordaverit quod sint legitime presumptiones

(1) *Prescriptio*. Il ms.° *Dominici* ha *inscriptio*.

et indicia possit modo predicto procedi ad questiones et tormenta. Alias supersedeatur ipsis questionibus et tormentis, et non procedatur ad eas: de quibus scrutinio declaratione et cognitione dictorum iudicum fiat ante ipsam torturam per unum ex notariis maleficiorum publicum instrumentum, adiicientes quod per solam famam non possit quis torqueri per potestatem vel eius iudices, seu aliquem alium officialem comunis plac. Et si potestas vel eius iudices seu aliquis eius officialis comunis placentie predicta non observaverit, incurrat quilibet eorum penam centum librarum placen. ipso facto. Et confessio et quicquid sequitur ex ea et omnis processus factus dicta solemnitate non servata sint omnino cassi, et non valeant ipso iure. Salvo quod predicta solemnitas non habeat locum quando proceditur contra aliquem occasione proditionis civitatis vel alicuius castri seu loci districtus plac. vel occasione homicidii, vel strate robate, vel furti, et assassinorum, et incendiariorum, habitis tamen super hoc legitimis indiciis. Et quod dominus potestas et iudex maleficiorum et aliquis eorum non possint aliquam personam ponere ad tormentum, nisi prius data sibi copia omnium inditiorum que contra talem personam habentur, si pro parte ipsius talis persone contra quam proceditur fuerint requisita, et auditis et receptis defensionibus suis prius predictis.

De fabricis non observantibus ligam.

99. Nullus artifex operetur de argento vel auro nisi secundum ligam et modum eis datum vel dandum per comune placen. nec in anulis ponat litazinum sub lapidibus annulorum, vel aliud per quod fraus aliqua committatur. In pena c. soldorum placen. et emendationis damni fiende illis qui ob hoc fuerint damnificati.

Quod quilibet officialis possit accusari durante officio.

100. Quilibet officialis comunis placen. exceptis iudicibus et familia potestatis, etiam durante officio suo possit coram potestate placen. a quocumque accusari vel denunciari, et contra eum inquiri de quovis crimine vel delicto, contra quem officialem potestas possit et teneatur cognoscere et procedere sine libello, summarie et sine strepitu et figura

iudicii diebus feriatis et non feriatis, quas accusationes et denunciationes potestas recipere et super eis procedere teneatur.

Quod iudex maleficiorum in causis civilibus possit sententiare de consilio sapientis.

101. Statuimus quod in omnibus accusis causis denunciationibus que ventilarentur coram iudice maleficiorum in quibus non applicatur aliqua pena pecuniaria comuni placen. nec aliqua pena corporalis ingeratur, dictus iudex maleficiorum per se cognoscere et diffinire, sententiare ad banchum possit et debeat consilio sapientis partibus non suspecti, si de hoc ab aliqua partium fuerit requisitus: absque eo quod sententia feratur in consilio generali vel etiam in publica concione comunis placentie.

De pena capientium columbos

102. Puniatur in centum soldis qui ceperit columbos domesticos in civitate placen. vel districtu pro qualibet vice: quam penam incurrat ipso facto: et quilibet possit accusare, et habeat medietatem banni.

Quod non teneantur bestie infra confinia.

103. Item statuerunt quod nulla persona collegium vel universitas audeat tenere infra confinia civitatis plac. a calendis aprilis usque ad medium mensem octobris castronos vel capras aliquas, vacchas de bravaria, vel pecudes vel montonos in pena librarum decem totiens committenda quotiens contrafactum fuerit.

Salvo quod cuilibet liceat tenere ipsas in ipsa civitate placen. pasculare ultra padum et aliter non: et salvo quod quilibet possit tenere bestias suas tantum super quibuscunque terris suis tantum infra dicta confinia. Et si iverit ad pasculandum super alienis terris, incurrat penam predictam quotiens fuerit contrafactum exigendam per eum vel ad postulationem eius in cuius terris dicte bestie invente fuerint et non aliter: que pena pro dimidia dicto tali applicetur.

104. In libro registri litterarum transmissarum per illustrem et excelsum dominum nostrum tempore regiminis domini lutherii de rusconibus potestatis civitatis placen.

Dominus mediolani et cetera comes virtutum imperialis vicarius generalis.

Recepimus pridie litteras vestras, et audivimus ambassiatores vestros quos ad nos misistis (1) pro facto provisiones et statutorum que pro conservatione pacifici status civitatis et districtus nostri placen. feceratis, super quibus vobis respondemus quod provisiones et statuta predicta videri et examinari fecimus, et ipsa corrigi et reformari secundum tenorem quem vobis mittimus his inclusum, secundum quem tenorem ipsa approbamus et ratificamus et confirmamus, volentes et vobis mandantes quod ipsa inseri faciatis in volumine statutorum comunis nostri, et illa observetis et observari faciatis inviolabiliter. Datum papie. XI. novembris M.ccc.lxxxii. Andriolus. S. a tergo. Egregiis et nobilibus viris D. potestati militi, et S. Mattheo de pescia capitaneo episcopatus, necnon Sapientibus nostris placentie.

Infrascripta sunt statuta ordinamenta additiones provisiones et correctiones facta et facte ad reformandum malitias bannitorum.

105. Imprimis attento quod secundum formam statut. comunis plac. etc.

De feritis in vultu.

106. Item ad hoc ut formidine pene quilibet malefactor causam habeat se abstinendi a maleficiis, providerunt statuerunt et ordinaverunt, quod statuto loquenti de percussionibus cum armis et sine effusione sanguinis addatur, videlicet si percussio facta fuerit in vultu et cum armis et cum sanguinis effusione, et ex qua cicatrix remanserit in vultu, puniatur dictus percussor in libris quinquaginta placentie pro quolibet vulnere ex quo dicta cicatrix in vultu remanserit.

Littere ducales.

Dux Mediol. etc. papie anglerieque comes ac ianue dominus.
Misistis nobis vos deputati compillata nuper septem statuta tenoris

(1) *Misistis.* I sette capitoli o rubriche che seguono concessi da Filippo Maria Visconti nel 1431 non trovansi nei mss. uniti al libro V. ma separati, siccome di data molto meno remota.

his inclusi que petiistis confirmari per nos et mandari ut in aliorum hic statutorum volumine inseri debeant et describi. Nos autem ea per doctores consilii nostri videri fecimus, et quia reperta sunt in honesta forma et conveniente consistere, ipsa ut iacent ad litteram presentium tenore confirmamus contenti, et volentes quod in aliorum illic volumine statutorum inserantur; et ad contextum praticentur et serventur: eorum tamen emendationem correctionem reformationem additionem et diminutionem mutationem declarationem interpretationem nobis et auctoritati nostre reservamus: primi autem initium est ut aliorum culpa minime aliis nocere possit: ultimum autem finit vel decretis quibuscunque non obstantibus: Signataque sunt per spectabiles et famosos iuris utriusque doctores dominos franchinum de castiliono et tadiolum de vicomercha-to consiliarios nostros dilectos. Datum cusaghi die. xi. aprilis. M.cccc.xxxi. Franchinus Ioannes: a tergo continetur: Nobilibus et prudentibus viris potestati, et deputatis ad negocia comunis civitatis nostre placen.

De pena ponentium ignem in aliquibus stipulis et cetera.

107. Ut aliorum culpa minime aliis nocere possit, quicunque posuerit seu poni fecerit ignem in aliquibus suis stipulis nemoribus vel similibus et ignis propter propositum damnum fecerit alicui, teneatur ignem ponens damnum in duplum emendare damnum passo. Et ad dicti damni probationem admittantur et idonei reputentur testes coloni, massarii, fictabiles, famuli, et socidani.

De pena exportantium ligna de nemoribus alicuius absque licentia etc.

108. Ut infrascripta ligna maxime utilia non exportentur, quicunque abstulerit et destruxerit robores quercus et alia lignamina de nemoribus alienis sine licentia domini, puniatur et condemnetur pro quolibet carro seu magno seu parvo in soldis sedecim denar. placen. et ad emendationem damni. Item quicunque destruxerit salices francischos et piantonos, et in sedumina novella, solvat comuni placen. soldos xx. pro quolibet salice et piantono: et pro qualibet arbore fructifera soldos quadraginta comuni placen. et intelligatur abstulisse de alienis, nisi probaverit ha-

buisse de propriis vel conductis: et ultra hoc emendet in duplum damnum passo.

De pena intrantium vineam alicuius tempore uvarum etc.

109. Ut aliena interrumpendi materia tollatur. Quicunque intraverit vineam seu fillagnos alicuius tempore uvarum sine presentia vel licentia illius ad quem spectant, solvat pro introitu soldos xx. plac. Cuius pene medietas sit accusatoris, et alia medietas sit comunis placen. nisi intraverit causa eundi ad aliquam suam terram vel eius qui ipsum mitteret, cum ad dictas terras aliunde iri non possit. Et si de die uvas abstulerit, solvat sex denarios de singulis uvis damnum passo: si vero de nocte solvat per introitu soldos xl. cuius pene medietas sit comunis et alia accusatoris ut supra pro qualibet uva xii. denarios damnum passo. Et in casibus predictis pater teneatur pro filio, frater pro fratre, et dominus pro famulo. Et quicunque penes quem reperte fuerint uve qui non habuerit vineas seu fillagnos, intelligatur uvas abstulisse de alienis. Et si non constiterit ex cuius vineis vel filagnis abstulerit, solvere teneatur comuni plac. soldos quadraginta pro introitu, pro qualibet uva duodecim denarios, nec liceat alicui portare de districtu plac. uvas exceptis lugiariis ad vendendum in civitate plac. nec ad aliquem locum super districtu ante festum sancte marie de mense septembris sub pena soldorum xx. pro qualibet bestia et soldorum x. pro qualibet persona sive bestia. Et quilibet habitans in villis tenens canes teneatur eo tempore quo sunt uve super vineis tenere ipsis canibus ad collum unum tramaiolum longitudinis unius brachii cum dimidio, ut impediantur canes intrare vineas in pena soldorum x. pro quolibet cane applicanda comuni pro qualibet vice qua inventi fuerint canes sine dicto tramaiolo. Possint tamen dicti tramaioli amoveri a canibus tempore venationis.

De pena dantium damnum et guastum cum eorum bestiis.

110. Ut aliorum negligens custodia damnum aliis non inferat, si boves, equi, asini, pecudes, capre, porci, vel alie similes bestie alicuius cuiuscunque sexus intraverint aliquas terras alienas prativas, seminatas, vineatas, clausuratas, seu ortivas quocunque tempore anni, ille cuius

fuerint dicte bestie, solvat comuni placen. pro singulis eorum seu parvulis seu magnis soldos duos pro quolibet capite: et ultra teneatur emendare damnum passo: nec etiam liceat alicui cuiuscunque conditionis existat ire vel mittere ad pasculandum super aliquibus terris alienis gerbidis stipulis et cultis sive culturis sine spetiali licentia domini cuius sunt dicte terre. In pena soldorum duorum pro qualibet bestia, et pro qualibet vice, que applicetur parti, nisi talis pasculans vel ille de cuius mandato pasculatur talem honorantiam pasculandi et pasculari faciendi habuerit. Et credatur sacramento eius cuius fuerint dicte terre de pasculatione et quantitate bestiarum secundum formam statuti de quo infra. Et si bestie ignote absque custodia reperirentur in terris alienis, possint propria auctoritate consignari penes consulem ville per eum qui fuerit damnum passus, expensis domini ipsarum bestiarum. Et consul ipse eas bestias custodire teneatur expensis ut supra.

De pena massariorum et aliorum tenentium maiorem quantitatem porcorum.

111. Ut etiam ingenio damnis provideatur; nullus sive civis sive districtualis sive aliunde sit et cuiuscunque conditionis sit, audeat nutrire vel nutriri facere porcos vel porcas in maiori quantitate quam infra est expressum: videlicet quilibet habens seu laborans vel laborari faciens perticas centum terre proprias vel conductas, et sic pro laborerio unius paris bovum, unam porcam a rotio cum omnibus porzellis ex ea natis intra annum. Et ulterius tenere possit tres porcos pro carnibus ex porcellis anni precedentis, et non ultra. Si vero dictam porcam a rotio non tenuerit possit tenere sex porcos a carnibus qui mazales appellantur. Et habens seu laborans vel laborari faciens ducentas perticas, et sic pro laborerio duorum parium bovum possit tenere duas porchas a rotio cum omnibus porcellis ex ea natis intra annum ut supra, et porcos sex a carnibus ex porcellis anni precedentis et non ultra. Si vero dictas porcas non tenuerit, possit tenere mazales duodecim et non ultra: et habens seu laborans vel laborari faciens quinquaginta perticas terre, et sic pro laborerio unius paris vaccharum possit tenere porcos tres a carnibus ex porcellis anni precedentis et non ultra. Et quilibet bracentus non laborans cum bestiis, possit tenere porcos duos tantum pro carnibus. Et

hoc in pena et sub pena soldorum quadraginta pro quolibet porcho vel porcha, et ultra in amissione porchorum et porcharum, cuius pene medietas sit comunis placen. et alia medietas sit accusatoris cum uno teste. Si vero massarii nollent tenere porchos et porchas supra taxatos et taxatas, liceat dominis terrarum dare taxatam quantitatem bracentis morantibus in dicta villa. Et predicta non habeant locum in habentibus boschos a glandinibus. Qui secundum quantitatem boschorum possint tenere et teneri facere porchos et porchas in dictis boschis. Per presens tamen statutum non intelligatur concessa potestas massariis tenendi porcos vel porchas etiam secundum taxam suprascriptam, invito domino.

De modo observando circa probationes damni et guasti dati et facti.

112. Ut facilior sit damnorum omniumque contentorum in his novis statutis probatio, ubicunque supra est dictum de damnis datis, seu de eorum contentis, quorum intersit probatio, credatur damnum passo cum sacramento si fuerit civis de damno et quantitate damni, etiam de credulitate usque ad quantitatem soldorum centum den. plac. et de tribus vicibus in mense. Si vero fuerit rusticus seu districtualis, non credatur eius sacramento nisi perticas centum terre per allodium habuerit ut supra dictum est. Et ad condemnationem procedatur facta accusatione, et iurata in presentia accusati vel contumacia omni alia solemnitate obmissa: possint etiam notarii maleficii accipere ab accusato soldos quatuor denar. placen. pro qualibet dictarum trium accusarum.

De fide danda libris dominorum contra massarios socidanos.

113. Ut etiam facilior sit probatio creditorum que quandoque fiunt sine testibus et instrumentis, credatur libro domini cum sacramento usque in modiis quatuor bladi, et libris x. placen. contra massarios, emphitheotas, conductores socidanos. Et hoc ultra illud de quo apparet per instrumentum vel testes inspecta qualitate libri et persone scribentis.

De observatione suprascriptorum statutorum.

114. Item quod predicta et quelibet predictorum locum habeant, aliquibus statutis vel provisionibus vel decretis quibuscunque non obstantibus (1).

---

(1) Qui termina il ms.° Pall. ossia del 1336. Ond' è che il libro VI. che segue verrà esemplato sopra il ms.° *Donnici*, e sopra un altro dell' Archivio Comunale.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.

10052142

INCIPIT SEXTUS

De ponderibus mensuris staderis et cetera.

1. Quia publice expedit mensuras esse rectas, cum ea mensura qua quis messus fuerit metietur et sibi, iuxta evangelicam veritatem: proinde statuimus quod iudex vel officialis ad victualia deputatus teneatur in pena vigintiquinque librarum placen. infra mensem a die inceptionis sui officii, videre et examinare diligenter omnes mensuras bladi, vini, olei, carbonum, pannorum, terrarum, staderias, ballantias, libramina, pondera, et omnes alias mensuras et pondera cuiuscunque conditionis existant, et punire non habentes predicta recta secundum formam statutorum et provisionum comunis placen. et ea facere ratificari et bullari signo comunis placen. si alias bullata non fuerit signo comunis placen. seu potestatis placen. Et si reperta fuerint bullata signo comunis placen. seu potestatis placentie et iusta, non debeant bullari de novo: et hoc in pena et sub pena cuilibet officiali contrafacienti librarum vigintiquinque pro qualibet vice si semel bullata et iusta, de novo bullari fecerit, vel aliquem molestaverit dicta occasione.

De eodem.

2. Volumus quod mensura pertice rationatorie, et qua mensuratur terra, et mensura passi ex qua mensuratur pannum signentur et sculpiantur in columnis lapideis seu muro pallatii comunis plac. cum caniculis ferreis a quolibet capite, ita et taliter quod non possint minui vel mutari.

De eodem.

3. Vegiolla vini in qua venditur et ducitur calzina sit capax sedecim stariorum ad minus: et qui contrafecerit puniatur in viginti soldis plac. Et ipsa vegiolla in platea comunis comburatur. Calzina vero florata que venditur ad starium vendatur ad starium culmum bullatum per comune, qui sit cappacitatis starii ad qui venditur bladum. Qui autem secus fecerit puniatur qualibet vice in v. soldis.

De agrimensoribus.

4. Quilibet agrimensor civitatis placen. et districtus qui officium voluerit exercere mensurandi, teneatur infra mensem coram potestate vel iudice victualium iurare de faciendo dictum officium bene et legaliter: et teneatur habere unam perticam rationatoriam rectam et ferratam ab utroque capite, in pena sexaginta soldorum placentie.

De urnis bullandis.

5. Teneantur omnes portatores et mensuratores vini habere urnos bullatos bulla comunis, in quibus sit signum mensure unius starii, et duorum stariorum, cum spinetis sitis in ipsis signis ad hoc ut vinum iustius et melius mensuretur in pena ipsis mensuratoribus xx. soldorum placen. pro qualibet vice.

De pena non habentium iusta pondera.

6. Nulli liceat vendere aliquid ad pondus vel mensuram, nisi ad mensuram et pondera per comune placentie approbata, in pena centum soldorum placen. qualibet vice: qua pena condemnetur revenditor habens dictas mensuras vel pondera minus iustas. Et quilibet possit esse accusator et habeat medietatem pene.

De penis bechariorum ponderantium non iuste.

7. Mitigantes statuta que loquuntur de bechariis vendentibus carnes recentes, et aliis vendentibus carnes salitas seu caseum, et minus iuste

ponderantibus, volumus quod si carnes recentes vel salite vel caseus minus iusto pondere vendetur, quod venditores condemnentur hoc modo: videlicet quod si invenietur una onzia vel minus una onzia iusto pondere, condemnetur in decem soldis.

Si minus duabus onziis et ultra unam onziam, condemnetur in soldis viginti. Si a duabus onziis supra, condemnetur prout in aliis statutis comunis placen. continetur: et hoc locum habeat ad pendentia et futura.

De villis que habere debeant unum starium.

8. Quelibet villa habeat unum starium ad minus, et unum stopellum bullatos bulla comunis: qui sestarius et stopellus sint in custodia consulis illius ville ad hoc ut omnes illius ville, et habentes facere in ea valeant eis uti, in pena quadraginta soldorum, cuius medietas sit accusatoris: et hoc statutum faciat cridari quilibet potestas semel tantum in suo regimine in die merchati et in ipso merchato. Et quod officialis super hoc deputatus non possit contra dictas villas procedere vigore presentis statuti, nisi solum per accusam vel denunciationem que coram eo fieret per aliquem ex vicinis dicte ville, qui accusaret vel denunciaret sub pena dicto officiali librarum decem.

De bladis et leguminibus.

9. Statuimus quod omne bladum et legumina, et blada et granum que de cetero mensurabuntur, ex quavis causa, mensurentur hoc modo: videlicet quod sestarius frumenti abradatur per totum desuper cum rasura vel canella usque ad ferrum, et spondas sestarii: et pro benedictione detur unus stopellus pro quolibet sestario dictarum rerum. Salvo quod predicta non habeant locum in avena et aliis rebus, que consueverunt mensurari ad starium culmum.

De mensuris.

10. Statutum quod loquitur de mensuris et ponderibus bullandis intelligimus et intelligi volumus, quod exercentes artes seu misteria seu officia emendi vendendi et revendendi tantum teneantur ipsa pondera

et mensuras facere bullari, seu habere bullatas iuxta formam statuti. Et locum habeat ad pendentia et futura.

De vendentibus sabulum.

11. Vendentes sabulum et credam teneantur mensurare ad sestarium culmum comunis ad quod venditur frumentum: et portare saccos capaces unius sestarii culmi in pena viginti soldorum.

De fornasariis.

12. Habeant et vendant fornasarii civitatis et episcopatus placen. cuppos quadrellos et tavellas secundum modum consuetum: et teneant separatim cuppos quadrellos et tavellas cottas a biscottis: et biscottas non vendant pro cottis: et qui contra predicta fecerint puniantur in decem soldis pro qualibet vice.

De revenditoribus cupporum.

13. Nulli liceat revendere nec emere causa revendendi cuppos quadrellos vel tavellas novas in pena x. librarum, quam si secus fecerit incurrat ipso facto, et possit a quolibet accusari: cuius pene medietas sit accusatoris, et intelligatur revendere si ipsos tenuerit alibi quam ad fornaces.

De capientibus perdicem.

14. Statutum est antiquum quod nullus capiat perdicem, leporem, vel fasanos per nivem vel ad tradimentum a duodecim miliariis citra versus civitatem in pena sexaginta soldorum. Cuius pene medietas sit accusatoris. Et potestas teneatur hoc facere cridari bis in suo regimine.

De rebus prohibitis extrahi civitatem vel episcopatum.

15. Statutum est quod galla non possit extrahi vel exportari facere extra civitatem et districtum placentie sine bulleta comunis placen. in pena decem librarum: et in amissione ipsius galle, et quilibet possit accusare, et habeat medietatem pene.

De eodem.

16. Ubicunque prohibetur per statuta aliquid extra civitatem vel districtum plac. extrahi vel exportari sub certa pena, volumus quod quilibet accusare possit: et habeat medietatem pene et rei amisse, nisi in statuto aliter caveatur.

De eodem.

17. Nulli liceat ducere seu duci facere vel vehi extra districtum placentie victualia, videlicet blada, legumina, vinum, carnes mortuas, boves, porcos, oves, capras, seu alia animalia, caseum nostranum: in pena vigintiquinque librarum, et amisssionis rerum predictarum prohibitarum et animalium, et carrorum portantium seu ducentium ipsas res. Et quilibet possit accusare: quarum rerum et penarum medietas sit acccusatoris: et alia medietas sit comunis.

Salvo quod si predicte res ducerentur ex alieno districtu ad civitatem placentie, possint gabellis ac doanis solutis extrahi de civitate placen. et districtu cum licentia et bulleta.

De eodem.

18. Nullus ducat vel exportari faciat extra districtum placen. asongiam, ligna, carnes, boves, pennas, ramum vetus, vel ramum laboratum, filum seu capitia, pelles pilosas excoriatas in civitate placen. vel districtu, sub pena sexaginta soldorum et amissionis rerum.

De eodem.

19. Statutum est quod qui ducet vel duci faciat extra districtum placen. res prohibitas, condemnetur in decem libris placen. et amissione rerum prohibitarum: et possit per quemlibet accusari: cuius pene medietas sit accusantis: nec possit dari licentia per potestatem vel eius familiam vel alium officialem comunis placen. de ipsis rebus ut predicitur extrahendis, nisi hoc procederet a consilio generali: et nihilominus potestas, et quilibet alius officialis qui contrafecerit, puniatur in vigintiquinque libris: salvo quod si in ipsis rebus prohibitis alie pene sint

imposite per statuta comunis placen. ipse pene in casibus expressis vendicent sibi locum.

De mulinariis et eorum fanticellis.

20. Quilibet mulinarius, fanticellus seu granarolus teneatur ire ad domum cuiuslibet requirentis pro accipiendo blada ad macinandum, et ea deferre ad molendinum, et macinare, et facere et reddere bonam rationem et mensuram de farina secundum quod bladum fuerit sibi datum, sive ad pondus sive ad mensuram. Quod si malam redderet rationem, vel mensuram, condemnetur qualibet vice in x. sold., et teneatur emendare domino bladi damnum: de quibus credatur domino vel fanticello, vel illi qui tradiderit granum ad macinandum simplici verbo eorum, vel alicuius eorum sine alio iuramento. Eadem pena puniatur si requisitus recusaverit portare bladum ad molendinum causa macinandi.

De eodem.

21. Nullus molinarius teneat vel habeat in molendinis vel domibus vel habitationibus staderias, pondera, starium, minam, vel quartarium, in pena viginti soldorum placen. et possit accusari a quolibet, et accusator habeat medietatem banni.

De eodem.

22. Potestas seu iudex victualium teneatur iurari facere mulinarios, granarolos, quod postquam molas molendini pichaverint, antequam macinent de alicuius grano de suo purgabunt et preparabunt bene molas pichatas. Alioquin dictus potestas seu iudex auferre teneatur a quolibet contrafaciente quinque sold. pro qualibet vice.

De molinariis.

23. Nullus mulinarius audeat vel presumat tenere granum vel farinam ultra quintam diem postquam dictum bladum ad molendinum portaverit causa macinandi, et solvat pro modio quinque soldos pro qualibet vice, nisi iusto impedimento remanserit.

De eodem.

24. Quilibet mulinarius civitatis placen. et suburbiorum habens molendinum in ipsa civitate vel suburbiis, teneatur et debeat habere in capite superiori canalium dicti molendini unum rastellum lignaminis, qui protendat ab una ripa usque ad aliam ripam propter periculum personarum, et propter multa alia pericula: In pena vigintiquinque soldorum placentie pro quolibet molinario.

De reficientibus carrum feni.

25. Nullus reficiat carrum feni aliquem venalem, in pena decem soldorum: cuius medietas sit accusatoris.

De barberiis.

26. Quilibet barberius teneatur portare bacinum ad domum cuiuslibet pro radere, non obstantibus aliquibus statutis seu preceptis factis vel fiendis per ipsos barberios seu consules barberiorum: In pena quinque soldorum cuilibet barberio, pro qualibet vice qua duxerit contrafaciendum.

De exigenda a certis villis securitate victualium.

27. Statuimus et ordinamus quod potestas seu iudex ad victualia deputatus, teneatur infra mensem ab introitu sui regiminis compellere, et coram se facere venire consules villarum placen. cum duobus vicinis Roncharoli, cum quattuor vicinis sancti Nazarii, cum duobus vicinis Corticellarum, Pollignani, S. Petri in cerro, S. Martini in olzia, Boseti, zegniani, curtis maioris, florenzole, cum quattuor vicinis Seni cervi, cum duobus vicinis castri novi de seno, cum duobus vicinis casali albini, vigolleni, vallis tarii, castri arquati, cum quattuor vicinis bardi, montepiogii, castri sancti ioannis, cum quattuor vicinis montis donici, pontis arbarolle, cum duobus vicinis Ripe, carmiani, fontane predose, vicibaroni, montis albi, vicimarini, ziliani, sarmati, montisellarum versus papiam suprarivo, Burginovi, corani, nibiani, caminate de ruino, troie, sancti imenti, calendaschi, cotrevie, rottofredi, sarmati, guardamilii, et fom-

bii, mezani, caverzaghi, travani, pelli: et ab eis et quolibet eorum locorum exigere, et facere prestare idoneam securitatem, de prohibendo toto posse, quod victualia et res prohibite non extrahantur vel exportentur extra districtum placen. et quod denunciabunt infra tertiam diem omnes exportantes et res exportatas, in pena arbitrio potestatis. Salvo quod ad predicta non compellantur ille ville seu loca ex predictis que sunt inhabitate, quamdiu fuerint inhabitate.

De licentia conducendi vinum.

28. Potestas vel iudex victualium possit et debeat cuilibet civi seu districtuali civitatis et episcopatus placen. licentiam concedere vinum conducendi ad villas positas de subtus stratam pro suo victu, vel causa vendendi ad minutum, cum penitus careant vino, prestita prius idonea securitate quod dictum vinum taliter concessum non trahent nec trahere intendunt extra civitatem et districtum placen. et etiam de hoc prestito sacramento. Et idem servetur in aliis civibus et districtualibus civitatis et episcopatus placen. stantibus in villis a strata romea supra, servata dicta forma statuti.

De eodem.

29. Quicunque duxerit bestias de districtu alieno ad vendendum in civitate placen. et eas non vendiderit, eas possit ducere et reducere ad domum eius seu villam et locum ubi habitat impune sine molestia aliqua vel bolleta.

De eodem.

30. Liceat omnibus pergomaschis (1) et aliis personis undecunque sint qui venerint in episcopatu placen. causa pasculandi bestias et residentiam habendi sine aliquo impedimento finito pascuo cum bestiis exire de ipso episcopatu libere et ire ubicunque voluerint habita licentia et bulleta et gabellam debitam persolvendo.

---

(1) *Pergomaschis.* Il ms.° *Dominici* ha *pergamensibus.*

De bestiis ducendis.

31. Si quis merchator vel aliqua alia persona duxerit vel duci fecerit ad civitatem placen. aliquas bestias cuiuscunque conditionis existant que non sint de civitate vel districtu placen. possint et debeant ipsas ducere extra civitatem placen. et districtum cum licentia et bulleta, solvendo gabellam et doanam debitam, seu pedagia gabellatoribus.

De blado emendo et vendendo.

32. Quicunque volens ducere bladum (1) vel legumina in civitate placen. de alieno districtu, possit predicta libere ducere et impune non obstantibus aliquibus repressaliis gabellis seu datiis a quibus omnibus sit absolutus. Et predicta vendere teneatur et possit quandocunque voluerit in locis consuetis.

De eodem.

33. Nulli liceat emere bladum in civitate placen. vel episcopatu causa revendendi in pena centum soldorum: et amittat bladum, et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De eodem.

34. Potestas seu iudex victualium possit inquirere et procedere contra eos qui sunt infamati, et qui dicuntur revenditores bladorum, et qui dicuntur ducere bladum seu victualia extra districtum placen. contra formam statutorum comunis placen. et ipsos punire et condemnare secundum formam statutorum comunis placentie summarie, et de plano sine strepitu et figura iudicii.

De non debentibus excoriare bestias in civitate.

35. Nullus possit vel debeat excoriare vel excoriari facere aliquem

(1) *Bladum.* I mss. hanno *blavam.*

equum vel equam, asinum vel asinam, vel aliquas alias bestias, vel proiicere eas in civitate seu fossatis novis, vel prope ipsa fossata per unam balistratam in pena viginti soldorum pro qualibet vice: et quilibet possit esse accusator, et habeat medietatem banni et teneatur privatus.

De calderariis.

36. Liceat cuilibet calderario et cuicunque alie persone ire ad mercata tam civitatis quam districtus placentie quotienscunque et quandocunque voluerit cum opere suo et utensilibus de ramo, et ea vendere cuilibet volenti emere in eis mercatis impune. Et quod omnia vasa magna et parva et vasella et opera rami fiant de ramo cum osellis et aliis necessariis, excepto manicho qui possit esse de ferro ponderis convenientis vasello. Et quod signetur in manicho quanti ponderis sit ipse manichus: et hoc sub pena xx. soldorum pro quolibet vase seu opere: et teneatur potestas seu iudex victualium inquirere et circare singulis mensibus si in predictis fuerit contrafactum. Et hec omnia fiant non obstante aliquo statuto ferrariorum seu calderariorum vel alio predictis contrario.

De revenditoribus.

37. Nemo ex revenditoribus vadat vel mittat obviam alicui deferenti aliquas res comestibiles causa vendendi, nec ab eis per se vel alium emat tali modo, nec etiam ipsis revenditoribus liceat in diebus mercati aliquid emere de predictis in ipso merchato vel alibi in civitate vel suburbiis ante nonam, nec ad domum ipsorum revenditorum aliquid de predictis facere portari ab ipsis venditoribus in pena xx. soldorum et amitendi res emptas. Et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et ipsarum rerum: et cridetur hoc statutum singulis mensibus in platea maioris ecclesie, et in platea burgi.

De candelis de sepo.

38. Omnes vendentes candelas de sepo teneantur ipsas facere de bono sepo sine assongia vel grassa porci bonas et legales ad sufficientiam, ita quod habeant stopinum de bambasio novo, et non possint accipere

ultra decem denarios pro libra in pena et banno quinque soldorum pro qualibet libra et amittendi candelas. Et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Et potestas seu iudex victualium faciat hoc statutum observari in pena et banno vigintiquinque librarum, quam penam incurrat ipso facto si secus duxerit faciendum.

De eodem.

39. Teneantur candelarii et facientes seu vendentes candelas de sepo, continue tenere et habere ante stationem vel domos eorum ex ipsis candelis, videlicet decem libras per se, ita quod a singulis videri possint, et in domo quindecim libras. Et si contrafecerint et reperte non fuerint in domo sua vel statione, condemnentur pro qualibet vice in soldis viginti placentie, et in amissione candelarum.

De paraticis.

40. Nullus paraticus fiat de novo: quod si secus factum fuerit non valeat ipso iure. Et hoc non habeat locum in laborantibus seu operantibus lanam seu lanificium.

De nundinis.

41. Nundine fiant singulis annis in principio mensis octobris in campis ferie: et potestas teneatur per unum mensem ante tempus ipsarum nundinarum consilium generale facere de modo et forma faciendi ipsas nundinas. Et secundum quod ipsi consilio placuerit procedatur.

De victualiis conducendis ad quemlibet exercitum.

42. Quilibet possit libere et impune portare et portari facere, et conducere victualia cuiuscunque conditionis sint ad quemlibet exercitum qui fieret in districtu vel extra districtum placentie per comune placentie, absque solutione alicuius gabelle seu datii: ut in ipso exercitu maior abundantia victualium habeatur.

De furnariis.

43. Furnarii placentie non possint pro coctura cuiuslibet starii panis ultra quinque denarios accipere.

De eodem.

44. Statutum est antiquum ad refrenandum fraudes que quotidie comittuntur per furnarios circa officium eorum seu ministerium, quod quilibet furnarius civitatis placentie et districtus teneatur et debeat facere panem venalem bene coctum, bene asasonatum ad pensam que assignabitur eis per dominum potestatem seu officialem deputatum: et si quis repertus fuerit tenere panem venalem minus ponderis unius quarterii, propterea non condemnetur. Et si minorem unius quarterii supra usque in mediam onziam, solvat pro banno xii. denarios pro quolibet pane: de minore dimidia onzia usque in unam onziam, duos soldos pro quolibet pane. Et de minore duabus onziis, et abinde supra, solvat bro banno quinque soldos pro quolibet pane. Et predicta locum habeant etiam in pane de tessera, et in pane qui est in pasta super assidibus: in quibus casibus etiam amittant dictum panem. Salvo quod predicta non habeant locum, nec possint condemnari si in una cocta panis que est trium stariorum, non inveniuntur ultra octo panes in dictis ponderibus defectivi, nisi defectus esset pro quolibet pane ultra unam unziam.

De eodem.

45. Quilibet furnarius teneatur et debeat facere panem venalem ut dictum est bene asasonatum et buratatum et bene coctum (1) in laudem iudicis seu officialis ad hoc deputati, sub pena trium soldorum placentie pro qualibet cocta, et amissionis panis cocti tantum. Et hoc habeat locum si dicti panes male cocti sint ultra octo pro qualibet cocta. Alioquin minime condemnentur.

---

(1) *Bene coctum.* I mss. hanno anche *et bene mundum.*

De eodem.

46. Teneatur quilibet furnarius civitatis et districtus placentie facere et coquere panem venalem de frumento prout ei preceptum fuerit seu preconizatum. Et qui contrafecerit solvat pro banno decem soldos placentie pro qualibet vice. Et nihilominus dictum panem facere et coquere teneatur nulla defensione obstante.

De eodem.

47. Quilibet furnarius et furnaria teneatur ad requisitionem officialis ad hoc deputati ostendere et manifestare totum panem venalem quem habet in domo vel extra domum: et si quis vel si qua repertus fuerit habere in domo sua vel alibi panem venalem ultra quem manifestaverit officiali, condemnetur qualibet vice in x. soldis placentie, et in amissione ipsius panis.

De eodem.

48. Approbamus et confirmamus statuta infrascripta super furnariis edita, quorum tenor talis est. In nomine domini amen: anno ab incarnatione eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo: indictione prima. Dominus manfredus confanonerius potestas placen. volens providere publice utilitati, quantitatem paste sive masse gramolate que de uno stario frumenti fieri potest, et extimatur ponderis panis frumenti venalis, que fieri potest ex illa massa investigare diligenter, curavit. Super quo efficiendo virum providum et discretum dominum Ottonem de villano iudicem, et assessorem suum, et sex idoneos et discretos viros, et unum consulem de quolibet paratico constituit atque proposuit qui mandatum et voluntatem ipsius potestatis fideliter exequentes, et formam capituli intuentes in quo continetur quod circa panis facienda erant, facta ipsa circa secundum formam ipsius capituli primo et secundo factis consideratione et ratione diminutionis sive calli quod fit de pasta cruda ad panem coctum, et lucri etiam quod furnarii dicunt se habere debere quod est duorum denariorum et dimid. pro quolibet stario: invenerunt quod starius frumenti est et esse debet in pasta bene gramolata ponderis

septuagintaocto librarum et dimidia. Item invenerunt quod pasta cruda diminuitur sive calat in coctione septimum ponderis.

Primo si sestarius frumenti valuerit trigintasex denar. imperiales debet esse numerata (1) panis in pasta ponderis vigintisex unziarum et quattuor denar. pensi: quorum denar. pensi vigintiquattuor faciunt unam unziam. Et coctus esse debet deducto sex et dimidio xxii. unz. et iii. denar. et dimidio de penso.

Item si sextarius frumenti valuerit trigintaseptem denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis vigintiquinque unziarum et xi. denar. de penso: et coct. xxi. unz. et xiii denar.

Item si sextarius frumenti valuerit denar. trigintaocto, debet esse numerata panis in pasta ponderis vigintiquattuor unz. et denar. xix. et coct. xxi. unz. minus medio denar.

Item si sextarius frumenti valuerit xxxix. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis xxiiii. onz. et quatuor denar. minus una tertia: et coct. xx. onz. x. den. et dimid.

Item si sextarius frumenti valuerit quadraginta denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis xxiii. onz. xiii. den. et quinta: et coctus xx. onz. minus uno denar. et quarto.

Item si sextarius frumenti valuerit xli. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis vigintiduarum unciarum vigintitres denarii et duo quinti pensi: et coct. xix. et xi. denar.

Item si sestarius frumenti valuerit quadragintaduos denarios: debet esse numerata panis in pasta ponderis vigintiduarum unciarum. decem denar. minus tercia: et coctus xviii. unz.

Item si sestarius frumenti valuerit xliii. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis xxi. unz. xxii. denar. minus quarta: et coctus xviii. unz. xxi. den. minus quarta.

Item si sestarius frumenti valuerit xliiii. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xxi. unz. et denar. decem minus quinta: et coctus xviii. unz. et tres denar. minus quinta.

Item si sestarius frumenti valuerit quadragintaquinque denar. debet

---

(1) *Numerata panis.* Così hanno sempre ed irrecusabilmente i mss. Le stampe antiche hanno in vece *minuta panis.* Si è però ritenuta la lezione de' mss. perchè anche le due stampe antiche furono eseguite entrambe fuori di Piacenza, e recano errori e omissioni non credibili.

esse numerata panis in pasta ponderis viginti unz. et xxii. denar. et tertia: et coctus xvii. unz. et xvii. denar.

Item si sestarius frumenti valuerit xlvi. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis viginti unciarum, undecim denar. et medii: et coctus xvii. unz. et octo denar.

Item si sestarius frumenti valuerit xlvii. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xx. unz. i. den. et coctus xvii. unz. minus uno denario.

Item si sestarius frumenti valuerit xlviii. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xix. unz. xv. denar. et coctus xvi: unz. et xiiii. et medio.

Item si sestarius frumenti valuerit xlviiii. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xix. unz. et v. den. et cocctus xvi. unz. et den. vi.

Item si sestarius frumenti valuerit l. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis unz. xviii. et xx. den. et coctus xv. unz. et xxii. den.

Item si sestarius frumenti valuerit li. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis unz. xviii. x. den. et coctus unz. xv. et den. xiiii.

Item si sestarius frumenti valuerit li. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xviii. unz. iii. den. minus quarta: et coctus xv. unz. x. den.

Item si sestarius frumenti valuerit liii. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis xvii. unciarum xix. den. et med: et coctus quindecim unz. et unus denarius.

Item si sestarius frumenti valuerit quinquagintaquatuor denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis decem et octo unciarum et ix. denar. et med: et coctus unz. quattuordecim et xvii. denar.

Item si sestarius frumenti valuerit lv. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis xviii. onz. et iii. denar. et coctus xiiii. et med.

Item si sestarius frumenti valuerit lvi. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xvi. onz. xx. den. minus tertia, et coctus xiiii. onz. et denar. vi.

Item si sestarius frumenti valuerit lvii. den. debet esse numerata panis in pasta ponderis xv. onz. xiiii. denar. minus tertia, et coctus xiiii. onz.

Item si sestarius frumenti valuerit lviii. denarios debet esse numerata panis in pasta ponderis xv. onz. iii. den. et med. et coctus xiii. onz. et xvi. denar.

Item si sestarius frumenti valuerit LIX. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis XV. onz. et XXIII. denar et una quinta: et coctus XIII. onz. et med.

Item si sestarius frumenti valuerit LX. denar. debet esse numerata panis in pasta ponderis quindecim onz. et denar. novem minus quinta, et coctus tredecim onz.

Item approbamus statuta infrascripta tenor quorum talis est.

Item reperitur quod panis rosetus qui dicitur integratus debet esse maior pane albo bene gramolato, ut furnarii dixerunt.

Item repertum est per predictos furnarios, quod panis factus de sedatio debet esse maior quam panis integratus quatuor onziarum.

Item reperitur quod fornarii possint et debeant dare XLIX. panes de tesera pro quolibet sestario: quorum quilibet debet esse in pasta bene gramolata ponderis XVIII. onz. et coctus debet esse ponderis XV. et med. minus uno denario pensi.

Item statuit et decrevit quod quilibet fornarius proprio sigillo in quo sit nomen et pronomen ipsius furnarii, signet et sigillet singulos panes venales: ita quod quilibet panis cuiuslibet fornarii possit cognosci a quo factus fuerit. Et qui contrafecerit solvat comuni pro banno soldos quinque: et nihilominus sigillet ut supra.

Item statutum est quod potestas teneatur concedere et concedat furnariis placen. et districtus illum callum quod furnarii habebant et soliti erant habere pro callo ante potestariam seu regimen domini manfredi confanonerii scilicet sextam et dimidiam.

Item statutum est quod rector sive potestas teneatur facere fieri circam de blava seu frumento secundum modum consuetum: et secundum quod invenerit dictam blavam exire, det et dare debeat pensum ipsis furnariis secundum quod in statutis comunis continetur.

Et hoc infra duos menses ab introitu sui regiminis si ei per dictos furnarios fuerit requisitum.

De pena affaytantium vinum in platea maioris ecclesie.

49. Nullus possit vel debeat affaytare vinum aliquod vel facere affaytari in platea maioris ecclesie, seu in aliquo loco publico civitatis placentie in quo ducatur causa vendendi aliquo modo, in pena amissionis

vini illius cuius fuerit vinum ipsum. Et quilibet possit accusare, et habeat medietatem banni et vini. Quod statutum teneatur potestas qualibet estate semel in mense in platea maioris ecclesie publice facere cridari in die merchati vini.

De inquisitione fienda contra facientes canevam casei et carnium salitarum.

50. Potestas seu iudex victualium possit et teneatur post quindecim dies ab introitu sui regiminis inquirere contra quamlibet personam diffamatam, que faceret canevam de caseo et carnibus porchorum sallatis, et ab ea accipere bonam satisdationem de non faciendo dictam canevam: et si invenerit aliquem canevam facientem de predictis, debeat eum punire in decem libris et amissione rerum. Et intelligatur quilibet ex predictis diffamatis canevam facere, in cuius domo vel alibi ad eius postulationem reperiatur habere ultra quinque centenaria casei, et ultra x. centenaria carnium salatarum.

De caseo consignando.

51. Ad hoc ut copia casei in civitate placen. habeatur, statuimus quod potestas seu iudex ad hoc deputatus faciat diligenter inquisitionem omni anno, et maxime de mense martii de omnibus et singulis tam civibus quam forensibus vel districtualibus undecunque sint habentibus seu tenentibus in civitate placen. vel districtu oves ab uno trentenario supra, et vacchas a v. vacchis supra, que oves et vacche sint a lacte ex quarum lacte fit caseus: que inquisitio fiat hoc modo, videlicet quod iudex personaliter occulata fide inquirat et videat omnes predictos habentes et tenentes dictas bestias in civitate placen. vel infra confinia omni modo quo melius et diligentius fieri poterit: et quod mittat per consules omnium villarum et locorum districtus placen. ubi dicte bestie sunt vel esse seu pasculari consueverunt cum aliquibus ex vicinis ipsarum villarum et locorum prout de ipsis vicinis videbitur inspecta qualitate locorum, et ab eis inquirat per sacramentum sub pena xxv. librarum et plurium prout sibi videbitur de omnibus habentibus ipsas bestias et quantitate et numero ipsarum: et faciat scribi in actis per notarium

nomina habentium et tenentium ipsas bestias et numerum et quantitatem ipsarum bestiarum, et loca ubi sunt seu custodiuntur et tenentur: quibus factis requirat et requiri faciat omnes tam cives quam districtuales quam alios extraneos undecunque sint habentes dictas bestias a dicto numero supra quod compareant personaliter coram eo, et ipsos cogat omnibus remediis iuris per sacramentum sub certa pena prout sibi videbitur manifestare omnes bestias et numerum ipsarum, et loca ubi tenentur et custodiuntur dicte bestie: et nihilominus cogat quemlibet predictorum prestare idoneam securitatem de conducendo et consignando plac. coram ipso totum caseum eis impositum vel imponendum iuxta numerum ipsarum bestiarum secundum taxationem infrascriptam: que consignatio sic fiat, videlicet quod quilibet ipsum caseum duci vel vehi faciat in plateam comunis placen. temporibus et quantitatibus infra ordinatis et taxatis et eum presentet coram iudice. Et ipsum caseum faciat scribi dictus iudex vel officialis secundum quod consignabitur, et scribatur nomen consignantis, et dies et quantitates casei consignati, et tunc iudex interroget consignantem si vult illum caseum incontinenti vendere vel in domo aliqua gubernare, et si dixerit velle vendere vendat cui vult servato modo infrascripto: et si dicat se velle gubernare in aliqua domo scribatur domus: et ille apud quem dictus caseus gubernatur et ipsius casei qualitas et quantitas. Hoc videlicet observando, quod dictus caseus consignatus sive sit gubernatus sive non ut predicitur, non vendatur alicui sine consensu et licentia iudicis et officialis ad hoc deputati: et quod scribatur in actis ipsius iudicis in uno libro ad hoc specialiter deputato nomen emptoris et venditoris, et dies venditionis, et quantitas casei venditi. Qui iudex possit et debeat de ipso consignato caseo et gubernato facere presentari iuxta quantitatem que sibi videbitur, et publice vendi in platea comunis, ad hoc ut eo indigentes emere possint absque aliqua difficultate.

Statuentes etiam quod nullus civis vel districtualis placentie audeat vel presumat aliquem qui non sit de civitate placen. vel districtu ex predictis habentibus seu custodientibus ipsas bestias in domo vel cassina seu albergare receptare vel tenere ultra quinque dies nisi videat quod ipse habeat bulletam sicut ipse dedit securitatem predictam de dicto caseo consignando. In pena vigintiquinque librarum cuilibet contra predicta tenenti et receptanti: et ut predicta fiant absque fraude, volumus quod de predictis consignatione et numero bestiarum, et nominibus ha-

bentium vel tenentium ipsas bestias, et impositione casei prelibati fiant duo libri: quorum unus stet penes ipsum iudicem vel officialem et alius penes camerarium comunis placen. Predicta omnia et singula teneatur potestas, et quilibet iudex ad hoc deputatus precise attendere et observare in pena et sub pena centum librarum potestati et iudici vigintiquinque librarum placentie qualibet vice, quam incurrant ipso facto si predicta per eos et quemlibet eorum non fuerint observata. Et insuper cridetur omni anno per civitatem et merchata districtus placentie quod omnes predicti habentes dictas bestias compareant coram dicto officiali ad manifestandum dictas bestias et loca ubi tenentur, et ad dandum dictam securitatem: et quod nullus debeat eos albergare nisi predicta securitas detur ut superius continetur. Eo addito quod dicti consules et vicini nihil teneantur solvere notario pro dicta inquisitione vel dictis eorum: et qui notarii non possint accipere pro dicta securitate et bulleta quam facient de securitate predicta ultra sex denarios pro qualibet securitate simul cum bulleta: que taxatio secundum quam dictus caseus debet ut predicitur consignari sit hoc modo, videlicet quod ex quolibet trentenario ovium de lacte, et ex quarum lacte fit caseus, teneatur quilibet habentes dictas oves consignare et presentare coram iudice victualium in platea comunis placentie unum centenarium boni et sani casei quolibet mense, videlicet de mense aprilis madii et iunii: de mense vero iulii medium centenarium pro quolibet trentenario. Et predictum ordinem volumus observari in quolibet habente vacchas de lacte qui teneatur pro quibuslibet sex vacchis de lacte consignare dictis mensibus tantum caseum quantum diximus in quolibet trentenario ovium: Que sex vacche pro uno trentenario ovium in hoc casu reputamus.

Et predicta observentur quamdiu in dictis mensibus dicte oves et vacche fuerint in civitate placentie vel episcopatu. Quam consignationem predicti facere teneantur predictis singulis mensibus in pena decem librarum placentie qualibet vice qua contrafactum fuerit: et ad predicta nihilominus predicti omnes teneantur.

De sale.

52. Elligatur unus iudex forensis omni anno qui sit super gabella salis per comune placen. cum salario et familia competenti prout videbitur

consilio generali, et cuius officium duret tantum per annum. Et qui iuret in presentia potestatis suum officium exercere legaliter et observare statuta et provisiones facta et fienda circa gabellam salis: et qui finito officio teneatur stare per octo dies ad sindicatum: cuius sindicatores eligantur in consilio generali, et sint tres, quorum unus sit iudex, et alius notarius et alius laicus; et qui iudex moretur per se in una domo sibi per comune assignanda.

De eodem.

53. Quotiens fiet sal in salso per comune placen. eligantur tres massarii boni viri cives placentini scientes legere et scribere per ipsum comune, quorum officium duret per annum tantum cum salario competenti eis et cuilibet eorum per comune placen. statuendo qui iurent et etiam satisdent de eorum officio fideliter exercendo. Quorum unus stet in salso continue ad faciendum fieri salem, et alia necessaria circa ipsum salem: et circa predicta faciat expensas de denariis quos recipiet de sale de salso, qui ibi vendetur in villis et locis secundum ordinationem comunis placen. vel de precio quod ad hoc deputabitur per ipsum comune: in quibus rebus fiendis dictus massarius procedat et faciat de consilio et consensu iudicis salis, et aliorum sapientum ad hoc electorum per comune placen. de quibus infra fit mentio: et alii duo massarii stent in civitate placen. ad gabellam salis, qui recipiant salem qui mittetur a loco salsi: et ipsum salem vendant in ipsa gabella: et pecuniam inde recipiant et scribant per ordinem introitum et exitum dicti salis: in qua gabella salis comunis placentie sit et esse debeat unus dischus magnus orlatus, in quo quolibet die ponatur sal ex sale gabelle usque in quantitatem que videbitur ipsis massariis seu illis sapientibus qui pro temporibus erunt super gabella salis per mensuratores salis, et hoc scribatur quolibet die per notarium qui ibi fuerit per comune placen. in uno libro ad hoc spetialiter deputato, et etiam in alio libro pro se scribatur per ipsos massarios seu per sapientes predictos: et postmodum ex sale existente super ipso discho detur et vendatur cuilibet emere volenti ad grossum et minutum: et scribatur per ipsos massarios singulis diebus pecunia que recipietur ex venditione dicti salis: et ut sciatur ratio salis existens super ipso disco, non ponatur sal ibi, nec vendatur,

donec venditum fuerit sal positum in dicto disco. Et sit etiam in ipsa gabella unus scrineus sive capsa firmus et bene munitus cum tribus bonis clavaturis, una quarum clavium stet penes camerarium comunis placen. alia penes iudicem salis, et alia penes dictos massarios: in quo schrineo vel capsa sit desuper una fessura per quam in dicto schrineo vel capsa possent poni omnes denarii qui percipientur ex dicto sale. Insuper elligantur per comune placen. tres boni viri qui sciant scribere et legere, qui sint cum ipso iudice et massariis prelibatis ad consulendum et ad dandum auxilium et favorem in omnibus que fuerint fienda pro bono comunis circa ipsum salem tam in civitate placentie quam in loco salsi. Et qui teneantur una cum dicto iudice quibuslibet duobus mensibus ad minus ire ad locum salsi expensis comunis ad videndum salinas, domos, putheos, et quid agitur per massarium existentem in salso: et ad videndum examinandum et levandum rationem massarii salsi: et ad omnia faciendum et ordinandum circa salem que fuerint necessaria et utilia: quorum sapientum officium duret per annum: et quilibet eorum habeat omni mense pro suo salario xx. soldos a comuni: et dicti salarii solutionem habeant in gabellis salis: dicti vero duo massarii placentie existentes teneantur quolibet mense reddere rationem dictis iudici et tribus sapientibus et camerario comunis placen. simul et coniunctim tam de sale recepto quam de denariis habitis et solutis quam etiam de pecunia recepta pro condemnationibus dicti salis. Qua ratione reddita, pecunia que fuerit penes ipsos massarios occasione dicti salis tradatur et consignetur per ipsos massarios camerario prelibato. Adiicientes quod massarii dicti salis non possint expendere vel solvere aliquod de pecunia habita de dicto sale, nisi in his et circa ea que pertinent ad expeditionem dicti salis et eius officii.

De eodem.

54. Nullus portet vel portari vel vehi faciat salem grossum in civitate placentie vel districtu absque licentia comunis placentie. In pena xxv. librarum pro qualibet vice, et amittendi ipsum salem et animalia deferentia ipsum salem.

De eodem.

55. Nemo presumat habere vel tenere salem grossum in civitate plac. vel districtu absque licentia comunis placen. in pena centum soldorum si fuerit sal minus uno stopello. Et si fuerit plus uno stopello usque ad unam minam, in pena decem librarum: et si fuerit ab inde supra, in pena vigintiquinque librarum.

De eodem.

56. Quicunque duxerit portaverit seu portari vel deferri fecerit salem minutum per civitatem placentie vel districtum causa vendendi, et repertum fuerit vendere vel vendisse salem: si fuerit minus duobus stopellis, condemnetur in sexaginta soldis pro qualibet vice. Et si fuerit plus duobus stopellis usque in uno quartario condemnetur in centum soldis. Et si fuerit ab inde supra in decem libris. Eodem modo condemnentur omnes ementes dictum salem.

De eodem.

57. Receptatores portantium salem grossum vel minutum contra statuta comunis placen. condemnetur pro qualibet vice quilibet eorum in decem libris.

De eodem.

58. Si sal grossus vel minutus fuerit venditus contra statuta et ordinamenta comunis edicta super sale in aliqua villa vel loco districtus placen. condemnetur ipsa villa vel locus si fuerit a centum focolariis supra in xxv. lib. placen. et si fuerit a L. focolariis supra usque in centum in decem libris. Et si fuerit a duodecim focolariis supra usque in L. condemnetur in centum soldis: et si fuerit a duodecim focolariis infra in XL. soldis: ad quam condemnationem teneantur nobiles habitantes in dictis villis. Sed ad ipsas pupilli et vidue minime teneantur: et predicte pene locum habeant si venditum fuerit in ipsis villis unus sextarius salis et abinde supra. Et si fuerit venditum ab uno sextario salis infra, condemnetur solummodo ad medietatem dictarum penarum.

De eodem.

59. Omnes mulieres que fecerint contra statuta salis, si non solverint condemnationes de eis factas infra secundam diem fustigentur per civitatem, et postea dimittantur.

De eodem.

60. Quilibet possit accusare facientes contra statuta comunis edita super sale: et si condemnationes que ob hoc fient fuerint decem libr. vel abinde infra, habeat tertiam partem accusator. Et si fuerint a decem libris supra habeat solummodo quartam partem.

De eodem.

61. Possit iudex ad officium salis deputatus cogere remediis iuris omnes villas et loca districtus placen. dare securitatem civem placen. idoneum de accipiendo salem iuxta impositionem eis impositam vel imponendam: que securitas quolibet anno renovare, et possit circa officium suum procedere contra facientes contra statuta et ordinamenta comunis edita super sale per accusationem, inquisitionem, vel denunciationem summarie, et de plano absque figura et strepitu iudicii, diebus feriatis et non feriatis. Cui iudici potestas et quilibet officialis comunis placen. teneantur dare auxilium consilium et favorem quotiens per eum fuerint requisiti ad dictum suum officium effectualiter exequendum: et qui iudex salis possit affidare et absolvere a penis statutorum salis illos qui accusaverint et probaverint legitime aliquem fecisse contra statuta super sale edita.

De sale.

62. Iudex ad officium salis deputatus teneatur observare statuta et reformationes factas et fiendas per comune placen. et maxime occasione salis: in pena vigintiquinque librarum in qua pro qualibet vice qui contradixerit incurrat ipso facto.

De eodem.

63. Si aliquis massarius deputaretur per comune placentie ad vendendum salem in aliquo loco vel villa districtus placentie preterquam in loco salsi, teneatur dictus massarius quolibet mense reddere rationem sue administrationis massariis gabelle comunis placentie deputatis.

64. Ville que non habitantur propter salem non condemnentur, sed quando fuerint habitate imponatur ei sal secundum focolaria que habebunt. Et si que condemnationes facte sint vel fient de dictis villis eo tempore quo non erant vel non fuerant habitate, dicte condemnationes sint casse et non valeant ipso iure nec executioni valeant demandari.

De eodem.

65. Teneatur iudex gabelle salis inquirere et cogere omnes et singulas personas in districtu placentie habitantes que non accipiunt salem cum villis et locis districtus placentie, et que tenentur accipere salem a comuni placentie, prestare idoneos fideiussores de dicto sale accipiendo tam pro se quam pro animalibus suis, secundum quod eis impositum est vel imponetur.

De eodem.

66. Nullus impediat officium iudicis gabelle salis seu nunciorum eius sive in circando salem prohibitum, sive quovis modo in pena centum soldorum pro qualibet vice qua fuerit probatum aliquem dictum officium impedire.

De eodem.

67. Habeat iudex salis potestatem capiendi in personis et rebus quemlibet hominem maiorem vigintiquinque annorum qui sit de villa vel loco que non acceperit salem, vel que fecerit contra statuta salis.

De eodem.

68. Iudex gabelle salis neminem valeat condemnare, nisi primo data sibi defensione ad minus octo dierum: quod si secus fecerit condemnatio non valeat ipso iure.

De eodem.

69. Nullus ducens salem ad civitatem placentie postquam sal fuerit in ipsa civitate audeat eum descargare vel ponere in aliqua domo ipsius civitatis nisi in gabella salis, vel nisi de licentia comunis placen. seu officialium ad hoc deputatorum, in pena decem librarum: Et qui talem allogiaverit vel receptaverit in civitate placen. condemnetur in centum soldis.

De eodem.

70. Cuilibet liceat capere et detinere et in fortia comunis placentie ducere omnes ducentes salem contra statuta et provisiones comunis placentie. Et qui tales ceperit teneatur ipsos presentare in fortia potestatis et comunis placen. seu iudicis salis infra tertiam diem in pena centum soldorum: et nihilominus ad predicta teneatur.

De eodem.

71. Omnes et singuli potestates et rectores et homines cuiuslibet loci seu ville, et ipsi loci et ville teneantur toto posse prestare auxilium et favorem cuilibet volenti capere vel detinere quoslibet ducentes seu vendentes vel ementes salem in districtu placentie contra statuta et ordinamenta ipsius comunis edicta super sale, in pena ipsi ville seu loco centum soldorum, et singulari persone soldorum viginti.

De eodem.

72. In libro statutorum antiquorum comunis placen. edictorum super sale tale statutum et reformatio quam approbamus reperitur. Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto: indictione quinta de mense februarii:

Statutum est et ordinatum per emendatores ordinatos de voluntate consilii generalis societatis mercatorum et paraticorum civitatis placentie omnes in concordia et unaniniter: quod reformatio facta tempore domini monaci de maschariis olim capitanei societatis mercatorum et paraticorum civitatis placentie super societate et fraternitate facta cum obertino botto de alexandria (1), et ansaldo eius nepote, et iacopo de Agino et ianegallo fratre eiusdem iacobi, et fratrem guilielmum de viculo notarium comunis placentie super quadam vena salmore sive puteo invento per predictos in loco salsi maioris vel pertinentiis, ponatur in statutis comunis placentie, et pro statuto ipsa reformatio habeatur et observetur. Et capitaneus et potestas precise et sine tenore teneantur ipsam reformationem poni facere in statutis societatis predicte, et in libro statutorum comunis placentie ipsam reformationem poni facere etiam et per omnia observare. Que reformatio scripta fuit per Revellum de breno notarium, cuius reformationis continentia hic subsequitur scripta est. M.cc.lxxv. indictione quarta: die mercurii xiiii. mensis novembris, in generali consilio societatis mercatorum et paraticorum congregato sono tube, et preconis vocibus in palatio domini monaci de maschariis capitanei solito more de mandato ipsius coram consiliariis de dicto consilio: dictus dominus capitaneus legi fecit provisionem factam in consilio sapientum, que talis est. Cum albertinus bottus de alexandria, et ansaldus eius nepos, et iacobus de agino, ianelanus eiusdem iacobi, Franciscus de salso, eorum labore et industria invenerunt quamdam venam morre seu aque salline super quadam pecia terre culte posite in territorio salsi maioris, cui coheret ab una parte flumen arengie, ab alia fossatum seu sorbriorius factus per comune placentie occasione putei episcopi, ab alia via qua itur ad salsum vulgariter ad brugnellam, ab alia heredum quondam Amirate: quam terram quiete et sine molestia possidebant et possederunt suprascripti obertinus et bottus eius frater et prout dictus Ansaldus, et ipse ansaldus per viginti annos proxime preteritos et plures et ad dictam venam et terram circunstantem associaverunt comune placentie, seu fratrem guilielmum de viculo pro ipso comuni et super eo et puteo super eo faciendo et manutenendo fraternitatem, et comunitatem cum dicto fratre et comuni et ipso comuni contraxerunt et fecerunt:

---

(1) *De Alexandria.* Il ms.° *Dominici* ha *de Alexandria de Aledaxia.*

Et in conventione seu fraternitate predicta continetur, quod comune placentie et homines suprascripti adinvicem teneantur comuniter ab omni persona defendere et expedire, perpetuo ad omnem utilitatem partium predictarum et sapientum vere reformatum sit per consilium mercatorum et paraticorum et per consilium comunis placentie, quod ipse frater guilielmus pro comuni et ipsum comune capiat tenutam et possessionem dicti putei super dicta vena facti, nunc (1) omnium puteorum et salinarum et morrarum territorii et ipsarum tenutam et possessionem manutenere et defendere salva societate predicta et iure omnium predictorum. Quia omnia spetialiter per industriam omnium predictorum comune predictum est valde melioratum, et magna utilitate acquisitum, et iterum domino concedente ex similibus suprascripti comunis homines et multorum magnatum et aliorum hominum odium ceperunt nominis et iniuriam predictorum: et qui vellent quod omnes predicti predicta tractassent et cum eis fecissent que cum predicto comuni fecerunt, que si fecissent in leve damnum et detrimentum comunis predicti fuisset: ac propter odium et iniuriam predictam lites multe a predictis eorum emulorum et invidiis ac etiam aliis ipsorum instigatione informantur eisdem, et inde enormaliter molestare. Supplicant vobis domino capitaneo et sapientibus mercatorum et paraticorum civitatis placen. quatenus hominibus vestris in facto predicto et fructibus ipsius eorum indemnitatem et nostram seu comunis utilitatem conservandam et in bonum exemplum ut ipsi et alii mittentur ad circandum et faciendum bonum et utilitatem comunis placentie, et spetialiter similes venas inveniendum taliter dignemini providere, quod ipsi obertinus et heredes eorum secundum societatem et fraternitatem predictam et conventionem possint possessionem et tenutam eorum partis quam habent seu tenent cum comuni quiete manutenere et possidere, et spetialiter reformando per vestrum consilium quod ita perpetuo manuteneatur et defendatur in eorum dicta parte putei suprascripti et terre predicte quemadmodum comune placentie in sua parte, et maxime capitulo seu statuto non obstante: et non obstantibus litibus suprascriptis pendentibus ad dictam comunionem factam cum comuni et fratre predicto quiete tenebant et possidebant dictam terram. Super quibus dictus dominus capitaneus consilium postulavit. In cuius consilii sapien-

(1) *Nunc* hanno anche i Mss. Per il retto senso dovrebb' essere *nec non* od altro equivalente.

tum reformatione facto partito per dictum capitaneum placuit omnibus quod petita suprascripta admitterentur in totum et sint firma, et si contingeret obertinum bottum et nepotem, iacobum aginum et fratrem suprascriptos necesse habere pecuniam causam defendendi et manutenendi putheum quem invenerunt: et de eo quod fuit pactum cum fratre suprascripto guielmo vel causa inveniendi alias venas pro utilitate comunis placentie et possint eorum ius obligare: dum tamen ius comunis sit salvum: nec propter hoc iuri seu pacto comunis possit in aliquo derogari.

De eodem.

73. Item statutum et ordinatum est antiquitus quod potestas teneatur infra duos menses ab introitu sui regiminis diligenter inquirere et curare si pacta et conventiones facte per dictum fratrem guielmum nomine comunis, et dictos obertinum et socios firmiter et integre fuerint observata per dictos obertinum et socios et eorum heredes: et si invenerint quod ipsa non fuerint integre observata procedatur contra eos ad penam ab eis auferendam in quantum poterit de iure secundum pacta et conventiones initas seu factas in instrumento dicte societatis et fraternitatis.

De eodem.

74. Item reperitur in dicto libro statutorum statutum infrascriptum quod approbamus, cuius forma talis est. Item providerunt quod nulla persona seu universitas vel collegium possit nec debeat in episcopatu placentie seu districtu fodere seu fodi facere aliquem putheum salline sive foveam. Et quod potestas et rector et eorum familie teneantur illud prohibere ne fiat toto eorum posse etiam de facto, nisi illud fieri faceret vel fieret per comune placentie vel de voluntate comunis.

De eodem.

75. Iudex salis una cum camerario comunis et vicario potestatis singulis duobus mensibus examinare teneantur et videre diligenter mensuras salis qui venditur per comune placentie ad gabellam salis: et si inve-

nerint eas esse non rectas faciant eas rectificari: et nihilominus puniantur utentes eis secundum iura et statuta comunis placentie.

De eodem.

76. Item reperitur in dicto libro statutorum statutum infrascriptum quod approbamus, cuius tenor talis est. Item statuerunt quod potestas seu iudex salis teneatur precise et sine tenore infra duos menses ab introitu sui regiminis circare et inquirere illos qui detinent vel tenent seu tenuerunt puteos seu fontes salinarum de salso, de castello, et montarzolo, vallis ciane (1): et compellere et constringere illos quos invenerint tenere et tenuisse a triginta annis citra ad solvendum comuni placentie fictum seu reditum, seu censum ad predictam prescriptionem compellantur prout in dicto registro continetur. Et presens statutum sit precisum in qualibet parte sui. Actum M.cc.lxxviii.

De eodem.

77. Nulli liceat uti vel habere in civitate placentie vel districtu aliquem salem quam de gabella seu gabellatoribus comunis placentie. Alioquin si probatum fuerit aliquem fecisse contra predicta, solvat pro banno comuni placentie quadraginta soldos pro quolibet stopello. Et quilibet possit accusare: medietas cuius banni sit accusatoris et alia sit comunis.

De eodem.

78. Nullus sine licentia comunis deferat salem minutum ab aliquibus locis qui non sit de civitate placen. vel episcopatu ad ipsam civitatem placen. vel districtum, in pena centum soldorum placentie si fuerit una mina vel abinde infra: et si fuerit ab una mina supra usque in unum starium, decem libras placentie. Et si ab uno stario supra, ultra predictam penam condemnetur in quolibet stopello salis quod fuerit ultra unum starium xx. soldos.

---

(1) *Vallis ciane.* Il ms.° *Dominici* ha *Valistiane.*

De eodem.

79. Nemo deferat vel deferri faciat salem grossum vel minutum extra districtum placen. sine licentia ipsius comunis in pena xxv. librarum et amittendi ipsum, et bestias et res deferentes ipsum salem.

De eodem.

80. Statuimus quod nullus ex illis qui faciunt vel fieri faciunt salem in salso, possint vendere donare vel mutuare salem alicui in fraudem gabelle comunis placentie. Et nullus ibi accipiat salem quoquo modo nisi illi quibus est concessum hoc in pena decem librarum placen. pro qualibet vice.

De incidentibus ligna.

81. Quilibet possit incidere ligna in districtu placen. causa vendendi, et vendere et facere fassos lignorum ad suam voluntatem, dummodo ligna que vendentur sint longitudinis quattuor brachiorum et dimidio ad minus, et fassi lignorum debeant esse ad minus pro grossitudine desuper versus calzum duorum brachiorum in stroppa. Et versus cimas unius brachii et dimidii in stroppa. Et qui contrafecerit condemnetur pro quolibet fasso lignorum iu sex denariis: et quilibet possit ducere et vendere arbores ad suam voluntatem.

De victualibus.

82. Iudex victualium eligat de consilio sapientum presidentium negotiis comunis placentie quotiens opus fuerit sex bonos viros civitatis placentie: unum videlicet pro qualibet porta: qui una cum dicto iudice examinent inquirant et ordinent et scribi faciant quicquid eis videbitur expedire circa ipsa victualia, tam in constituendo pretium victualium et artibus et rebus prout eis videbitur, quam in aliis que pro meliori secundum diversitatem temporum fuerint opportuna: quorum officium dictorum sex bonorum virorum duret per duos menses. Inter quos sapientes sex non sit aliquis furnarius, tabernarius, becharius, formagiarius seu piscator, nec aliquis qui sit de aliqua arte.

De gabellatoribus.

83. Statuimus quod iudex qui est vel pro tempore fuerit deputatus ad officium gabellarum, habeat iurisdictionem tam contra gabellatores si excederent modum in exigendo ipsas gabellas, quam contra debitores seu solvere debentes ipsas gabellas, et contra eos seu super rebus que dicerentur incidisse in commissum: et etiam inter ipsos gabellatores de omnibus questionibus et controversiis que verterentur seu verti possent inter ipsos gabellatores occasione ipsarum gabellarum: super quibus omnibus et singulis possit cognoscere et procedere summarie nulla iuris seu statutorum observata solemnitate: coram quo iudice possint accedere et allegare advocati et procuratores non obstantibus aliquibus statutis provisionibus reformationibus seu pactis edictis vel edendis in contrarium loquentibus: a quibus dicti advocati et procuratores sint et intelligantur libere absoluti.

De eodem.

84. Item statuerunt quod nullus gabellator doanarius conductor seu emptor gabellarum comunis placentie post sex menses a die quo compleverit dictam emptionem conditionem vel locationem seu concessionem dictarum gabellarum seu fructuum et redituum ipsarum, non possit petere exigere vel habere aliquid occasione dictarum gabellarum seu fructuum et redituum ipsarum ab aliqua persona, nec aliquem accusare occasione sive pretextu dictarum gabellarum seu fructuum et redituum ipsarum, in pena et banno centum soldorum: et quicquid factum fuerit non valeat nec teneat ipso iure. Salvo quod predicti gabellatores possint inter se agere, petere, et unus alteri rationem reddere occasione dictarum gabellarum sive fructuum et redituum.

De iurisdictione victualium.

85. Potestas seu iudex victualium possit cognoscere et terminare contra facientes contra statuta et provisiones comunis placentie super victualibus per denunciationem, accusationem, vel inquisitionem, summarie et de plano sine figura et strepitu iudicii quocunque tempore feriato et non feriato.

De eodem

86. Potestas et iudex victualium et quilibet eorum teneatur observare et inviolabiliter observari facere omnia statuta et provisiones comunis placen. factas et fiendas super victualibus. Quod si non fecerint vel predicta ommiserint, condemnatus sit potestas ipso facto pro qualibet vice in centum libris placentie, et iudex in xxv. libris plac. pro qualibet vice.

De vendentibus vinum ad minutum.

87. Omnes vendentes vinum ad minutum teneantur habere rectam et iustam bozolam in pena centum soldorum placentie pro qualibet bozola non recta, et mensurare recte vinum ad ipsam rectam bozolam. Et quicunque non mensuraverit recte vinum ad rectam bozolam, solvat pro banno qualibet vice decem soldos, posito quod bozola sit recta ex quo ipsa mensuratio non est recta (1): que bozola debeat esse xii. onz. ad minus.

De bechariis.

88. Quicunque becharius vel mazellator in becharia vendiderit carnes porcharum feminarum pro masculis, et carnes moltonis vel ovis pro castrato, seu carnes gramegnosas et morbosas, condemnetur pro qualibet vice in lx. soldis placen. et amissione ipsarum carnium: et a quolibet valeat accusari: et accusator habet medietatem banni: et ut castrati facilius cognosci possint teneantur dimittere in beccharia testiculos ad carnes montonis. Et insuper cogantur omnes et singuli beccharii et vendentes carnes singulis mensibus sex per officialem super victualibus deputatum iurare predicta omnia attendere et observare.

De eodem.

89. Aliqui beccharii non teneant carnes porchorum maschulorum cum carnibus porcharum feminarum super uno bancho: nec porcharum ca-

(1) *Est recta.* I mss. hanno *non est recta*, le stampe *est recta.*

stratarum cum carnibus porcharum non castratarum in uno bancho: nec super eodem bancho teneant ultra duas carnes seu ultra duo genera carnium. Et si habuerint carnes per bochonos vendant ipsas tanquam pecudinas carnes. Salvo quod hoc non intelligatur in carnibus porcinis vel bovinis. Et si quis contra predicta vel aliquod predictorum fecerit, puniatur pro qualibet vice in xx. soldis placen. et quilibet possit accusare, et habeat medietatem banni.

De eodem.

90. Teneantur beccharii vendere omnes carnes ad pondus fiendum per ballantias, et non per pesarolum: et habeant libras de ferro bullatas bullo comunis placentie, et in qualibet libra sit unus annulus ferreus. Et si pondus fuerit duarum librarum sint ibi duo annuli ferrei. Et si trium librarum sint tres annuli ferrei: et sic ultra per ordinem ascendendo usque in xv. libris. In pena viginti soldorum placen. cuilibet beccharío pro qualibet vice qua fuerit contrafactum.

De calmerio fiendo carnibus recentibus salsis, et caseo.

91. Potestas et iudex victualium teneantur bis in anno convocare et habere duos sapientes pro qualibet porta, inter quos non sit aliquis beccharius vel fornarius, videlicet post pascha resurrectionis domini ante lapsum quindecim dierum, qui examinent probationem factam et calmerium per eos secundum quod debeant vendi carnes per beccharios pro qualibet libra a festo resurrectionis domini usque ad festum sancti michaelis. Item convocare et habere totidem sapientes pro qualibet porta post festum sancti michaellis ante lapsum quindecim dierum qui examinent facta probatione et calmerio per eos, qualiter debeant vendi carnes et quo precio pro qualibet libra per beccharios a dicto festo sancti michaelis usque ad introitum quadragesime. Et secundum quod dicti sapientes ordinaverint dicti becharii teneantur vendere ipsas carnes ad pondus in pena in statutis comunis plac. comprehensa: et facta dicta examinatione et taxatione, tunc hoc statutum preconizetur per civitatem placentie ad hoc ut nullus valeat ignorare. Eodem modo fiat convocatio et examinatio et probatio per dictos sapientes et taxatio, et dictis temporibus super

statuendo precio caseo, mascharpis, lardo, et carnibus salatis. Et hoc etiam eodem modo preconizetur.

De prohibita liga et coniuratione artium.

92. Nulli paratici, consules societatis, collegia, universitates, vel singulares persone audeant facere manipollum vel ligam vel ordinationem vel statutum provisionem vel preceptum de aliquibus rebus certo precio vendendis vel non vendendis, emendis vel non emendis, locandis vel non locandis, conducendis vel non conducendis, laborandis vel non laborandis, seu certo modo vel forma: fiendis vel non fiendis. Sed cuilibet licitum sit et possit quilibet libere emere, vendere, contrahere, operari et facere prout et sicut voluerit predictis non obstantibus. Nihilominus penam quinquaginta librarum placentie paratici societates, collegia, universitates, vigintiquinque librarum singulares persone ipso facto incurrant si secus duxerint faciendum vel aliqualiter ordinandum seu impediendum. Et quilibet ad accusationem et denunciationem predictorum admittatur, et habeat medietatem dicte pene. Et nihilominus quicquid actum fuerit per eos contra predicta sit cassum et irritum ipso iure.

De eodem.

93. Statutum est quod aliquis paraticus non possit nec debeat se coniungere vel ligam seu societatem facere cum alio seu aliis paraticis cum iuramento vel sine iuramento. Et si contrafecerit condemnetur quilibet paraticus in centum libris placen. Et quilibet consul dictorum paraticorum in decem libris placen. Et quicquid factum fuerit super hoc sit cassum et irritum ipso iure, et nullius momenti. Et quilibet possit esse accusator, et habeat medietatem banni.

De ementibus pisces.

94. Nullus emat pisces in civitate placentie vel districtu non salatos causa revendendi, in pena centum soldorum: et nihilominus pisces amittat. Et quilibet possit accusare, et habeat medietatem dicte pene quam incurrat qui vendiderit pisces alicui revenditori dictorum piscium.

De eodem.

95. Nemo civis vel extraneus audeat vendere aliquos pisces recentes vel salatos in civitate placentie vel suburbiis, nisi in platea comunis placentie in pena centum soldorum plac. et amissionis ipsorum piscium. Et quilibet possit accusare, et detur ei medietas.

De eodem.

96. Quilibet piscator teneatur omnes pisces et gambaros quos ceperit in civitate placen. vel districtu vendere in platea comunis placentie infra tertiam diem, in pena centum soldorum placen. et possit a quolibet accusari: cuius pene medietas sit accusatoris.

De piscatoribus.

97. Piscatores pisces quos ceperint in civitate placen. vel districtu non teneant in aliquo loco vel vivario vel in vase ubi sit aqua in pena xx. soldorum et amittendi ipsos pisces.

De eodem.

98. Nullus piscator civis vel non civis plac. vendens pisces recentes stet sub aliquo tecto in pena xx. soldorum, et amittendi pisces.

De eodem.

99. Nullus audeat vel presumat pischari in vivariis seu fossatis aliquorum, invitis vel insciis his qui possident dicta fossata vel vivaria, in pena c. soldorum placen. et quilibet possit accusare, et habeat medietatem banni. Et nihilominus contrafaciens teneatur emendare damnum passo: de quo damno credatur ipsi possessori usque in x. soldis probanti ipsam piscationem contra predicta esse factam.

De eodem.

100. Nullus civis vel forensis vendat in platea pisces vivos cum mortuis: nec in eisdem conchis vel vasellis teneat simul dictos pisces, in pena x. soldorum pro qualibet vice, et amittat pisces mortuos.

De eodem.

101. Nullus forensis vendat pisces placen. pro piscibus forensibus in pena xxv. librarum et in amissione piscium.

De eodem.

102. Teneantur pischatores tam cives quam forenses vendere pisces ad pondus cum balantiis et ponderibus iustis iuxta taxationem eis datam et dandam, in pena xx. soldorum et amissionis piscium contra predicta venditorum: et quilibet possit accusare, et habeat medietatem pene predicte.

De eodem.

103. Teneantur piscatores incidere caudas omnibus piscibus excedentibus pondus unius libre, ita quod sanguis ex inde exeat, in pena duodecim denar. pro quolibet pisce non inciso: et non audeant removere de platea pisces quos portaverint causa vendendi, in pena viginti soldorum pro qualibet vice, et amissione piscium.

De eodem.

104. Omnes deferentes pisces recentes ex alieno districtu vendant pisces cum balantiis ad pondus: videlicet ultra taxationem factam vel fiendam pischatoribus placentinis, possint accipere unum denarium pro qualibet libra ultra id quod accipiunt pischatores placentie: et non teneantur incidere caudas.

De eodem.

105. Quicunque non observaverint statuta facta circa taxationes venditionum piscium et circa ipsos pisces, puniatur in xx. soldis qualibet vice, salvis penis in aliis statutis expressis circa predicta.

De eodem.

106. Volentes limitare ordinem quo per tempora diversa totius anni pisces in civitate placentie vendantur. Statuimus quod per totum tempus quadragesime omnes et singuli piscatores et quelibet alia persona volens vendere pisces in civitate placentie non salatos, vendant ad plus modis infrascriptis videlicet.

Omnes lutios de duabus libris, et a duabus libris supra pro qualibet lib. x. den.

Et ab inde infra pro qualibet libra viii. denar.

Item omnes tenchas de duabus libris et ab inde supra pro qualibet lib. viii. den. et med.

Et ab inde infra pro qualibet libra vi. denar. et med.

Item omnes cavedos, barbiolos et agolatos de duabus libris, et ab inde supra pro qualibet libra vi. denar. et med.

Item carpanas de duabus libris, et ab inde supra pro qualibet lib. v. denar. et med.

Et ab inde infra pro qualibet libra iiii. denar. et med.

Item anguillas a duabus lib. et ab inde supra, pro qualibet libra ix. denar.

Et ab inde infra iiii. denar.

Item strigios et seuetas pro qualibet libra iiii. denar.

Item strigios a vino pro qualibet libra ii. denar.

Item sturionos et conutas pro qualibet libra xiiii. denar.

Item chipias de duabus libris et ab inde supra, pro qualibet libra ix. denar.

Et ab inde infra vi. denar.

Item sgardenas pro qualibet libra iii. den. et med.

Item pisces minutos, botulos, varonos, gosengulas que appellantur museti gambarutii pro qualibet libra vi. denar.

Item lampredas pro qualibet libra sold. ii. vi. den.

Item timuros pro qualibet libra xv. denar.

Item gambaros grossos pro quolibet centenario xi. denar.

Item mediocres pro quolibet centenario vii. denar.

Item parvulos pro quolibet centenario iii. denar.

Item quod examinatio, differentia, et cognitio ipsorum gambarorum sit et esse debeat in arbitrio illius officialis qui super hoc fuerit deputatus vel iudicis victualium.

A festo vero pasche resurrectionis domini usque ad festum sancti michaelis vendantur pisces in civitate placentie modo et taxatione infrascriptis et non ultra videlicet:

Omnes lucii de duabus libris et ab inde supra, pro qualibet libra viii. denar.

Et ab inde infra pro qualibet libra vi. denar.

Item omnes tenche de duabus libris et ab inde supra, pro qualibet lib. vii. denar.

Et ab inde infra pro qualibet libra iiii. denar.

Item cavedi, barbioli, et agolati de duabus lib. et ab inde supra pro qualibet libra vi. denar.

Et ab inde infra pro qualibet libra iiii. denar.

Item carpane de duabus libris et ab inde supra, pro qualibet libra v. denar.

Et ab inde infra pro qualibet libra iii. denar.

Item anguille de duabus libris et ab inde supra, pro qualibet libra x den.

Et ab inde infra pro qualibet libra vi. denar.

Item strigii et seuete parve pro libra iii. denar.

Item seuete de spana et pluri pro libra iiii. denar.

Item stregii a vino pro libra ii. denar.

Item struioni et truite pro qualibet libra xii. denar.

Item chipie de duabus libris et ab inde supra, pro libra viii. denar.

Et ab inde infra pro libra vi. denar.

Item scardane pro libra iii. denar.

Item pisces minuti scilicet botuli, varoni, et gosengule que appellantur musete et gambarutii pro qualibet libra v. denar.

Item lamprede pro qualibet libra sold. ii. denar.

Item gambari grossi pro centenario x. denar.

Item gambari mediocres pro centenario vi. denar.

Item parvi pro centenario iii. denar.

A festo sancti michaelis usque ad introitum quadragesime possint vendi pisces uno denario plus pro qualibet libra quam vendantur vel vendi possint tempore supra dicto, videlicet tempore quo dicitur a festo pasche resurrectionis domini usque ad festum sancti michaellis. Salvo quod omnes pisces qui ducentur ex alieno districtu possint vendi plus uno denario pro qualibet libra ultra omnes taxationes predictas, prout in alieno statuto continetur, et non incidatur cauda ipsis piscibus qui ducentur de alieno districtu.

De bechariis.

107. In primis provisum est quod omnes et singuli becharii, et quecunque alie persone vendentes sive vendere volentes carnes recentes, teneantur et debeant vendere ipsas carnes recentes ad pensam seu ad libram modis infrascriptis videlicet. Carnes de castrato pro libra vi. denar. Carnes ovinas pro qualibet libra iiii. denar. et med. Carnes de capra pro qualibet libra iiii. denar. et med. Carnes de porcha castrata pro qualibet libra iiii denar. et med. Carnes de porcho masculo pro qualibet libra v. denar. Carnes de porcha non castrata pro libra iii. denar. Carnes de vitulo de lacte, et de manzio de dente, pro libra v. denar. Carnes de bove seu vaccha pro libra iiii. denar. Carnes de agnella de dente pro libra iiii. denar. Carnes de biuma de dente pro libra iiii. denar. Carnes de agnello de lacte pro libra v. denar. Carnes de capredo de lacte pro libra vii. denar. Carnes de montono pro libra iiii. denar. Libram sepi seu grasse ex quibus fiunt candele de sepo vi. denar.

Et ultra predictas taxationes nullo modo possint accipere, in pena in statutis comunis contenta. Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod provideretur sive providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus erunt.

De ferrariis grossis et minutis.

108. Item provisum est quod omnes ferrarii qui ferrant equos boves mulos et asinos, non possint nec debeant accipere de ferris ultra quan-

titates infrascriptas: videlicet de quolibet ferro novo cum clavis, et impositura cuilibet equo de duabus sellis de armis et cuilibet destrario ultra x. denar.

Item de quolibet ferro novo cum clavis et impositura cuilibet roncino vel roncine, mulo seu mule, asino magno seu asine magne ultra viii. denar.

Item de quolibet ferro novo cum clavis et impositura cuilibet asino parvo ultra vi. denar.

Item de remittendo ferrum aliquod cum clavis alicui destrario sive equo de armis, et cuilibet alii equo vel eque mulo vel mule roncino vel roncine asino magno vel asine magne, ultra iii. denar.

Item de remittendo aliquod ferrum cum clavis alicui asino parvo ultra ii. den.

Item de ferratura bovum seu vaccharum in aliquo pede cum duabus piotis novis et cum clavis, et cum una piota munitum (1) et cum clavis ultra vi. denar.

Item de remittendo alicui bovi seu vacche in aliquo pede cum duabus piotis et cum clavis ultra iiii. denar.

Item cum una piota tantum cum clavis ii. denar.

Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod providebitur per sapientes victualium qui pro tempore erunt.

De eodem.

109. Item provisum est quod ferrarii grossi facientes ferra grossa non possint accipere de infrascriptis ultra quantitates infrascriptas, videlicet.

De feramentis de rotis de carro, et de fenestris et de cancharis et de mappis et dobionibus et de catenatiis, et de massantio ferri a cochina, et de acutis pro libra ultra viii. denar.

Item de massa cum azali ad eam opportuno pro libra xi. denar.

Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus erunt.

---

(1) Il mss. *Dominici* ha *minutum.*

De sartoribus.

110. Item provisum est quod sartores de drapis non possint accipere de taliando et cusendo infrascripta ultra infrascriptas quantitates, videlicet de aliquo gonello drappi integri sive schieti, et sive de colore seu de medietate ab homine, cum suo reppo sartoris albo et endego, et cum factura pomellorum de drappo ad capitium et ad manichas ultra iii. sold. et vi. den. Et sine pomellorum factura de ipso gonello ultra ii. sold. et vi. den.

Item de aliquo guarnazono drappi integri sive schieti sive de colore sive de medietate ab homine inforrato de pelle cum suo reppo sartoris albo et endego et cum factura pomellorum de drapo ad capitium ultra iii. sold. et vi. den. Et si fuerit de cendali inforratus ipse guarnazonus ultra iii. sold. Et si fuerit sine fodra seu deffodratus ii. sold. et vi. den.

Item de aliquo mantello sive tabbaro sive gamerra drappi integri sive schietti sive de colore sive de medietate ab homine inforrato de pelle cum suo reppo sartoris albo et endegho ultra iii. sold. Et si de cendali fuerit inforratus ipse mantellus sive tabbarus sive gámmarra ultra iii. sold. et vi. den. Et si fuerit sine fodra sive diffodratus ipse mantellus sive tabbarus seu gammarra ultra ii. sold. et vi. den.

Item de remittendo manichas in aliquo gonello drappi integri sive schietti sive de colore sive medietate ab homine cum suo reppo sartoris albo et endegho et cum factura pomellorum de drappo ad illas manichas ultra xii. den.

Et sine factura pomellorum ad ipsas manichas ultra x. den.

Item de duabus caligis novis ab homine cum reppo sartoris albo et endegho ultra iiii. den.

Item de repediatura duarum calligarum ab homine cum suo reppo sartoris albo et endegho ii. den.

Item de aliquo guernimento de biseto vel de albasio ab homine cum suo reppo sartoris albo et endegho ultra ii. sold.

Item de aliqua ex predictis rebus supra divisis seu nominatis alicui puero a duodecim annis infra usque ad xii. annos ultra duas partes ex predictis quantitatibus.

Item de aliqua ex predictis rebus supra divisis seu nominatis alicui puero a duodecim annis infra usque in octo annos ultra dimidiam ex predictis quantitatibus.

Item de aliqua ex predictis rebus supra nominatis seu divisis alicui puero ab viii. annis infra, ultra tertiam partem ex predictis quantitatibus.

Item de aliquo guarnazono seu gonella drappi integri sive schietti sive de colore sive de medietate a femina, sine crispaturis cum suo reppo sartoris albo et endegho, dummodo ipse guarnazonus sit fodratus ultra iiii. sold.

Item de aliquo mantello drappi integre sive schietti sive de colore sive de medietate a femina fodrato cum suo reppo vel seda sartoris ultra iiii. sold.

Item de aliquo fustaneo a femina cum suo reppo sartoris ultra iii. sold.

Item de aliquo guarnazono vel gonella a domina de drappo de colore sive de medietate crispato sive crispata cum suo reppo sartoris albo et endego. dummodo ipse guarnazonus sit fodratus ultra viii. sold.

Item de aliquo guarnazono seu gonella a domina drappi liscati crispato seu crispata cum reppo sartoris albo et endegho: dummodo guarnazonus sit fodratus xi. sold.

Item de aliquo ex predictis guarnimentis supra divisis seu nominatis de domiua alicui puelle ab octo annis infra usque in quattuor annis ultra dimidiam ex predictis quantitatibus.

Item de aliquo ex predictis guarnimentis supra divisis seu nominatis de domina alicui puelle a quattuor annis infra, tertiam partem ex predictis quantitatibus.

Item de aliquo mantello zendalis seu zameloti seu panni de seda fodrato ultra vi. sold.

Item de aliqua zuppa ab homine cusita per longum sive traversum cum reppo x. sold.

Item de aliqua zuppa simili modo cusita ut supra alicui puero a xiiii. annis infra usque in octo annis cum suo reppo sartoris ultra vi. sold.

Item de aliqua zuppa simili modo cusita ut supra alicui puero ab octo annis infra cum suo reppo sartoris ultra iiii. sold. Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibns fuerint.

De magistris murorum et lignaminis.

111. Item provisum est quod magistri murorum, lignaminis, et cooperientes domos non possint accipere videlicet pro aliqua die qua laboraverint alicui si fuerit in civitate cum cibo et potu, et sine cena a calendis octobris usque ad calendas martii ultra ii. sold. Et a calendis martii usque ad calendas octobris sine cena ii. sold. viii. den. Et si fuerit in episcopatu placen. cum cibo et potu et cum cena eodem modo habeant in estate et in hyeme. Et si fuerint ad eorum pasturam, habeant ultra predictas quantitates pro quolibet die tam in estate quam in hyeme x. den.

Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod providebitur sive provideretur per sapientes victualium qui pro temporibus erunt.

De formagiariis.

112. Item provisum est quod formagiarii et vendentes formagium et carnes sallatas, non possint vendere videlicet libram formagii mazenghi et stobienghi duri ultra vii. den. et med.

Item libra formagii tomini seu tenerini ultra v. den.

Item libra lardi veteris ultra vi. denar.

Item libra carnium salatarum veterum ultra vi. den.

Item libra lardi novi ultra vi. den.

Item libra carnium misaltarum seu novellarum ultra v. den. Salvo in predictis taxationibus, et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus fuerint ad hoc deputati.

De portatoribus.

113. Item provisum est quod portatores non possint accipere ab aliquo de discargatura alicuius carri vini, videlicet si discargaverint desuper terram et non in bora et non levaverint vegietem ultra vii. denar.

Item si descargaverint in bora et non levaverint vegietem ultra viii. denar.

Item si descargaverint in bora et levaverint vegietem ultra x. denar. Et si travasaverint in terra seu bora et vegetem levaverint de carro viii. den. Et si non levaverint vegetem travasando de carro vini ultra vi. den.

Et debeant habere quotienscunque mensuraverint vinum ad postulationem alicuius scilicet de quolibet carro vini a venditore seu ab illo qui faceret mensurare si illud vinum non esset emptum ii. den.

Et teneantur quotienscunque travasaverint portare et habere urnos eorum scilicet quattuor ad minus ad travasandum ac etiam teneantur ipsi portatores precise ire quotienscunque requisiti fuerint et non recusare facere predicta.

Item quod ipsi portatores de portando de platea in aliqua parte civitatis bladum seu legumina non possint accipere de tribus stariis ultra iiii. den. Et de duobus stariis ultra iii. den. Et de uno stario ultra i. den.

Item quod ipsi portatores et quicunque alii stringentes vegetes magnas et parvas et vegiolas non possint accipere videlicet pro ponendo tres circhios alicui vegieti tractorie sive alicui vegiole de modio ligando eos ultra i. den. Et ab inde supra pro singulis tribus circhiis, totidem et non ultra. Et pro ponendo duas circhias alicui vegeti de carro, seu alicui vegeti de duobus carris et in ligando eas ultra i. den. Et abinde supra pro singulis duobus circhiis totidem et non ultra. Et pro ponendo alicui vegeti trium carrorum, seu alicui vegeti quattuor carrorum unum circhium i. den. Et abinde supra de quolibet circhio totidem, et non ultra habendo a facientibus eas stringere circhios et salices. Et quod quilibet qui cargaverit aliquam robam ad hospitium non possint habere nec accipere ab illo qui hoc fieri fecerit ultra de soma ii. denar. Et qui descargaverit ad hospitium de soma ultra i. denar. Et qui descargaverit ad portam (1) ponendo in navi de soma ultra ii. den. Salvo in predictis taxationibus et circa predicta in eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus fuerint ad hoc deputati.

De zochulariis.

114. Item provisum est quod zochularii et facientes seu vendentes zochulas, non possint accipere videlicet de pari zochularum ab homine sive a femina ultra xx. den. Et si fuerint zochule magne et alte cum zopello quarro ab hominibus sive a feminabus, et cum corollis largis non possint accipere de pari ultra ii. sold.

---

(1) *Portam.* Il ms.° *Dominici* ha *portum.*

Et pro recepelatura aliquarum zochularum ab homine vel femina, non possint accipere de aliquo pari ultra xiiii denar.

Item de quolibet pari zochularum pro aliquo puero masculo vel femina a xx. annis usque in xvi. annis non possint accipere de pari ultra xv. denar. Et pro recepellatura eisdem pueris pro pari ultra vi. denar.

Item de quolibet pari zocularum alicuius pueri masculi vel femine a xii. annis infra non possint accipere de pari ultra x. denar. Et pro recepellatura eisdem pueris ultra vi. denar. Et quod omnes zochule predicte habeant corollos de cordoano vel manzolo. Salvo quod in predictis taxationibus, et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium, qui pro temporibus fuerint ad hoc deputati.

De callegariis.

115. Item provisum est quod cordoanerii vel callegarii vel aliqui alii facientes vel vendentes scarpas vel calzarios, non possint accipere videlicet de pari scarparum ab homine que sint scarpe subtiles integre vel intagiate ultra ii. sol. et ii. den. Et de pari scarparum a domina que sint subtiles integre ultra i. sold. et viii. den. Et de pari planellarum ab homine ultra iii. sold. Et de pari planellarum a domina ultra iii. sold. et vi. den. Et dicte planelle tam de homine quam de domina habeant corollos de manzolo vel cordoano et sint predicta omnia laude bonorum virorum. Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus fuerint.

De fornasariis.

116. Item provisum est quod fornasarii vel facientes seu vendentes quadrellos cuppos et tavellas, non possint accipere de illis qui de cetero fient vel coquent videlicet de miliario quadrellorum cum conductura in civitate tantum ultra xxv. sold. Et de miliario cupporum cum conductura in civitate tantum ultra xl. sold. Et de miliario tavellarum cum conductura in civitate tantum ultra xx. sold. Et in episcopatu placen. ad fornaces non possint accipere videlicet de miliario quadrellorum ultra xx. sold. Et de miliario cupporum ultra xl. sold. Et de miliario tavellarum xvii.

sold. Et predicti quadrelli cuppi et tavelle tam de civitate quam de episcopatu sint et esse debeant bene cocti et bene sasonati, et ad mensuram et stampum ut hactenus consueverunt esse. Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus fuerint.

De cimatoribus.

117. Item provisum est quod cimatores pannorum non possint accipere de cimatura pannorum videlicet de brachio panni francischi valoris a sold. xx. infra cimando bis ultra iii. den.

Item de brachio panni francischi valoris a xx. sold. supra ultra iiii. den.

Item de brachio panni mediolanensis, cumanensis, modoetie, et florentie cimando semel i. den.

Item de brachio panni mediolani, cumani, modoetie, et florentie cimando bis. ii. denar.

Item de brachio panni valdemagni, medii lane agnelini et biseti ultra i. den. Salvo in predictis taxationibus et circa predicta omni eo quod provideretur seu providebitur per sapientes victualium qui pro temporibus fuerint.

De prebendis dandis per hospites.

118. Item statutum est quod per iudicem victualium et sapientes victualium qui pro temporibus fuerint ad hoc deputati provideatur bis in anno de mense aprilis et octobris super taxatione prebendarum equorum et aliarum bestiarum, que prebende dantur per hospites civitatis et districtus placentie hospitantibus in eorum hospitiis. Et id quod provisum fuerit per ipsos sapientes teneatur iudex victualium facere observari, et preconizari per civitatem.

De calderariis.

119. Item provisum est quod calderarii et alii facientes lebetes seu aliquos vassellos de ramo non possint nec debeant per se vel alios

vendere lebetes vel aliquos vassellos rami cum ferro sive cum manicis ferri. Sed ramum debeant vendere per se, et ferrum per se.

Item de ferro non possint nec debeant accipere pro libra ultra (1) den.

Item de libra rami ultra sold. den.

Item de scudelariis rami ultra videlicet pro libra sold. den.

De notariis et officialis salis.

120. Item statutum est quod nullus notarius vel officialis alicuius iudicis alicuius gabelle, vel aliquis alius audeat vel presumat scribere vel mittere aliquas citationes vel defensiones vel denunciationes occasione alicuius gabelle, vel occasione alicuius alterius debiti dati in scriptis per aliquos gabellatores tabernarios vel alias personas ad banchum et notarium ipsius iudicis alicui persone habitanti in civitate placentie vel eius episcopatu, nisi ipsa talis persona esset accusata de fraudatione alicuius gabelle, et accusa esset facta vel data in scriptis coram dicto domino iudice per dictos gabellatores vel aliquem ipsorum. In pena et sub pena decem floreni auri et notario, et illi qui miserit et scripserit dictas denunciationes citationes vel defensiones pro quolibet et qualibet vice: quam penam ipsi et quilibet ipsorum incurrant ipso facto absque aliqua condemnatione fienda. Et quam penam dominus potestas placen. postquam fuerit sibi notificatum teneatur recuperare cum effectu sub pena predicta. Et eadem pena puniatur quilibet currerius et famulus cuiuslibet iudicis vel officialis dictarum gabellarum, qui dictas citationes denunciationes vel defensiones portaverit et dederit alicui persone habitanti in dicta civitate et episcopatu placen. et que pena applicetur et exigatur ut supra: possint tamen et licitum sit dictis gabellatoribus et cuilibet ipsorum cum litteris domini iudicis gabellarum facere pignorari per currerios comunis placentie eorum debitores, et eisdem gabellatoribus dare debentes occasione ipsarum gabellarum vel alterius eorum. Et quod dicti currerii qui dictos debitores dictarum gabellarum pignoraverint ad postulationem ipsorum gabellatorum, non possint nec ullo modo eis sit licitum aliquid accipere extorquere vel habere a dictis pignoratis. Sed quod predicti gabellatores qui predicta pignoramenta fieri fecerint, te-

(1) Anche nei mss. sono lasciati in bianco i prezzi fissati ai ramaj.

neantur et debeant ipsis curreriis de labore suo secundum taxationem alias super solutiones curreriis factas, et quod quilibet currerius qui contrafecerit ipso facto incurrat penam decem librarum placentie pro qualibet vice exigenda ut supra. Et teneatur nihilominus ad restitutionem damni eius quod habuisset, accepisset, et extorsisset ab ipso tali pignorato.

De curreriis.

121. Item quod nullus currerius possit portare aliquod pignus quod acceperit vel fecerit in aliqua villa loco vel castro episcopatus placentie extra ipsam villam locum vel castrum in qua dictum pignus acceperit, nec pignus aliquod alicui impignare aliqua occasione, sed ipsum pignus teneatur recomendare penes consulem dicte ville vel loci, vel aliquem ex vicinis ipsius ville loci vel castri. In pena et sub pena decem librarum placentie pro quolibet et qualibet vice, quam penam incurrat ipso facto absque aliqua condemnatione fienda et exigenda. Qui consul sive ille cui dictum pignus fuerit recommendatum, teneatur infra octo dies post recommendationem dicti pignoris sibi factam presentare expensis ipsius pignoris dictum pignus coram illo iudice vel officiale ex cuius mandato factum fuerit ipsum pignus vel pignoramentum.

Alioquin dictus consul vel ille cui fuerit recommendatum dictum pignus incurrat penam soldorum viginti placentie pro quolibet et qualibet vice, cuius pene medietas sit comunis placen. et alia illius ad cuius postulationem factum fuerit pignoramentum.

De eisdem.

122. Item quod quilibet currerius qui iverit ad pignorandum aliquas personas in episcopatu placen. quavis occasione, de cetero teneatur et debeat dimittere in scriptis illi quem pignoraverit nomen et pronomen ipsius currerii, et illius ad cuius postulationem fecerit dictum pignoramentum, asque eo quod aliquid accipiat pro ipso scripto, in pena et sub pena viginti soldorum placentie pro quolibet et qualibet vice exigendorum et applicandorum ut supra. Et nisi dimiserit ei dictum scriptum, liceat illi qui debuerit pignorari prohibere pignus.

De eodem.

123. Item quod dominus potestas placentie vel eius vicarius teneatur et debeat, et quilibet ipsorum si requisiti fuerint aut eis vel alteri ipsorum fuerit notificatum et denunciatum cuilibet conquerenti se de dictis curreriis facere ius summarium et expeditum contra dictum currerium, et statuta predicta que mentionem faciunt de dictis curreriis notariis et officialibus observare et observari facere, et executioni mandare in pena et sub pena dicto potestati librarum quinquaginta placentie, et dicto eius vicario librarum vigintiquinque placen. applicanda ut supra.

De inferentibus iniurias advocatis et procuratoribus.

124. Item considerantes iniurias que quotidie inferuntur tam advocatis quam procuratoribus placen. per male agentes, ad refrenandum audacias et temeritates talium iniuriantium et offendentium ipsos advocatos et procuratores, providerunt et ordinaverunt quod non sit aliqua persona que audeat vel presumat minari, vel aliqua verba iniuriosa dicere, seu iniuriam vel offensam aliquam facere ipsis advocatis seu procuratoribus vel alicui eorum et in eorum personam: et si quis contrafecerit, tunc dominus potestas placen. et eius iudex maleficiorum cum hoc noverint, teneantur et debeant mittere pro dicto tali qui ipsas minas et verba iniuriosa seu iniuriam dixerit vel fecerit ipsi advocati vel procuratori, et cogere dictum talem delinquentem ad prestandum coram eis idoneam securitatem de libris centum placen. Et securitas non sit de magnatibus dicte civitatis: qua securitate prestita, teneatur ipse dominus potestas et eius iudex maleficiorum ipsum talem repertum culpabilem de predictis punire et condemnare in libris centum placen. et plus et minus, inspecta facti et personarum qualitate applicandis pro dimidia camere prefati domini nostri, et pro alia comuni plac. Et si dictus potestas et eius iudices maleficiorum fuerint negligentes in exigendo predicta, quod incurrant penam xxv. florenorum auri applicandam ipsi camere prefati domini.

De scripturis et notariis.

125. Item statutum est quod quilibet notarius qui scripserit et receperit aliquas depositiones seu dicta aliquorum testium in quocunque iudicio, seu coram arbitro vel arbitratore, teneatur conscribere in quacumque pagina libri seu quaterni xxii. lineas seu rigas ad minus: et quod quecumque riga seu linea contineat ad minus decem dictiones, de quarum receptione et scriptura possit notarius habere et percipere pro qualibet carta decem denar. placen. a parte producente et non ultra: et pro dando dicta ipsorum testium exemplata possit exigere recipere et habere notarius a parte dicta ipsorum testium exemplata requirente et habere volente sex denar. pro qualibet carta modo predicto conscripta et non ultra. Et si aliqua partium voluerit habere aliquem notarium qui intersit examinationi ipsorum testium, possit ipse notarius percipere et habere a parte que ipsum proponere voluerit dicte examinationi octo denar. pro qualibet carta modo predicto conscripta et non ultra: et quod quilibet notarius qui fecerit vel scripserit extraxerit seu exemplaverit aliqua acta ex libro aliquorum actorum in quocumque iudicio factorum teneatur conscribere in quacumque pagina quaterni exemplature xxiiii. rigas sive lineas ad minus. Et quod quelibet linea seu riga habeat ad minus quinque dictiones: de quorum actorum exemplatura et scriptura, et dando ipsam cum gruppo, possit percipere et habere notarius pro qualibet carta modo predicto conscripta quinque denar. placen. et non ultra a parte que ipsa acta habere voluerit, in pena et sub pena xx. soldorum placen. et nihilominus per iudicem ad observantiam huius statuti compellatur.

De consulibus villarum etc.

126. Item statutum est quod consules et homines villarum et locorum districtus plac. teneantur et debeant ad requisitionem curreriorum comunis plac. dare ipsis curreriis auxilium et favorem ad pignorandum quoscunque in eorum villis et locis habitantes et conducentes ipsa pignora in placentia coram iudice et officiali ex cuius parte tunc fuerint missi. In pena et sub pena centum soldorum placen. pro qualibet vice qua fuerit contrafactum: cuius pene medietas sit comunis et alia medietas partis ad cuius instantiam et postulationem predicti currerii fuerint destinati.

Et quod nullus currerius audeat vel presumat aliqua pignora per eum pignorata de loco vel villa ubi ea pignoraverit exportare, nec alicui quacunque de causa ipsa pignora vendere distrahere seu pignori dare nec obligare, absque licentia et mandato illius iudicis vel officialis, ex cuius parte factum fuerit dictum pignoramentum. Sed ipsa pignora teneatur et debeat dictus currerius recomendare penes idoneam personam in vicinia in qua habitaverit ille qui fuerit pignoratus: et hoc in pena et sub pena centum soldorum placen. pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, et in amissione salarii quod dictus currerius habere debebat occasione predicti pignoramenti fiendi ab eo qui eum misit.

De campsoribus.

127. Item statutum est quod omnes et singuli campsores, et qui volunt et intendunt esse campsores, et tenere banchum campsorie in civitate placen. in primo mense regiminis cuiuslibet potestatis plac. requisiti teneantur et debeant in pena librarum centum placen. promittere et se obligare solenniter cum capitulis solennibus et oportunis cautelis, et bonos et idoneos fideiussores cives plac. dare et prestare de libris mille placen. pro quolibet dicto potestati placen. vel eius vicario et notario et officiali ipsorum potestatis et vicarii dictatoris comunis, utpote publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice cuiuslibet persone cuius interest vel interesse posset solvere dare reddere et restituere in pecunia numerata sine alia exceptione oppositione cavillatione vel conpensatione quibuslibet personis vel habentibus causam ab eis seu ea omnem pecunie quantitatem quam ipse persone vel persona deponent vel acomendarent penes ipsos campsores ac etiam dare scripturam scriptam de manu eorum illi persone seu personis que pecuniam deposuerit vel accomendaverit ipsis campsoribus continentem se campsores recepisse illam pecuniam, que penes eos deponeretur vel accomendaretur, et quod illi scripture ac etiam scripture librorum ipsorum campsorum credatur et debeat credi quantum est contra ipsos campsores et in favorem creditorum et plena fides dari sicut crederetur et fides daretur si dicta scriptura et dicti libri essent solemne publicum instrumentum. Et teneantur dicti campsores et compellantur ostendere quotienscunque et quandocunque fuerint requisiti librum ipsorum cuilibet pertinenti. Et si questio oriretur inter ipsos

campsores et accomendantes seu deponentes, quod cognoscatur et terminetur per vicarium domini potestatis summarie, et de plano sine strepitu et figura iudicii diebus feriatis et non feriatis, et sine aliqua petitione seu libello, seu memoriali scribendo in actis absque aliqua instantia observanda. Et quod quilibet potestas plac. qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat infra xv. dies ab introitu sui regiminis requirere seu requiri facere dictos campsores, seu eis precipi facere, et ipsos compellere ad faciendum predicta in hoc statuto contenta, in pena et sub pena predicta.

De modulis lapidum cupporum et tavellarum.

128. Item statutum est quod moduli lapidum cupporum et tavellarum de terra ferrentur et bollentur bolletino comunis plac. et ponantur ad cameram comunis placen. et quod sculpentur et signentur in lapide marmoreo ubi est sestarius lapideus bladi subtus palacium comunis placentie.

De fornasariis.

129. Item quod omnes fornasarii habeant et habere debeant modulos suos lapidis cupporum et tavellarum bonos et legales sine aliqua frustatura ad stampum et modum predictorum modulorum comunis predicti: et si repertus fuerit habere stampum et modulum non legalem ad modum predictorum, condemnetur in soldis LX. placentie: et intelligantur esse legales si reperirentur esse maiores quam moduli comunis.

De eodem.

130. Item quod predicti moduli fornasarii debeant facere et laborare lapides cuppos et tavellas bene fideliter et legaliter bene coctos sine aliqua cava et aliqua diminutione. Et si quis contrafecerit puniatur pro quolibet lapide cuppo et tavella non sic laboratis et bene coctis in denariis duobus pro quolibet lapide cuppo et tavella.

De eodem.

131. Item quod omnes fornasarii omnes eorum modullos lapidum cupporum et tavellarum teneantur sigillari et bullari facere omni anno bulleto comunis placentie de mense martii vel aprilis. Et si quis repertus fuerit habere modullos non sic signatos et bullatos puniatur in decem soldis pro quolibet modullo.

De eodem.

132. Item quod predicti fornasarii non possint facere lapides cuppos et tavellas nisi ad modulos signatos et bullatos prout superius dictum est: et si quis contrafecerit puniatur in soldis xx. plac. pro quolibet modullo.

De eodem.

133. Item quod in omnibus predictis casibus, et quolibet predictorum de quibus fieret aliqua condemnatio fornasarius dominus teneatur pro laboratore.

De eodem.

134. Item quod quelibet persona possit et valeat predictos fornasarios facientes et laborantes contra predicta vel aliquod predictorum denunciare et accusare, et credatur dicto accusatori cum uno teste: et habeat medietatem suprascriptorum bannorum: et alia medietas sit comunis, et credatur inventionibus in predictis casibus que fierent de predictis fornasariis per iudicem et officialem victualium domini potestatis plac.

De donis.

135. Item statutum est quod nullus civitatis placentie cuiuscunque conditionis existat audeat nec presumat nec debeat donare mittere vel dare aliquod donum sive dona palam vel privatim ad aliqua sponsalitia sive nuptias alicui ducenti uxorem, vel danti mulierem aliquam alicui in uxorem, in pena decem librarum placen. et teneatur pater pro filio et filius pro patre: et quilibet possit esse accusator, et habeat tertiam

partem pene, et teneatur secretus. Et hoc non habeat locum de fratre ad fratrem, nec de cognato ad cognatum. Super quibus omnibus iudex maleficiorum possit et debeat procedere per inquisitionem, et etiam per notificationem sibi factam ab eo sive illis qui tertiam partem pene ob hoc lucrari voluerint.

De eodem.

136. Item quod nullus civitatis placen. audeat vel presumat mittere aliqua dona vel insenia ad domum alicuius defuncti publice vel privatim sub pena centum soldorum plac. cuius pene medietas sit accusatoris, et alia medietas perveniat in comune: qui accusator teneatur secretus.

De domibus non devastandis etc.

137. Ad publicum aspectum reformandum et reformatum conservandum, et ad sedanda scandala et odia que ex destructionibus seu devastationibus domorum hactenus in civitate placen. pervenerunt, pro evidenti utilitate comunis placen. statuimus et ordinamus, quod de cetero nulla persona cuiuscunque conditionis existat audeat vel presumat destruere domos, vel devastare seu devastari facere aliquam domum in civitate plac. vel burgis vel suburbiis, nec etiam in districtu occasione alicuius partialitatis vel alicuius maleficii seu malexardie: nec etiam occasione alicuius maleficii publici vel privati, vel causa vendendi vel alienandi cuppos lapides lignamina vel alia quacunque ratione causa vel modo qui dici vel excogitari posset, ut domus destructa et dirupta remanere debeat: sed tales domus que alias ex maleficio vel delicto, partialitate vel malexardia, vel debito publico devastari deberent illese deveniant in comune placentie usibus et comodis ipsius comunis perfruere quando alias debuissent tales domus devastari vel destrui de facto vel de iure. Et si quis contrafecerit in aliquo predictorum incurrat ipso iure sive facto penam librarum mille plac. que deveniant in comune plac. et nihilominus ad emendam damni teneatur damnum passo. Et hoc statutum perpetuo sit firmum, et precise debeat observari: et non possit tolli cassari vel ammoveri seu arrogari vel ipsi aliqualiter derogari: et quod nulla persona audeat vel presumat allegare seu arengare

vel aliquibus aliqualiter suadere contra predicta vel aliquid predictorum in pena et sub pena predicta, nisi procederet de speciali mandato et licentia dominorum nostrorum.

Quod debeat prius conveniri principalis quam fideiussor.

138. Item providerunt et ordinaverunt quod siquis fideiusserit vel secundario nomine pro aliquo se obligaverit seu obligabit, primo principalis pro quo obligatus sit vel erit debeat conveniri antequam fideiussor vel secundarius.

De eodem.

139. Item statuerunt quod quecunque bona habent vel habebunt homines et persone iurisdictionis plac. perpetuo sint obligata et obnoxia comuni placen. et oneribus comunis plac. adeo quod etiam propria auctoritate ad ipsa semper possit haberi recursus quicunque sit possessor pro oneribus eorum quorum fuissent. Salvo si possidentes ea sustinerent onera comunis plac. et essent supposititi iurisdictioni domini potestatis plac. quo casu sufficiat eos possidentes sustinere, nec cogi possint pro oneribus eorum quorum ipsa bona fuissent.

De alienatione in non subditum.

140. Item quilibet civitatis et districtus placen. qui in aliquem non subditum iurisdictioni domini potestatis plac. aliquam rem imobilem quoquo modo alienare voluerit, solvat de vera estimatione rei quam alienat vel in alium non suppositum iurisdictioni potestatis plac. transfert de qualibet libra tertiolorum sold. decem: et omnes res immobiles que possidentur vel possidebuntur in posterum per suppositos iurisdictioni comunis placen. quas in futurum in non suppositos contigerit alienare sine solutione predictorum soldorum decem pro qualibet libra, ipso iure ex nunc prout ex tunc cadant et cecidisse intelligantur in ius et dominium comunis plac. et siquis huic provisioni aliquo modo vel ingenio fraudem fecerit maxime de persona ad personam, condemnetur in vera rei estimatione, et nihilominus solvat ut supra.

De notariis.

141. Notarii qui scienter instrumentum tradent vel scribent alicuius contractus per quem contra predicta vel in fraudem creditorum aliquo modo aliquid fieret, puniantur in libris c. tertiolorum, et contractus ipso iure sit nullus.

De pena alienantium in non subditos.

142. Et si contigerit personam que non sit de iurisdictione potestatis et comunis plac. possidere ammodo rem que fuerit supposita iurisdictioni comunis placentie, pro plena probatione habeatur qui contra hanc provisionem seu in eius fraudem alienatio facta sit: et quod potestas placen. qui est vel pro temporibus fuerit teneatur et debeat de predictis et quolibet predictorum cum ad eorum notitiam pervenerit inquirere cognoscere et condemnare. In quibus vel in aliquo eorum si negligens fuerit pena librarum quingentarum incurrat: et de predictis et quolibet predictorum quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem predictarum penarum: et he provisiones sint derogatorie omnium statutorum provisionum et reformationum, etiam si in eis essent verba derogatoria, de quibus oporteret specialem fieri mentionem: quibus omnibus et singulis in quantum premissis obviarent vel aliter disponerent, sit penitus derogatum.

Qualiter banniti possint exire de banno.

143. Item statuerunt quod siquis bannitus de aliquo maleficio consignaverit in fortiam comunis placentie aliquem bannitum de simili maleficio, quod talis consignans eximatur de banno suo.

Quod non intelligatur derogatum esse alicui decreto.

144. Item statuerunt et ordinaverunt quod per precedentia statuta nec per confirmationem de eis factam nec fiendam non derogetur nec derogatum esse intelligatur in toto nec in parte alicui decreto nec ordinamento prefati magnifici domini seu eius mandato facto seu confirmato edito nec edendo.

Dominus mediolani etc. comes virtutum imperialis vicarius generalis.

Fecimus videri et examinari omnia et singula statuta comunis nostre civitatis placen. presentibus alligata per certos quos ad hoc faciendum duximus deputandos. Quare statuta predicta sic visa et examinata atque correcta que sunt numero quinquecentum et XLVI. quorum primum incipit. Imprimis statutum et ordinatum est quod idem dominus Galeaz vicecomes comes virtutum mediolani etc. dominus generalis sit et intelligatur esse per se heredesque suos in perpetuum etc. Ultimum vero incipit. Item statuerunt et ordinaverunt quod per precedentia statuta nec per confirmationem de eis factam nec fiendam non derogetur etc. Laudamus approbamus et confirmamus, volentes quod de cetero praticentur et observentur in omnibus et per omnia sicut iacent: nobis tamen reservata auctoritate arbitrio et bailia addendi et diminuendi, mutandi, corrigendi prout et quotienscunque nobis visum fuerit et placuerit. Hoc preterea declarando, quod intentionis nostre non est nec volumus, quod predictorum occasione nostris decretis factis vel fiendis preiudicium aliquod generetur. Datum Mediolani XIX. augusti. M.CCC.XCI. Gasparinus. A tergo nobili viro potestati nec non sapientibus civitatis nostre placentie.

EXPLICIUNT STATUTA ANTIQUA COMUNIS PLACENTIE.

10052142

10052142

STATUTA COLLEGII IURISCONSULTORUM

ANN. 1435.

EX COD. MEMBRANACEO ARCHIVII MUNICIPALIS

PLACENTIAE

10052142

STATUTA COLLEGII IURISCONSULTORUM (1).

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo-quadrigentesimotrigesimoquinto. Indictione terciadecima, die tercio mensis septembris. Placentie in camera posita post stationem Bartolomei Suprani in quo loco congregari consuevit dictum Collegium pro negotiis suis peragendis, et quem locum ad cautellam elligerunt Collegium Iudicum civitatis Plaeentie, videlicet dominus Ioannes de Scribanis Prior dicti Collegii, dominus Paulus de Credatio legum doctor, dominus Bartholomeus de Barateriis iurisutriusque doctor, dominus Ludovicus de Brachifortibus legum doctor, dominus Joannis de Cigadis iurisutriusque doctor, dominus Matheus Thodiscus legum doctor.

Quoniam (2) ut ait beatus Augustinus in libro de Fide cristiana catholica per orbem diffusa, tribus modis probatur existere idest regi quidquid namque in ea tenetur. Auctoritas Est Scripturarum, aut traditio universalis, aut certa propria et particularis instructio. Sed auctoritas Scripture tota constringitur universali traditione maiore. Privatis vero constitutionibus et propriis informacionibus una queque pro locorum varietate prout cuicunque visum est subsistit et regit, cum nec etiam

---

(1) I presenti Statuti sono i più antichi che si abbiano de' giureconsulti. Stanno autentici nel più volte ricordato *liber Dominici* donde furono esemplati. In tempi posteriori i giuristi nostri in ordine a' bisogni modificarono ed aggiunsero. Il conte Pallastrelli ha tra suoi mss. due codici cartacei che recano gli Statuti cresciuti di mole negli anni 1553, 1555, e 1558. Più tardi ancora e precisamente nel 1648 di nuovo riformati per volere di Odoardo Farnese furono coi tipi Ardizzoni stampati in Piacenza con illustrazioni ed aggiunte per cura di Luigi Albrizzi giureconsulto di qualche valore.

(2) Preambolo confuso forse per erronea scritturazione nell' originale.

debent irreprehensibiles iudicari secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur, humana presertim cum vigens necessitas vel evidens utilitas id exposcat, quoniam ipse ex his que veteri Testamento statuit, nonnulla mutavit in novo. Hinc est quod egregii et sapientes viri domini Joannes de Scribanis (1) Prior suprascripti Collegii, Paulus de Credatio legum doctor, Bartholomeus de Barateriis (2) iuris utriusque doctor, et Mattheus de Todischis legum doctor, cum plures non essent in civitate Placencie, nec in loco unde possent comode evocari. Convocati et congregati in loco suprascripto de mandato domini Prioris in quo pro negotiis dicti Collegii convocari et congregari consueverunt, citatis tamen prius eius parte aliis de dicto Collegio per Bartholomeum Supranum notarium dicti Collegii ut ibidem retulit infrascripta occasione interessent in loco suprascripto hac hora, et legitime expectatis et congruo tempore ac debito, et non venientibus. Attendentes fore utile pro bona et salubri gubernatione et honore dicti Collegii infrascripta facere ad eternam rei memoriam, et laudem Sancte Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, ac beatissime et gloriose virginis Marie, beatorum Antolini et Iustine protectorum, advocatorum, ac defensorum civitatis predicte, ac beate Caterine virginis dicti Collegii advocate, totiusque celestis Curie, nec non ad honorem illustrissimi Principis et excellentissimi domini nostri Filippimarie ducis Mediolani etc. Papie Anglerieque comitis ac Janue domini, infrascripta statuta et ordinationes et seu reformationes tam ex antiquis quam ex novis additis consuetudinibus, salva semper auctoritate prelibati domini domini nostri, eiusque successorum, ediderunt, promulgaverunt, ac fecerunt ac reformaverunt ut infra videlicet.

De electione et iuramento Prioris, Notarii, et ordine Collegii.

1. In primis statuerunt quod omni anno in vigilia et festo sancte Caterine virginis studiosorum advocate, quod celebratur vigesimaquinta die novembris, in loco congregationis dicti Collegii deputato sive deputando, Prior dicti Collegii faciat per notarium Collegii convocari Collegium

---

(1) Questo Giovanni Scribani fu giurista di molta celebrità. Intervenne al Concilio di Costanza, e molta parte vi prese. *V. Albricii. Observationes ad album, DD. et Iud. Plac.*

(2) Anche questo Barattieri fu legista di gran nome, e professore in Pavia e Ferrara.

ipsum, ibique eligatur Prior novus dicti Collegii qui duret Prior usque ad subsequentis anni festum predictum, et elligatur successive iuxta ordinem introitus per unumquemque de dicto Collegio, nisi causa non residentie vel alia iusta causa aliud faciendum induceret, eademque die et loco elligatur novus notarius dicti Collegii, et electus intelligatur ille qui fuit notarius dicti Collegii anno preterito, nisi alius fuerit electus in notarium. Qui Prior et Notarius iurare teneantur honorem et bonum collegii procurare, et servare statuta presentia, et quantum in se erit servari facere, et in cuius Prioris manibus iurent quicunque de dicto Collegio, et dictus notarius de sibi et successoribus suis parendo in licitis et honestis tangentibus ipsum Collegium et non ultra: de quibus electionibus et iuramentis fiat publicum instrumentum, et eadem die et loco legantur per notarium Collegii omnia Statuta dicti Collegii in presentia dicti Prioris et Iudicum, et ut claritas sit in ordine introitus dicti Collegii respectu eorum qui in dicto Collegio sunt, ordo introitus successive fiat prout ordinate infrascriptum est in fine statuti de vivis in dicto Collegio existentibus. Et dicti Iudices et quicunque alius intraverit dictum Collegium, seu eorum nomina et cognomina scribantur litteris rubeis in fine presentium Statutorum per notarium dicti Collegii, que scriptura faciat plenam probationem qui sint in dicto Collegio, et eo ordine quo scripti fuerunt. Et qui omnes Iudices de dicto Collegio sedeant et incedant, et honores habeant in collegio et extra in actibus tamen collegialibus iuxta gradus eorum, et in paribus in gradu iuxta ordinem receptionis in collegio et scripture predicte, et que scriptura cum presentibus statutis omni anno legatur ut supra.

De ordine et forma recipiendorum in Collegio.

2. Item quod nullus possit in dicto Collegio sub pena periurii recipi, nisi sit civis originarius civitatis Placentie, quique vel eius pater vel avus paternus vel alii ascendentes per lineam paternam nati sunt in civitate Placencie vel episcopatu. Nec sufficiat quod sit factus civis Placencie, vel pater vel avus suus paternus per consilium generale civitatis Placencie, vel per rescriptum sive per literas vel longam habitationem vel domicilium vel aliter post presentem diem confirmationis horum statutorum, quique non (1)

(1) *Non.* Questa negativa è posta erroneamente nel mss. Lo statuto del 1648 ha; *nullus possit ingredi collegium qui sit clericus beneficiatum in aliqua Ecclesia.*

sit beneficiatus in aliqua Ecclesia, vel clericus ultra primam tonsuram, et sit natus ex legitimo matrimonio vel saltem legitimatus, quique sit saltem licentiatus in Iure Civilli in studio generali, aut in nostra vel alia civitate habente privilegium studii generalis. Insuper teneatur quicunque intrare volens dictum Collegium solvere ipsi Collegio libras sedecim Placencie, et soldos decem notario dicti Collegii, qui de receptione eius scripturam conficiat: et si de dicto introitu conficeretur instrumentum habeat dictus Notarius soldos viginti. Que libre sedecim deponantur et deponi debeant penes eam idoneam personam que per dominos de Collegio elligi contigerit, et qui denarii dispensentur postmodum pro necessitatibus dicti Collegii et prout dictum Collegium decreverit. Si tamen fuerit filius aut abiaticus simpliciter vel frater alicuius qui sit vel fuerit de dicto Collegio, non teneatur ad soluctionem dictarum librarum sedecim, sed solummodo teneatur solvere filius vel abiaticus libras duas, et frater libras tres, ulteriores vero in gradu solvant prout reliqui extranei, quas libras sedecim realiter habeat apud se Prior vel notarius dicti Collegii antequam Collegium congregatur occaxione dicte receptionis fiende. Teneatur insuper iurare in manibus Prioris dicti Collegii presentia statuta, et honorem et statum Collegii se procuraturum, et parere Priori in licitis et honestis tangentibus factum dicti Collegii. Et presens Statutum teneatur Prior et quilibet de dicto Collegio tam recepti quam recipiendi observare precise et pro posse observari facere, et se opponere cuilibet contrafacienti vel contrafacere volenti sub pena periurii. Et possit multari per dominum Priorem secundum qualitatem facti et personarum: que multa applicetur Collegio predicto, que multa (1) soldos viginti Placencie. Et si quis contradicere vel contrafacere voluerit, sit et esse intelligatur privatus dicto Collegio, et honoribus et comoditatibus dicti collegii quibuscunque, et contra presens Statutum non possit dispensari. Et non obstantibus aliquibus statutis in contrarium factis vel fiendis, ac si de omnibus esset facta mencio specialis specifica et expressa, et de verbo ad verbum insertum. Ita tamen quod facta propositione de intrando seu intrare volendo dictum collegium, ipse preponens vel in Collegium intrare volens statim recedat de loco ubi dictum Collegium congregatum fuerit, et interim deliberetur per

---

(1) *Que multa*. Dopo queste parole manca qui alcun che come *non superet*, od altro.

Priorem et Iudices dicti Collegii an debeat recipi in Collegio secundum formam Statutorum dicti Collegii (1).

De oblationibus fiendis.

3. Item teneatur dictum Collegium omni anno ad festum devotissimi Corporis domini nostri Jesu Christi facere portari duos cereos cere librarum trium ad minus pro quolibet cereo super astis, et cum insignio beate Caterine vel sancti Luce super ipsis cereis qui accensi stent et perseverent usque quo in Ecclesia maiori Placencie sit finita missa maior dicti festi: et quicquid superfuerit ex ipsis detur Ecclesie fratrum Minorum Placencie pro levando Corpus Domini singulis diebus. Teneatur etiam ipsum Collegium offerre vel offerri facere unum pulchrum cereum librarum quatuor ad minus ad festum sancte Caterine cuiuslibet anni.

De honore fiendo.

4. Item si casu contingat uxorem ducere vel sponsam vel uxorem desponsare aliquem de dicto Collegio, vel alium de familia alicuius de dicto Collegio, dictus Prior teneatur cum Collegio interesse sponsalibus et matrimonio. Et quia ita amici cognoscuntur in funeralibus sicut in nuptialibus, idem statuerunt servari debere in funeralibus et exequiis (2).

De stario salis annuatim habendo.

5. Item quod Prior dicti Collegii et dictum Collegium teneatur facere

---

(1) Così tenaci erano di questi diritti che nel 1573 diedero esempio di gran fermezza contro la volontà del Principe. Carlo V. Imp. voleva che un Domenico Bosio fosse ammesso al Collegio. Raccomandollo al genero Ottavio Farnese: questi al Collegio con lettera umilissima. Ma il Bosio non era ammissibile e il Collegio rifiutossi. Ottavio rescrisse, e rescrisse Cesare ed anche Alessandro Farnese benamato dei Piacentini. Ma fu invano: il Collegio rifiutò l' ammissione. Le lettere autentiche dei Principi, e le risposte del Collegio sono recate per intero dall' Albrizzi a modo di Appendici allo Statuto del 1648.

(2) Nella riforma del 1648 è aggiunto che uno del Collegio scelto dal Priore debba dire l' orazione funebre del Collega morto: *si insignis memoria eiusdem id exigat: et ille qui electus fuerit, tale munus recusare non possit, nisi ex iusta causa, ut infirmitatis vel necessariae absentiae per Priorem ipsum iudicanda.* Pag. 28. Cap. XXI.

et curare cum effectu iuxta solitum quod quilibet Iudex de dicto Collegio qui aliquo tempore anni steterit in civitate Placencie habeat gratis unum starium salis ad mensuram grossam tempore viso dicto Priori seu dicto Collegio a Gabellatoribus salis civitatis Placencie, sive a Gabella comunis Placencie in casu quo gabellatores aliqui ipsam gabellam non incantarent, ita quod omni casu et omni anno ipsum starium salis habeant quilibet ipsorum, cum et dacium gabelle salis comunis Placencie obtineat omni anno starium unum salis dari debere cuilibet de dicto Collegio. De hoc omni anno se intelligant cum Refferendario ipsius civitatis, et quod per eos ordinatum fuerit per Refferendarium et Datiarios executioni mandetur.

De advocato miserabilium personarum et eius sallario.

6. Item quod iuxta formam statutorum comunis Placencie elligatur et elligi debeat per Comune Placencie omni anno quando fiet consilium generale pro elligendis sindicis ad vendendum gabellas comunis unus providus et discretus Iurisperitus in Iure et expertus in factis de dicto Collegio qui sit patronus et advocatus viduarum, orfanorum, et aliarum miserabilium personarum, a quibus nihil accipiat pro mercede seu sallario suo etiam esculentum vel poculentum, sed habeat et habere debeat sallarium a comuni placencie pro anno uno qui incipere intelligatur in kalendis mensis Ianuarii cuiuslibet anni libras vigintiquinque: quarum solutio fiat de quacunque pecunia que fuerit in comuni, et si forte in comuni non reperiretur pecunia, aut esset alteri debita, teneantur Anciani providere de dicto sallario prout eis melius videbitur, et ut hoc effectum habeat teneatur dictus Prior et Collegium et Collegii Iudices operam dare cum effectu ut elligatur persona sufficiens iuxta ordinem introitus Collegii, et ad hoc teneantur omnes officiales placencie prestare auxilium consilium et favorem, et quod ordinabitur per ipsum Collegium fiat cum consilio Potestatis et Refferendarii, et sine preiudicio camere, neque interessi nostro.

De sermone introitu potestatum placencie (1).

7. Item quod prior dicti Collegii teneatur precipere iuniori in dicto collegio ut faciat sermonem publicum in introitu regiminis cuiuslibet potestatis in dicta civitate pro prefato Domino Domino nostro et eius successoribus. Qui sermo fieri consuevit per unum de dicto collegio, et ubi post ipsum sermonem alius in dicto collegio non intrasset, proxime precedens iunior eo qui sermonem anno vel tempore precedenti fecerat, ipsum sermonem faciat, et sic successive nisi ex casu prior predictum ordinem duxerit immutandum. Et qui sermonem predictum fecerit, habeat a comuni Placencie soldos quadraginta ad minus pro aliquali remuneratione.

De intercessionibus, fideiussionibus, et promissionibus.

8. Item quod nullus de dicto Collegio possit esse intercessor, promissor vel fideiussor in iudicio civili vel criminali, vel causa vel re aliquorum gabellatorum, vel pro alia vel aliqua persona nisi cum consensu prioris et Collegii predicti. Et si fuerit promissor vel fideiussor ut supra non valeat ipso iure, et si renuntiatum fuerit legi vocanti principalem prius fideiussore, et alie vocanti quemque pro rata, aut se aut principalem promissorem obligasset, vel aliis similibus legibus, vel si presenti statuto fuerit renuntiatum, vel aliis renuntiationibus, etiam si ipsa fideiussio vel securitas fuerit iuramento firmata, nec de et pro ipsa fideiussione vel securitate ius reddatur contra aliquem de dicto collegio.

De questionibus illorum de Collegio cum aliis.

9. Item si quam contigerit ut supra controversiam vel questionem moveri vel moveri velle contra aliquem de dicto Collegio vel de eius familia vel domo civiliter vel criminaliter, vel mixte, teneatur prior dicti Collegii pro posse una cum iudicibus dicti Collegii providere ut

(1) Il presente Statuto, o fu abrogato, oppure andò in desuetudine, poichè non si trova nelle raccolte posteriori.

dicta questio locum non habeat, que sopiatur per modum concordii, compositionis, compromissi, vel aliter, et ubi pur (*sic*) locum habere deberet ipsa questio, et per ipsum advocatum remaneret talis compositio possit et valeat unus et plures de dicto collegio esse advocatus in dicta questione contra illum de dicto collegio cui moveretur vel moveri velit dicta questio ad requisitionem partis adverse. Idem intelligatur si quis de collegio moverit vel moveri velit alicui questionem, litem, seu controversiam.

De questionibus illorum de Collegio inter se se.

10. Item quia concordia res parve crescunt, discordia vero maxime dilabuntur, si contigerit aliquam questionem vel differentiam esse vel esse posse aut debere, aut zinzaniam, odium, vel rancorem inter aliquos de dicto Collegio, teneatur pro posse prior dicti collegii et dictum collegium ipsam tollere et sopire: et ubi aliter non posset tolli vel sopiri, prior Collegii et ipsum Collegium sit Iudex dicte questionis vel differentie, et non possit aliquis de collegio recusare iurisdictionem dicti Prioris et Collegii, cuius determinationi stetur per unamquemque partium, nec aliqualiter possit contraveniri, nec contraveniens ab aliquo Iudice audiatur: et quod in allegationibus et actibus eorum pacifice et honeste, et sine clamore et ignominia et verbis iniuriosis se habeant, et inter se se non loquantur ibidem nec alibi, se se honorent nec obloquantur, sed se firmo amore diligant et pertractent, partialitatem et omnem malivolentiam deponant presertim in Collegio.

De congregatione Collegii.

11. Item quod quibuscumque kalendis cuiuslibet mensis teneatur facere convocari dictum Collegium ad locum deputatum sive deputandum, si quid dicendum tractandum vel sententiandum fuerit per Priorem quavis occasione ipsi Collegio utile, vel alicui corum pertinenti, tractetur, dicatur, et fiat.

De iniuriis factis illis de Collegio.

12. Item si contigerit aliquam iniuriam vel offensam realem vel personalem, vel verbalem vel contumeliam vel insidias fieri Priori vel alicui de dicto Collegio, teneatur et debeat obviare et procurare quod cessent ipsa omnia, et quod talis sic faciens ultra penas impositas vigore decretorum prelibati Illustrissimi Domini Domini nostri, vel de iure comuni vel statutis, puniatur in libris vigintiquinque pro qualibet vice ipso iure applicandis camere Ill. D. Nostri, pro quibus solvendis ipse sic faciens possit personaliter detineri, et bona sua sint tacite ypothecata dicte camere: quod tamen statutum non vendicet sibi locum in aliquo de collegio faciente contra predicta contra alium de dicto collegio, sed puniatur arbitrio domini Prioris collegii cum participatione et deliberatione aliorum de collegio.

De filiis familias existentibus in dicto Collegio.

13. Item ad maiorem claritatem ordinaverunt et statuerunt quia quo attinet ad ius publicum patria potestas non curatur quod de dicto collegio quilibet possit et debeat assumi consultor, comissarius, assumptus, delegatus, arbiter, arbitrator et amicabilis compositor cuiuscumque questionis seu controversie mote vel movende, et pro confidentibus dari sive sit paterfamilias, sive filiusfamilias, et sive habeat familiam et teneat de per se in civitate et episcopatu Placencie sive non, dummodo alias sit presens vel residens non possit recusari, vel pro suspecto vel non pro confidente dari, quia patrem vel avum advocatum dicte cause, questionis sive controversie habeat, et in eius potestate sit vel non sit, nec attendatur quod quis sit in potestate aliena, vel familiam habeat et teneat vel non.

De baldechino seu palco portando (1).

14. Item quod quando advenire debeat in civitate Placencie Illustris-

(1) Nel 1568 fu gran scalpore fra Dottori di Medicina e di Giurisprudenza intorno al diritto di precedenza nel tenere le aste del baldacchino. Per quietarli e finirla non vi volle meno di un De-

simus Dominus Dominus noster, vel alius dominus, vel Prelatus Ecclesiasticus vel secularis benivolus et benemeritus prelibati D. D. nostri, teneatur esse ad baldechinum dictus Prior et dictum Collegium, ipsumque portare iuxta ordinem dandum per dictum Priorem et per offitiales in Placencia super hac materia deputatos.

De absentibus causa rei publice.

15. Item quod quando casus contingat dictum Priorem vel aliquem de dicto collegio ex iusta causa etiam propria esse impeditum, vel absentari causa prelibati Domini nostri vel rei publice detentus, quod terminus non currat in questionibus causis vel controversiis ipsis vel alicui eorum commissis de iure vel ex compromisso: sed tempus dicte absentie et impedimenti dies subducantur et tollantur, et intelligantur et habeantur ac si fuissent feriati. Et quo ad compromissa non computentur in numero dierum. Nec ipse dicta de causa impeditus vel absens, durante dicto impedimento vel absentia possit aliqua de causa molestari in bonis suis per mensem unum a die absentie sue ad instantiam alicuius private persone.

De compositione questionum.

16. Item procurent dictus Prior et Iudices de dicto collegio toto posse concordare, et ad bonum finem compositionis et pacis deducere lites causas et questiones eis comissas, vel in quibus fuerint advocati.

De non allegando in diebus feriatis.

17. Item quod diebus feriatis in honorem Dei non possit allegari in aliqua questione nec oretenus nec in scriptis per aliquem de dicto Collegio, nisi ex causa lapsus instantie civilis vel criminalis que celeritatem vel periculum importaret, salvo quod ex causa prior licentiam dare possit.

---

creto di Ottavio Farnese col quale le aste anteriori assegnò ai Giuristi, le posteriori ai Medici. Il Decreto leggesi intero nello Statuto del 1648 ed anche nello Statuto dei Medici.

De non eundo ad Bancha Iuris.

18. Item quod aliquis de dicto Collegio non eat nec ire cogatur nec ire possit ad bancha Iudiciorum civilium tempore quo iudex seu officialis Ill. D. nostri, vel Comunis Placencie sedent ad ius reddendum, nisi in causa pro qua possit ire ad banchum ubi ipsa causa tractabitur, aut ex precepto Iudicis competentis.

De advocatis forensibus.

19. Item quod nullus possit esse advocatus in civitate Placencie, nisi habeat qualitates que et prout in suprascripto secundo capitulo contente sunt, nec per aliquem talis audiri debeat.

De locis actuum publicorum.

20. Item quod quando fiant disputationes, receptiones vel alii actus publici per ecclesiasticas personas vel seculares, Prior ipse det loca et ordines arguendi in actibus iuris civilis vel canonici.

Si hec Statuta servata non fuerint.

21. Item quod si statuta predicta vel aliquod eorum servata vel servatum non fuerit, non possit in aliquo iudicio extra dictum collegium opponi quod hii qui non servassent ipsa vel aliquod eorum sint periurii, sed ad eorum observationem possint compelli per Priorem dicti Collegii, et propterea eius arbitrio puniri. Et pena dicto Collegio applicetur.

De expensis.

22. Item quod nulla expensa ultra contenta in presentibus statutis fieri possit nisi de consensu prioris vel maioris partis de collegio, sed fieri possit et debeat expensa quam deliberaverit prior et maior pars dicti collegii.

De statutis penes Priorem permanendis.

23. Item quod presentia statuta sint penes Priorem dicti Collegii, neque dentur alicui sine consensu prioris et maioris partis dicti Collegii.

De loco Collegii acquirendo.

24. Item cum de presenti dictum collegium non habeat locum prorium ordinatum in quo valeant negotia dicti collegii pertractari, et male possit ipsum locum aptum et comodum habere nisi ipsum acquiratur, a comuni Placencie possit dictum collegium acquirere ab Ancianis seu presidentibus negotiis comuni Placencie per viam emptionis seu permutationis aut locationis aut cuiuslibet alterius contractus, quemque locum ydoneum et sufficientem pro dicto collegio et eius negotiis, absque alia licentia impetranda ab Ill. Domino nostro aut aliquo consilio generali dicte civitatis.

Quod collegium possit condere statuta.

25. Item cum plerumque que de nouo emergantur novo indigeant auxilio, possit dictum collegium condere quecunque statuta, provisiones et ordinamenta concernentia bonum publicum et utile dicti collegii, dummodo preterea confirmentur per Ill. Dominum nostrum.

De auxilio prestando per officiales.

26. Item quod potestas et ceteri offitiales civitatis Placencie, et qui pro temporibus fuerint, teneantur in omnibus et singulis concernentibus ad iurisdictionem et honorem et conservationem dicti collegii prestare omnem brachium et omnimodum favorem et auxilium ad omnimodam requisitionem Prioris dicti collegii, et tempore ipsorum introitus teneantur iurare de observando et observari faciendo presentia statuta.

In libro registri literarum comunis Placencie infrascripte littere reperiuntur tenoris infrascripti. Dux Mediolani etc. Papie Anglerieque

comes ac Janue Dominus — Habuimus supplicationem parte Collegii D. Iudicum et Advocatorum illius nostre civitatis, et certa eorum statuta his annexa, que per ipsam supplicationem introclusam confirmari per nos debere requiruntur. Fecimus igitur ipsa statuta videri examinari et corrigi per Spectabiles de consilio nostro, et volentes eorum supplicationem requisitionem complacere ea ipsa statuta numero vigintinovem quorum primum incipit In nomine Domini etc, et ultimum finit, et servari facere presentia statuta, per presentes ex certa scientia confirmamus et approbamus eorundem tenorem in posterum correctione, additione, mutatione et interpretatione nobis et arbitrio nostro reservata. Mandantes vobis quatenus statuta predicta in volumine statutorum et decretorum ibi nostrorum inseri et describi faciatis, et pariter et inviolabiliter observari. Datum Mediolani, die xx. septembris MCCCCXXXV. Signatum, Franciscus et Mafeus. A tergo, Nobili et prudenti Potestati et Deputatis ad negocia civitatis nostre Placencie.

Illustrissime Domine. Vestre dominationi humiliter exponitur pro parte Collegii dominorum Judicum et Advocatorum civitatis vestre Placencie, quod cum per ipsos de dicto Collegio certa eorum statuta que propter guerras occursas deperdita erant reformaverunt et de novo fecerunt, que exhibent Ill. Dominationi vestre. Quare dignetur prelibata Dominatio predicta statuta confirmare et approbare, mandareque ut de cetero inviolabiliter observentur, ac in volumine Statutorum Comunis Placencie inserantur, cum decens sit et honestum ut tale collegium quod alios regere debet se etiam legibus et statutis regat.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo et dilectis filiis Clero et populo Placentino, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quia profectum terre vestre in visceribus amplectimur Charitatis, vellemus libenter quod ibi scifus reperiretur argenteus, idest studium litterarum, in quo Ioseph subtili novit ingenio auguria explicare, quodque ibi argentum eloquentie venarum suarum obtineret principia, et locus esset in quo aurum sapientie conflaretur. Credimus enim et pro firmo tenemus quod ex hoc ipsi civitati non modicum honoris accresceret, et sibi possent exinde spiritualiter et temporaliter grata commoda provenire: propter quod non tam consideratione tui, frater

Episcope nobis super hoc instanter supplicantis, quam etiam ob ipsius civitatis augmentum generale ibi fieri studium cupientes, ut ad ipsam civitatem ad hauriendum aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris hominum copiosa confluat multitudo, et ibi turris David cum suis propugnaculis construatur, ex qua non solum dependent mille clipei sed etiam omnis fortium armatura, omnibus Doctoribus et Scholaribus in quacunque facultate in predicta civitate studentibus quod eisdem privilegiis, indulgentiis libertatibus et immunitatibus gaudeant quibus Parisius seu in aliis studiis generalibus studentes letantur auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Lugduni viij Idus Februarii, Pontificatus nostri anno quinto. Iac. P.

Ego Vallarius de Vallaria Imperiali auctoritate notarius publicus Placentinus suprascripta statuta, literas, supplicationem et privilegium in quibus continetur ut supra, vidi et legi, ipsa ipsas ipsam et ipsum ex volumine statutorum suprascripti Collegii extraxi, exemplavi, et ita fideliter subscripsi.

Album antiquorum Doctorum Collegii DD. Doctorum et Iudicum Placen. usque ad ann. 1435 (1).

1. Aicardus qui et Azo Iudex		anno Domini 1025.
2. Petracius de Cruce Iudex		1033.
3. Fulco 4. Isembardus 5. Antoninus qui et Azo 6. Ansaldus 7. Gerardus	Placentini Iudices	1047.

(1) L' Albrizzi in Appendice allo Statuto del 1648 stampò alcune brevi note biografiche correlative ai soggetti ascritti nell' Albo, e taluna nota ancora inserviente ad autenticare con date di Rogiti le epoche del fiorire de' singoli.

8. Isembardus	Iudices Sacri Palatii	an. Dom. 1065.
9. Antoninus qui et Azo		
10. Ansaldus		
11. Tado		
12. Gandulphus		
13. Ansaldus		
14. Valcausus	Iudices Sacri Palatii	1077.
15. Ardericus		
16. Bonus homo		
17. Fulcus		
18. Gerardus		
19. Otho		
20. Antoninus		
21. Fulco Advocatus Catedralis Ecclesie		1077.
22. Albertus de Mantegatiis		1158.
23. Obertus de Porta	Ordinarii Iudices	1162.
24. Lanfrancus Cavazola		
25. Federicus		1162.
26. Bonusioannes Branca		1162.
27. Rogerius Glossator		1162.
28. Placentinus glossator		1163.
29. Lombardus		1172.
30. Ugo Iudex		1176.
31. Clapo Iudex.		1183.
32. Bonizo Iudex		1183.
33. Petrus Dianus		1184.
34. Manfredus Rondana		1188.
35. Arnaldus Strictus		1189.
36. Ubertus Vicecomes		1189.
37. Iacobus Malacorigia		1189.
38. Albertus Fontana		1189.
39. Vicecomes ex Vicecomitibus		1189.
40. Antoninus ab Andito		1189.
41. Fulco Radinus		1189.
42. Fridericus Burgus		1191.
43. Guglielmus de Porta		1199.

44. Ruffinus de Porta. . . . . anno Domini 1199.
45. Albertus Fontana . . . . . 1207.
46. Pileus Bagarottus . . . . . 1210.
47. Bagarottus de Bagarottis. . . . . 1210.
48. Obertus de Porta Iudex . . . . . 1213.
49. Albericus de Nicellis Iudex et Consul Iustitie . . . . 1215.
50. Guillelmus Agadius . . . . . 1216.
51. Stephanus Rizzolus . . . . . 1217.
52. Guillelmus Radinus Iudex . . . . . 1227.
53. Albertus Anguissola Iudex . . . . . 1229.
54. Ianonus ab Audito . . . . . 1230.
55. Gerardus de Roncoveteri. . . . . 1230.
56. Ubertus Surdus . . . . . 1230.
57. Ubertus Strictus . . . . . 1230.
58. Ioannes Burgus . . . . . 1230.
59. Tedaldus alias Theobaldus Vicecomes . . . . . 1236.
60. Palmerius de Fontana Iudex . . . . . 1237.
61. Petrus de Fontana Iudex . . . . . 1237.
62. Rolandus de Scoto . . . . . 1237.
63. Vicedominus de Vicedominis . . . . . 1240.
64. Ubertus Mancassola . . . . . 1243.
65. Ubertus Vidalta . . . . . 1245.
66. Philippus Vicedominus . . . . . 1245.
67. Obertus de Nicollis Iudex et Consul Iustitie . . . . 1249.
68. Adalbertus Gambertus a Porta. . . . . 1267.
69. Obertus Blancus . . . . . 1271.
70. Vicecomes de Vicecomitibus . . . . . 1272.
71. Guido de Suzaria . . . . . 1276.
72. Albericus de Rondana . . . . . 1276.
73. Speronus de Campremaldo . . . . . 1276.
74. Reginaldus Sagimbena . . . . . 1276.
75. Henricus Strictus . . . . . 1276.
76. Obertus Boxonus . . . . . 1276.
77. Robertus de Roncoveteri . . . . . 1276.
78. Philippus de Sarturano . . . . . 1276.
79. Ubertus Coruus 1276

80. Armanus Pigozus . . . . . anno Domini 1276.
81. Ioannes Buffa . . . . . 1285.
82. Nicolinus de Ziliano . . . . . 1285.
83. Obertus Radinus Iudex Consul Iustitie . . . . . 1286.
84. Philippus de Campremaldo . . . . . 1290.
85. Bigurus de Porta Iudex Consul Iustitie . . . . . 1294.
86. Manfredus de Ardenghis Iudex . . . . . 1295.
87. Rogerius Caccia . . . . . 1295.
88. Gregorius Biffa . . . . . 1295.
89. Albertus de Ripalta Iudex . . . . . 1300.
90. Massilerius Ghisulphus Iudex Consul Iustitie . . . . 1304.
91. Galvegnus Bruxamontia Iudex . . . . . 1305.
92. Ubertinus de Rizzolo . . . . . 1305.
93. Ianoncinus Leccacorvus
94. Hugo de Magistro
95. Armanus Pigotius
96. Bernadus de Cario
97. Anricus de Viustino
98. Anricus Strictus
99. Gifredns de Pigazano
100. Obertus Leccafarina . . . . . 1308.
101. Petrus de Adamis
102. Lanfrancus de Ripalta
103. Ioannes de Fontana
104. Gregorius de Porta
105. Cuillelmus de Celoris
106. Albertus Rubeus
107. Nicolaus Zilianus
108. Ricardus de Arcellis . . . . . 1310.
109. Obertinus de Rizolo
110. Fulchinus Strictus . . . . . 1323.
111. Antoninus de Surdis . . . . . 1328.
112. Gerardus de Ziliano . . . . . 1330.
113. Ioannes Anguissola . . . . . 1330.
114. Gaspar Brachifortis . . . . . 1330.
115. Ubertus de Arcellis . . . . . 1331.

116. Iacobus de Strictis. . . . . anno Domini 1331.
117. Federicus Cuppalata
118. Albertinus de Rizolo . . . . . 1339.
119. Iacobus Cassius de Valdetario
120. Ubertus Caccia . . . . . 1338.
121. Conradus de Cario . , ... 1339.
122. Borgogninus de Malvicino de Fontana . . . . . 1340.
123. Ioannes de Suzano . . . . . 1340.
124. Nicolaus de Roxo . . . . . 1342.
125. Albericus de Barateriis . . . . . 1342.
126. Ruffinus de Porta . . . . . 1355.
127. Henricus de Strictis . . . . . 1362.
128. Andreas de Arcellis . . . . . 1363.
129. Federicus Cuppalata . . . . . 1372.
130. Ludovicus de Rizolo . . . . . 1368.
131. Daniel de Vicedominis. . . . . 1370.
132. Albertus de Casellis
133. Guillelmus de Vicedominis
134. Bartolinus de Gambellis
135. Iacobus de Gallivertis
136. Galeatius de Surdis
137. Andreas de Arcellis . . . . . 1372.
138. Lazarus de Porta
139. Bernardus de Casallis
140. Lanfrancus de Fontana
141. Travaninus de Barateriis
142. Fulchinus de Strictis . . . . . 1372.
143. Petrus de Octabellis . . . . . 1372.
144. Bartholomeus Anguissola Iudex . . . . . 1377.
145. Damianus de Rubeis . . . . . 1377.
146. Gabriel de Surdis . . . . . 1377.
147. Zanasius Cagnolus Iudex . . . . . 1377.
148. Philippus de Cassolis . . . . . 1380.
149. Petrus de Nicellis Iudex . . . . . 1395.
150. Ioannes Cicada
151. Gabriel de Arcellis . . . . . 1400.

152. Columbus de Pezancris
153. Ioannes de Anguissolis
154. Rolandinus Pezanchrus
155. Raphael Fulgosius
156. Teodiscus de Frixariis
157. Signorolus de Homodeis
158. Christophorus de Castiliono
159. Raphael de Raimundis
160. Iacobus de Isolanis
161. Tadeolus de Vicomercato
162. Baldus de Perusio
163. Columbus de Bobio
164. Franciscus de Castilliono
165. Gualtrinus de Tatiis
166. Bobius de Perusio

. . . . anno Domini 1400.

167. Antonius de Groppo Iudex . . . . . 1401.
168. Ioannes de Rezano . . . . . 1408.
169. Ruffinus de Porta . . . . . 1414.
170. Antonius de Barateriis . . . . . 1418.
171. Bartholomaeus Barianus . . . . . 1414.
172. Andreas Anguissola . . . . . 1421.
173. Bartholomeus de Roncarolo . . . . . 1424.
174. Bartholomeus de Lando . . . . . 1434.
175. Bonifacius de Cornazano . . . . . 1434.
176. Bernardus Anguissola. . . . . 1434.
177. Albertus de Ferrariis . . . . . 1435.
178. Christophorus Nicellus . . . . . 1435.

179. Ioannes de Scribanis
180. Ludovicus de Brachifortibus
181. Paulus de Credatio
182. Bartholomeus Barateriius
183. Ioannes de Cicadis
184. Matthaeus Todiscus

Reformatores Statutorum Collegii anno . . . 1435.

EXPLICIUNT STATUTA IURISCONSULTORUM.

10052142

10052142

STATUTA

COLLEGII NOTARIORUM PLACENTIAE

ANN. 1454.

(EX COD. MEMBRANACEO COAEVO)

10052142

STATUTA NOTARIORUM (1).

Multa maiores nostri variaque suis temporibus ordinarunt que nostris tum propter depopulationes huius civitatis placentie hactenus sepenumero factas, tum propter paucitatem presentialiter hic degentium minime adimpleri poterant. Hec cernentes huiusce civitatis Tabeliones et Notarii in contione publica generali quam sepius congregati, laudabile censuerunt debeant secundum diversitatem temporum diversa iura statuere hunc in modum. Rebus prius diversis annis inter eos mature ponderatis, ordinamenta ac Statuta de quibus infra ad ritus modernos adaptata, valitura pro lege ordinaverunt. Regnante Illustrissimo Domino Francisco Sfortia Vicecomite Duce Mediolani et Papie Anglerieque Comite, ac Cremone Domino. Existentibus pro consulibus dicti Collegii Nobilibus et sapientibus viris Petro de Scribanis, Dominico Bonfanto, Ioanne Gatto, et Bernabove de Castronovo. Anno ab Incarnatione Domini currente. Millesimoquadrigentesimoquinquagesimoquarto. Indictione tercia. Ad laudem Omnipotentis Dei, Individue Trinitatis et tocius curie Celestis triumphantis. Amen.

De Consulibus eligendis.

1. Principio iurium tuendorum expedit in quibuscumque Collegiis,

(1) Anche di questi Statuti de' Notai l' apografo più antico sta nel libro *Dominici*. Nel 1730. furono essi stampati dal Bazachi, ma con varianti. Questi che si pubblicano sono i genuini esemplati sul prefato Codice.

Magistratus eligere ipsa qui iura defendant. Proinde igitur Statutum est, quod Consules Collegii Notariorum Placentie, et qui pro temporibus fuerint, singulis annis per decem dies ante Nativitatem Domini Nostri Iesu Christi procurent congregare, et congregare debeant Consilium Generale dicti Collegii in Palatio dicti Collegii, aut in alio loco, quem dicti Consules elegerint, si commode in dicto Palatio Congregatio propter ipsius diruptionem, seu aliam caussam fieri nequiverit, curreriorum requisitionibus, et mandatis. In quo Consilio intersint Notarii viginti, et ut infra in Statuto loquente de Consilio Generali continetur. Et ibi eligantur quatuor de dicto Consilio, seu Collegio ipsius Collegii Consules, hac in Civitate cum familia habitantes, et residentes, viri graves, et elegantes, quorum nullus sit spurius, bastardus, falsarius, vel de falsitate publice diffamatus, aut famulus, vel domicellus alicuius, aut infamis, aut minor annis triginta, aut qui artem machanicam, aut alicuius Paratici Officium exerceat excepto Notarie Officio. Qui tales proxime etiam ad nullum aliud Officium eligi possint. Et qui Consules finito eorum Officio, ab Officio predicto Consulatus per annos saltem tres cessare debeant. Quornm Consulatus duret per annum, incipiendo in Kalendis mensis Ianuarii, usque ad alias subsequentes Kalendas, et quicquid presentibus non obvians, neque oppositum Statutis, per ipsos quatuor, aut tres ex eis, una cum majori parte Sapientum dicti Collegii, actum, et factum fuerit, valeat, et teneat, ac si factum foret per Consilium Generale dicti Collegii. Et habere debeant dicti Consules pro eorum salario de havere dicti Collegii libras III. plac. pro quolibet eorum post eorum syndicatum, si absoluti fuerint, et non ante, nec aliter.

De electione Consulum.

2. Quoniam in eligendis Magistratibus aliquando discordia generari posset, nisi eligendi modus exhiberetur, Statutum est, quod eligantur Consules dicti Collegii hoc modo videlicet: Quod Consules dicti Collegii, qui pro temporibus fuerint singulis annis, omnes in concordia, aut saltem tres ex eis in contumaciam, seu negligentiam quarti Consulis eligere taneantur, et debeant, tredecim Notarios de dicto Collegio, viros graves et elegantes, hac in Civitate cum familia sua habitantes, et residentes, et qui nati sint, ex legitimo matrimonio, et oriundi Civitatis,

et seu Episcopatus Placentie, et in Matricula dicti Collegii descripti. Quorum nullus sit spurius, bastardus, falsarius, vel de falsitate publice, et notorie diffamatus, sive inculpatus, aut famulus, vel domicellus alicuius, aut infamis. Qui omnes tredecim Notarii sint etatis annorum triginta, et qui aliquam artem mechanicam, aut alicuius Paratici officium non exerceant, excepto Notarie Officio. Quorum quidem tredecim Notariorum sic eligendorum singula nomina describantur in tredecim cedulis, que vulgariter brevia vocantur, omnibus unius, et eiusdem apparentie. Deinde omnes involute et implicate, ita quod perpendi, et cognosci non possint altere ab alteris, misceantur, et seu recondantur in una bussula, seu uno sacculo, sine fraude. Indeque quatuor Cedule ex dictis tredecim Cedulis fortuito modo, altera post alteram extrahatur de dicta bussula, seu sacculo, per dictos Consules, seu aliquem ex eis. Et illi Notarii quorum nomina reperientur tunc descripta in ipsis quatuor cedulis, sive brevibus, que sic extractae fuerint ut supra, sint, et esse debeant Consules ipsius Collegii pro uno anno incepturo in Kalendis mensis Januarii, tunc proxime subsecuturi. Qui omnes Consules postmodum tempore introitus Officii eorum Consulatus iurare debeant, prout in infrascripto Statuto de iuramento Consulum continetur. Similique modo, et ordine immediate post predicta per ipsos Consules ex dicto sacculo, seu bussula fortuito modo extrahantur quatuor alie cedule ex aliis novem cedulis in ipsa bussula restantibus. Et Notarii quorum nomina in ipsis quatuor cedulis tunc descripta reperientur, sint, et esse debeant Sapientes dicti Collegii, pro dicto anno tunc proxime subsecuturo. Et qui Sapientes finito eorum Officio, postea ab ipso Officio saltem per tres annos exinde proxime subsecuturos cessare debeant. Ac simili modo iurare teneantur, et debeant, et prout dicti Domini Consules mutatis mutandis.

De electione Syndicorum, Consulum, Sapientum et Camerarii.

3. Item Statutum est, quod post electionem Consulum, et Sapientum factam, prout in proxime precedenti Statuto continetur, Consules dicti Collegii, aut maior pars ex eis sic electi post introitum eorum Officii per octo dies tunc proxime subsecuturos teneantur, et debeant eligere tres Notarios ex illis Notariis, quorum nomina scripta reperientur in

aliis brevibus, seu cedulis illorum tredecim brevium, seu cedularum, de quibus fit mentio in proxime precedenti Statuto, in Syndicatores Consulum, Sapientum, et Camerarii dicti Collegii anni tunc proxime preteriti, quorum Syndicatorum sic eligendorum, nullus sit affinis alicuius syndicandi. Qui Syndicatores debeant inquirere, et circare Consules, et Camerarium dicti Collegii preteritos, et iurare, quod bona fide, et sine fraude remoto odio, amore, timore, et speciali proficuo, et damno cuiuslibet persone, circabunt, et inquirent diligenter, et bene rationes eorum. Et quos invenerint aliquid fraudulenter retinuisse in se, vel expendisse inconsulto teneantur condemnare ad illud restituendum cum pena tertii ad quid condemnaverint. Et etiam teneantur, et debeant, dicti Syndicatores punire, et condemnare predictos Consules, et Camerarium, et quemlibet eorum de quibuscunque commissis per eos contra formam Statutorum dicti Collegii secundum quantitates, et penas in ipsis Statutis, et quolibet eorum insertas, que omnia finire teneantur infra duos menses a die ipsius electionis connumerandos. Et qui Syndicatores habeant auctoritatem potestatem, et bayliam videndi, cognoscendi, et terminandi summarie simpliciter, et de plano sine strepitu, et figura iudicii, et aliqua instantia servanda, et quocunque tempore. Quorum Syndicatorum sententiis, sive sint condemnatorie, sive absolutorie per dictos Consules, et Camerarium stetur, et ab eorum sententia nullus possit appellari, gravari, petitionem Sapientis, aut nullitatis interponi, nec contra eam ullo iuris remedio contrairi, et per ipsos Consules novos executioni mittatur, sub pena librarum decem plac. pro quolibet ipsorum Consulum infra unum mensem tunc proxime subsecuturum, postquam habuerint notitiam de dicta sententia, aut eis fuerit denunciatum per dictos Syndicatores, vel Camerarium aut aliter per alium de dicto Collegio, in quam penam, ipso facto, et casu cecidisse intelligantur si predicta non adimpleverint. Et quod dicti Syndicatores infra dictos duos menses expedire teneantur dictum Syndicatum, absolvendo, vel condemnando in pena librarum decem plac. pro quolibet eorum, in quam penam similiter incurrant ipso facto, et casu. Et habere debeant dicti Syndicatores soldos triginta duos, ex havere dicti Collegii post finem dicti Syndicatus infra quinque dies per Camerarium, absque aliqua alia licentia habenda a Consulibus dicti Collegii solvenda. Et immediate factis dictis electionibus de quibus supra, reliqua duo brevia restent, usque ad novam electionem aliorum Consu-

lum in dicta bussula, seu sacculo, ut si casus contingeret aliquam subrogationem fieri debere de aliquo ex dictis Consulibus, seu Sapientibus propter eius mortem, vel eius legitimam excusationem, iuxta formam presentis Collegii. Et que talis subrogatio fiat, et fieri debeat per dictos Consules ex dictis duobus restantibus in ipsa bussula, seu sacculo fortuito casu, ut supra. Et ipsa electione facta, si alique ex dictis cedulis restiterint in dicta bussula, ex ea extrahantur, et lacerentur, nemini nomina ipsorum pandendo.

De electione Camerarii.

4. Item ordinatum est, et statutum, quod electio Camerarii fieri debeat per dictos Consules, aut maiorem partem ex eis dicto eodem tempore et die, electionis dictorum Syndicatorum, hoc modo videlicet. Quod describantur singulis annis undecim nomina Notariorum per ipsos Consules in singulis undecim brevibus, seu cedulis omnibus eiusdemmet apparentie. Qui omnes Notarii sint maiores vigintiquinque annis, qui sint omnes homines providi, et discreti, et bone vocis, conditionis, et fame, et idonei, et sufficientes ad tale officium, secundum conscientiam dictorum Consulum, et residentes in Civitate cum familia. Ipsaque brevia, et seu cedule involute, et implicate, ut supra in Statuto de electione Consulum continetur, misceantur, et recondantur in una bussula, et deinde extrahatur una cedula ex ipsis cedulis fortuito modo ex dicto sacculo, seu bussola. Et ille Notarius cuius nomen reperietur descriptum in dicto brevi, seu cedula sit, et esse debeat Camerarius dicti Collegii, et eius Officium duret per annum, quemadmodum durat Officium Consulatus, et qui Camerarius finito suo officio cessare debeat ab ipso officio per quinque Annos, et facta electione, alia nomina lacerentur, et sic procedatur singulis annis. Quilibet habeat, et habere debeat pro salario suo de denariis. et pecunia dicti Collegii soldos quadraginta Placentie, et non ultra, post sententiam Syndicatus sui, si absolutus fuerit, et non aliter, nec ante. Et qui scribere teneatur consilia et reformationes Collegii predicti, et Consilii eiusdem, et facere omnia instrumenta approbationum, et reprobationum cuiuslibet, qui de cetero approbabitur, seu reprobabitur, a quibus approbandis percipiat pro instrumento soldos viginti Placentie pro quolibet, nec non scribere

nomina Potestatum, seu Doctorum, et Capitaneorum, et Iudicum, et Militum eorum, et omnium aliorum Officialium Comunis Placentie, qui fuerint tempore sui Officii, et omnium, et singulorum Notariorum, qui exercuerint Officia Notariorum separatim, et qui ipsa exercuerint in primis sex mensibus, et qui in reliquis sex ultimis mensibus anni sui, ad hoc, ut quilibet possit habere recursum ad eos si voluerint habere aliquas scripturas factas ad ipsa Officia, et omnia alia facere ad que tenetur, et adstrictus est, vigore Statutorum dicti Collegii in registro, seu speciali quinterno ipsius Collegii, et custodire, et salvare totum id, quod ad eius manus pervenerit de pecunia, et rebus dicti Collegii, et non expendere, dare, nec alienare aliquid de havere dicti Collegii alicui persone, vel Universitati, nisi secundum formam Statutorum dicti Collegii, aut de voluntate Consilii Generalis, vel Consulum, et Sapientum dicti Collegii, vel maioris partis ipsorum Consulum, et Sapientum, et reddere rationem post exitum sui Officii infra terminum duodecim dierum tunc proxime subsequutorum. Et Camerario successori suo in presentia Syndicatorum ad hoc electorum consignare omnes scripturas, et approbationes, et reprobationes tempore suo factas per ipsum, sine aliqua cancellatura, et rationem introitus, et exitus dicti Collegii. Et stare, et parere decisioni, et sententie dictorum Syndicatorum, ac solvere, et exbursare Camerario successori suo, aut alteri persone, prout dicti DD. Consules, et Sapientes, seu maior pars ex eis mandabunt, infra quattuor dies lata sententia per dictos Syndicatores, quicquid per sententiam dictorum Syndicatorum, et omne id aliud de quo debitor restabit, et apparebit. Et predicta iurare teneatur attendere, et observare, et de predictis attendendis bonam, et idoneam securitatem prestare dictis Dominis Consulibus dicti Collegii Notariorum in primo Consilio fiendo per ipsos in pena tertii pluris eo, quod in se retinebit, et expendet indebite, aut in aliquo delinquet, quam securitatem Consules teneantur recipere a Camerario supradicto, et illam scribi facere per Camerarium veterem in pena soldorum centum pro quolibet Consule. Et nemo ad hoc electus possit renunciare, vel repudiare dictum Officium, nisi iusta causa, de qua stetur decisioni Consulum, sive maioris partis ipsorum sub pena librarum quinque placen. in quam ipso iure cadat, et condemnatus sit sine alio processu, et condemnatione.

De iuramento Consulum.

5. Iurent Consules Collegii Notariorum Placentie in manibus precessorum suorum tempore introitus eorum Officii ad Sancta Dei Evangelia corporaliter manibus tactis scripturis videlicet. Ego N. Consul, iuro si me Deus adiuvet, eiusque Sancta Evangelia, bona fide et sine fraude manutenere, custodire, et salvare meo posse honores, rationes, iura, redditus, et proventus Collegii mei Notariorum, durante tempore mei Consulatus, et ipsius Collegii Statuta pro viribus observare. Et qui introitus fieri debeat infra Octavam Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi. Et eodem modo mutatis mutandis iurent dicti Sapientes in manibus dictorum Dominorum Consulum veterum.

De repudiantibus Consulatum.

6. Nullus ex electis Consulibus, et Sapientibus possit repudiare eius Officium, nisi ex iustissima causa, de qua stetur determinationi Consulum, et Sapientum, sive maioris partis eorum. Et si quis ex ipsis Consulibus, sive Sapientibus decesserit, aut in longinquas partes se transtulerit, vel steterit absens a Civitate Placentie continue per duos menses, tunc reliqui Consules, et Sapientes, loco ipsius sic mortui, sive absentati, sive qui se transtulerit ut supra, alium subrogare debeant modo de quo superius est expressum in alio Statuto.

De iurisdictione, et potestate Consulum.

7. Si aliquis fecerit querimoniam coram Consulibus Notariorum de aliquo Notario, occasione cuiusdam instrumenti, charte, vel actorum possint, et debeant, ac auctoritatem, potestatem, et bayliam habeant ipsi Consules dicto tali conquerenti contra dictum Notarium ius, et iustitiam ministrare. Et ipsum talem Notarium compellere omnibus remediis, iuris ad satisfaciendum dicto tali conquerenti, et prout eis melius videbitur. Et similiter possint, et debeant de omnibus, et singulis litibus, causis, et questionibus spectantibus ad Officium Notarie, et circa ipsum Officium, et de connexis, et dependentibus ab eisdem, et in aliis de quibus in presentibus Statutis fit mentio, videre, cognoscere, determinare, ac de-

cidere, prout eis videbitur. Et in predictis, et quolibet predictorum possint procedere, ac procedatur summarie, et de plano, sine strepitu, et figura Iudicii, sine datione libelli, velo levato, sola veritate inspecta, diebus feriatis, et non feriatis, exceptis feriis introductis in honorem Dei, nisi forte per forensem ageretur, remotis appellationibus, et gravaminibus quibuscunque. Et quod si Consules contrafecerint cadant in penam quadrupli, et predicte expedire teneantur intra decem dies proxime futuros.

De Consilio generali eligendo.

8. Item Statutum est quod Generale Consilium Notariorum fiat bis in anno, ut in eo pertractari possint negotia dicti Collegii, videlicet. Primo infra Octavam Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi, et secundo per decem dies ante Festum Beati, et Sancti Ioannis Baptiste, quod Consilium sit Notariorum viginti numero ex melioribus, et sapientioribus dicti Collegii restantibus ultra dictos Consules, et Sapientes, et quorum quilibet excesserit etatem annorum vigintiquinque. In quo Consilio nullus sit, qui artem aliquam mechanicam exerceat, aut qui sit de falsitate condemnatus, aut publice infamatus in Officio Notarie, spurius, bastardus, familiaris alicuius persone, infamis, hereticus, vel heresis credulus, vel etiam forensis, et qui cum familia sua non sit residens in Civitate Placentie. Quorum Consiliariorum electio fiat per presentes Consules, et Sapientes, vel maiorem partem eorum. Et ipsam ipsi Consules presentes facere teneantur, una cum Sapientibus Collegii Notariorum secundum quod discretioni eorum videbitur. Et hec die illo, quo dicti Consules, et Sapientes intraverint suum Officium, et sacramentum suum prestiterint, ut supra. Et quod Consilium duret, et durare debeat per triennium, et sic de cetero de triennio in triennium renovetur, sub pena cuilibet Consuli hoc omittenti soldorum trigintaduorum. Et quod quilibet Consiliarius electus, et per Currerium dicti Collegii personaliter, vel ad domum citatus ad dictum Consilium bis ut supra venire teneatur, sub pena cuilibet non venienti, et inobedienti soldorum quinque placen. in quam ipso iure sine alia solemnitate, et processu, et condemnatione condemnatus sit.

Si vero ex dictis Consiliariis quispiam decesserit, aut a civitate absens

esset, possint Consules, una cum Sapientibus, vel eorum maior pars loco defunti, aut absentis alium subrogare, possintque ipsi Consules, si oportuerit pro negotiis dicti Collegii, sive maior pars eorum etiam pluries, quam bis Consilium predictum convocari facere. Et quod quicquid per dictum Consilium generale dicti Collegii, aut saltem maiorem partem eorum actum, et gestum, ac provisum, et ordinatum fuerit in rebus, et negotiis Universitati dicti Collegii spectantibus, seu utilibus, vel necessariis, et circa spectantia Officio Notarie, et Collegio predicto valeat, et teneat, ac si per dictum totum Collegium peractum, et factum foret. Et quod nullus in aliquo Consilio Generali, vel speciali dicti Collegii arengare, vel proponere presumat, sine licentia Consulum ipsius Collegii, sub pena soldorum duorum plac. in quam quilibet ipso iure incurrat, et condemnatus sit, et quam penam statim antequam illinc discendant dicti Consules exigi facere teneantur.

De electione Curreriorum.

9. Eligatur per Consules Notariorum Placencie unus Currerius singulo anno tempore introitus sui, cum salario soldorum quadraginta in anno. Qui mandato Consulum precipiat Notariis, prout predicti Consules ordinaverint precipiendum, et cetera faciat, que precessores sui facere soliti sunt. Relationemque de predictis preceptis Camerario faciat, prout iuri convenit. Et quod temporibus debitis se coram Consulibus presentet, ut adimplere possit, que ei per ipsos Consules imposita fuerint. Et quem Consules pro eorum libito voluntatis cassare possint, et alium eligere. Et cadat in penam soldorum duorum pro qualibet vice, qua contrafecerit applicandorum Collegio predicto. Et hoc Statutum legatur ipsi Currerio sic electo ut supra, ne possit ex ignorantia Statuti presentis se excusare.

De non expendendo de havere Collegii.

10. Nulli liceat quoquomodo vendere, aut alienare de rebus et havere dicti Collegii, sub pena dupli, aut res dicti Collegii locare, aut in emphyteosim dare, sine licentia, et consensu Consilii generalis dicti Collegii. Similiter nulli liceat expendere de havere dicti Collegii absque licentia Consulum, et Sapientum dicti Collegii, aut maioris partis eorum, et

preter formam Statutorum Collegii eiusdem. Similique modo nulla gratia, vel remissio, et absolutio fieri possit, sine licentia, et consensu Consilii Generalis suprascripti.

Quod Consules exigant, vel exigi faciant debita Collegio.

11. Teneantur futuri Consules infra duos menses ab introitu eorum Consulatus diligenter inquirere, et investigare omnes condemnationes, vigore Statutorum dicti Collegii, omnesque debitores dicti Collegii ex alia quacunque causa condemnatos. Et ipsos debitores quacunque ex causa sint cogere, et compellere, et cogi facere omnibus iuris, remediis, ad solvendum Camerario dicti Collegii quicquid dicto Collegio dare tenentur, sub pena soldorum quadraginta, pro quolibet Consule contrafaciente Camere dicti Collegii applicanda. Et quilibet Notarius, qui Camerario dicti Collegii pignus vetaverit, incurrat penam soldorum decem [placen. ipso iure, et in ipsam penam ipso iure sit condemnatus.

De arnixio, et bonis dicti Collegii.

12. Quia non semper Collegium nostrum sine bonis mobilibus erit, et palatium nostrum Deo dante per tempora fulcimentum recipiet. Statutum est, quod Consules per eorum Camerarium redigi facere teneantur in scriptis quecunque bona mobilia dicti Collegii, que pro tempore fuerint in dicto palatio, et alibi. Eaque futuris Consulibus teneantur consignare per publicum instrumentum, aut scripturam publicam, ne aliter Collegium predictum damnum reportet. Similique modo fiat de immobilibus dicti Collegii sub pena, etc.

De Consulibus, Camerario, et Syndicatoribus Collegii indemnibus conservandis.

13. Conserventur indemnes Consules, Camerarius, et Syndicus Procurator dicti Collegii presentes, et futuri per Universitatem, et Collegium predictum ab omni damno, expensis, et interesse, quod incurrerent, et paterentur in Officio suo causa manutenendi, et defendendi, aut exigendi iura, et honores dicti Collegii. Et restituantur plenarie eis quecunque

propterea amisissent, et perdidissent. Similique modo conservetur indemnis quilibet Notarius, qui defendendo, sustinendo, vel manutenendo libertatem, et honorem dicti Collegii, damnum, iniuriam, seu iacturam, et pressuram aliquam propterea passus foret.

De observandis preceptis Consulum.

14. Item statutum est, quod omnes, et singuli Notarii Civitatis, et Episcopatus Placentie teneantur, et debeant Consules dicti Collegii honorare ubilibet durante eorum Consulatu, et preceptis ipsorum Consulum obedire, et obtemperare, et ipsorum Consulum omnia, et singula precepta attendere, et observare, que causa Officii processerint, et que concernent bonum statum, honorem, et utilitatem, ac defensionem dicti Collegii, ac Statuta presentis Collegii, sub penis in Statutis dicti Collegii, introsertis. Et ultra sub penis ipsis, et cuilibet ipsorum Notariorum per ipsos Consules iniungendis, in quibus penis ipso iure, et sine alia condemnatione, et processu sint condemnati. Et licet forte extra Civitatem Placentie aliqui ex iis habitarent, non possint propterea iurisdictionem ipsorum Consulum declinare. Sed omni exceptione remota obedientiam prestare teneantur in premissis, et connexis, et dependentibus ab eis.

De iis, qui recusaverint obedire Consulibus.

15. Ne inobedientes sua pertinacia, et malitia glorientur commodumque reportent, qui sepenumero infiniti reperiuntur, Statutum est. Quod quicunque Notarius Civitatis, et Episcopatus Placentie, qui ribellis, et inobediens fuerit dictis preceptis Consulum, et ipsorum precepta effectualiter non adimpleverit, cadat in penam, et ipso iure, sine alia condemnatione, et processu, sit condemnatus pro primo precepto, si sibi per Currerium oretenus factum fuerit, in denariis duodecim plac. Si vero eidem Notario preceptum in scriptis factum fuerit, in soldis quinque plac. Pro secundo vero precepto sibi in scriptis personaliter, vel ad domum habitationis sue transmisso parte Dominorum Consulum, si pertinax, et inobediens fuerit, in libris quinque plac. Pro tertio vero precepto sibi ut supra in scriptis transmisso perseverando in pertinacia, rebellione, et contemptu dictorum Consulum, et preceptorum suorum

contra iuramentum proprium, et Statuta Collegii antedicti, cadat in penam librarum decem plac. et in ipsis libris decem ipso iure, et sine alia condemnatione, et processu condemnatus sit, et intelligatur, et ultra a Consilio, honoribus, et commoditatibus dicti Collegii amoveatur, et amotus ipso iure sit, et intelligatur. Qui vero quartum preceptum sibi ut supra in scriptis transmissum postergaverit, ipso iure, et ut supra, tanquam periurus, et infamis Officio Notarie sit privatus, et ab eo amotus, et de dicti Collegii Matricula cassus, et cancellatus, ita, et taliter, quod in Civitate Placentie, et eius Episcopatu de cetero non possit, nec valeat ipsum Notarie Officium exercere, et aliqua instrumenta, aut scripturas publicas non possit conficere, nec scribere, tradere vel rogare. Et post publicationem de ipso factam, instrumentis, et scripturis suis post ipsam publicationem confectis, in Iudiciis, et extra, nulla fides adhibeatur, immo sint nulla, nulliusque valoris, roboris, effectus, et momenti, ac si per Notarium, et personam non descriptam in Matricula dicti Collegii confecta, aut scripta, tradita, vel rogata forent. Et nunquam talis possit amplius in dicta Matricula scribi, et acceptari. Quem talem rebellem inobedientem, et ut supra teneantur Consules publicare, et publicari facere per hanc Civitatem Placen. in locis consuetis per unum ex Tubicinibus Communis Placentie, sub pena cuilibet Consuli librarum decem Placentie: quomodo talis amotus est ab officio Notarie propter eius rebellionem, et inobedientiam, et nulla instrumentis suis de cetero conficiendis dabitur, ut supra, fides, et de qua publicatione, seu de relatione dicte publicationis per dictum Tubicinem fienda per Camerarium dicti Collegii fieri faciant publicum Instrumentum: pro quibus adimplendis teneatur Potestas Placentie adimpleri facere, et executioni mandare quicquid dicta de causa dicti Consules ab eo petierint, et requisiverint sine aliqua exceptione. Et que publicatio, sine alio processu, et dilatione, banno, defensione, et scriptura eandem vim, et robur habeat, et sortiatur, ac si in publica concione sententia lata foret, a qua nullatenus possit appellari, gravari, nec nullitas interponi, nec ullo aliquo iuris remedio contrairi, condemnationesque antedictas Consules ipsi infra mensem exigere teneantur sub pena dupli. Valeant tamen instrumenta, et scripture per ipsum talem publicatum confecta, et scripta ante ipsam publicationem, ipsisque fides adhibeatur in Iudicio, et extra.

De verbis iniuriosis adversus Consules.

16. Ut insolentiis hominum male compositorum provideatur, et iniurie, que forte dicerentur, et fierent Consulibus cessent. Statutum est quod nullus Notarius audeat, vel presumat iniuriam verbo, vel facto dicere, vel facere dictis Consulibus, aut alicui eorum ubicunque sint, in pena librarum decem Placentie, Camere dicti Collegii applicandarum, et in quam penam talis iniurians cadat, et condemnatus sit et sine aliqua alia solemnitate, processu, et condemnatione. Et ulterius talis iniurians pro anno uno proxime futuro sit privatus honoribus, Officiis, et commoditate dicti Collegii. Et possit pro dicta pena, ad instantiam dictorum Consulum carcerari, et detineri, nec possit relaxari, nisi dicta condemnatione soluta. Si vero quispiam in aliquem ex Consulibus manus iniecerit, ipso iure sit condemnatus ut supra in libris vigintiquinque Placentie, et sit privatis honoribus, Officiis, et commoditatibus dicti Collegii, et ut supra. Et hoc locum non habeat quando exercetur Officium procurationis coram Officialibus, seu iusdicentibus.

De iniuriis non fiendis in Pallatio Collegii, aut in Consilio generali, vel speciali.

17. Quia scriptum est omnes homines, qui de rebus dubiis consultant ab ira, et odio, ac inimicitia alienos esse decet. Propterea ordinaverunt, quod nemo presumat in Palatio Collegii, aut in Consilio generali, vel speciali dicti Collegii ubicunque congregato, rixam, verba iniuriosa, seu contumelias, exprobrationes dicere, vel inferre alicui in pena viginti soldorum Placentie pro qualibet vice, nec manum in personam alicuius imponere, nec in eo arma deferre, in pena trium librarum. Et si in manu arma habuerit offensibilia in centum soldis plac. Et singulis duplicetur pena, si aliquis Consulum fuerit presens. Et in quas penas singula singulis congrue, et debite referendo, condemnati sint quilibet delinquentes, sine alio processu, et condemnatione.

De solicitudine habenda per Consules, circa palatium Collegii.

18. Teneantur Consules dicti Collegii toto posse providere, et solicitudinem habere circa Palatium Collegii Notariorum quod reaptetur, et non ruat, immo ipsum pro posse conservent, et bonificent, ipsiusque iura manuteneant. Et ulterius, quod Palatium ipsum non possit alienari quovis modo, aut aliter etiam ad tempus concedi, quin locus reservetur notabilis, et singularis pro Congregatione dicti Collegii in eo, sed in dicto Collegio conservetur, et conservari debeat Palatium ipsum.

De festo S. Marie de Augusto celebrando.

19. Consules Collegii Notariorum teneantur oblationem facere, una cum Notariis dicti Collegii, qui ad dictam oblationem omnes venire teneantur, et Palium offerre, iuxta solitum Beate Virgini Marie, cuius Festum celebratur in Ecclesia Maiori Placentie, sequendo D. Potestatem, et Antianos dicte Civitatis in Vigilia Festi dicte Virginis, aut in Vesperis, et in mane in Festo. Et qui ad dictam oblationem, etiam sine alia citatione non venerit, ipso iure sit condemnatus in sold. uno plac. iusta tamen cessante causa, de qua stetur dicto, et decisioni Consulum predictorum. Similique modo fiat oblatio S. Antonini. Et que de oblatione Beate Virginis dicta sunt, intelligantur etiam de oblatione S. Antonini.

De oblatione S. Protasii.

20. Consuetudo est diutius observata, que per presentia Statuta firmata est, scilicet, quod singulo anno fiat per Consules, et Notarios placentinos oblatio S. Protasii, qui Notariorum placentinorum Patronus, et Protector est, in Festo suo de uno Brandono librarum trium Cere. Teneantur ergo dicti Consules, et Notarii dictam oblationem facere more consueto, et omnes Notarii interesse debeant, prout in precedenti Statuto continetur, sub eadem pena.

De eodem.

21. Item Statutum est, quod si dictum Collegium non haberet pecunias aliunde, ut dicte oblationes fieri possint, teneantur omnes, et singuli Notarii Civitatis, et Episcopatus Placentie solvere dicta de causa Camerario dicti Collegii duodecim denarios placen.

De oblatione fienda Hospitalibus.

22. Teneantur Consules dicti Collegii quolibet anno die Dominico de S. Lazaro offerri facere Infirmis S. Lazari predicti soldos viginti Placentie pro oleo emendo. Et in Festo S. Raymundi pauperibus eiusdem soldos quinque plac. Et Hospitali Dei, Hospitali S. Macarii, et Hospitali S. Bartholomei, infra tertiam diem Cinerum Quadragesime, pro quolibet ipsorum sold. quinque plac. pro oleo emendo Pauperibus. Et hoc si in dicto Collegio, aut penes Camerarium fuerit pecunia aliqua dicti Collegii, pro predictis adimplendis. Si vero non adesset, teneatur Camerarius, quamcitius aliquas pecunias dicti Collegii habuerit predicta adimplere.

De reducendo ad concordiam Notarios.

23. Quia concordia res parve crescunt, discordia vero maxime dilabuntur. Consules dicti Collegii, qui a consulendo dicti sane recte consulentes, et suum nomen ad veram rei consequentiam ducentes, studeant, hortentur, et reducant toto eorum posse, quoscunque ex Notariis dicti Collegii, qui insimul aliquam discordiam haberent ex quacunque causa, priusquam se in lites precipitent de tranquillo pacis, et concordie inter ipsos fiende et ad id totis viribus studeant, et intendant. Et quilibet ex predictis discordiam habentibus Consulibus obtemperare teneatur, sub pena arbitrio ipsorum Consulum.

De fide, fama, et legalitate notariorum servanda.

24. Quoniam fides, fama, et legalitas Notariorum plac. usque ad diem presentem, firma, clara, et bona in orbe coruscant, et ut Deo propitio futuris temporibus perpetuari possint, ac potius augeri, volentes

insolentiis aliquorum, qui de facili famam ipsorum Notariorum tollere presumant, providere statuerunt. Quod si alique persone sint que velint, quam Notarii, que dixerint, imputaverint, vel culpaverint, tam in Iudicio, quam extra in quovis loco aliquem Notarium esse falsum, vel falsarium, vel confecisse chartam, Instrumentum vel acta, seu scripturas aliquas falsam, falsa, et falsas, vel de aliqua alia falsitate, que pertineat ad Notariam, cadant, et cecidisse intelligantur in penam librarum ducentum plac. applicandarum pro tertia parte Camere Illustrissimi D. D. Nostri, pro tertia parte Camere Comunis Placentie, et pro reliqua tertia parte Notario iniuriam passo, nisi ipse tales persone infra mensem unum probaverint ipsum Notarium fecisse, seu fabricasse ipsam falsitatem, de qua eum inculpaverint. Et qui non poterit solvere penam luat in corpore, arbitrio D. Potestatis Placentie. Si vero fuerit Notarius, qui alium Notarium, ut supra, dixerit, imputaverit, seu inculpaverit, ut supra, de aliqua falsitate, quod cadat ipse Notarius, qui inculparet, in illam penam, quam incurreret Notarius inculpatus si commisisset ipsam talem falsitatem, de qua culparetur, nisi infra dictum terminum probaret illam talem falsitatem commisisse. Si vero probaretur contra aliquem Notarium, ipsum talem Notarium deliquisse, Consules, et Collegium omnes proni, et ferventes sint ad faciendum ipsum debita pena castigari. De quibus, et super quibus Iudex Maleficiorum D. Potestatis Placentie possit, et valeat procedere, tam ex officio, quam ad instantiam partis, per viam inquisitionis, et ut in atrocibus criminibus proceditur.

De auxilio, et favore prestandis D. Potestati Placentie.

25. Teneantur Consules, et universi Notarii Civitatis, et episcopatus Placentie dare auxilium, consilium, et favorem Domino Potestati Placentie ad manutenendum, et conservandum Illustriss. D. D. Nostrum, Commune, et homines ipsius Civitatis, et districtus in iure, et iustitia, et statu perfecto, et tranquillo.

De recuperandis pignoribus.

26. Si contingat Consules aliquem ex Notariis dicti Collegii aliqua ex causa pignorari facere, teneatur dictus Notarius sic pignoratus infra

octo dies, a die captionis ipsius pignoris numerandos, recuperare, seu recuperari facere ipsum pignus suum, et solvere quicquid dicto Collegio dare tenetur, et debebit, aliter possint Consules illud pignus estimari, et vendi facere impune, absque ullo processu superinde fiendo. Et si quid plus supererit, illud supraplus teneantur dicto tali dari facere. Si vero quid defecerit, teneantur Consules ipsum talem debitorem cogi facere ad supplendum cum expensis.

De eundo ad sepulturas Notariorum defunctorum.

27. Teneantur Consules Notariorum plac. cum quis ex dicto Collegio, vel de alicuius Notarii familia defecerit, congregari facere Notarios civitatis, et ire personaliter cum dictis Notariis ad sepulturam dicti defuncti, et eidem honorem possibilem inferre; et si talis defunctus impotens esset expense sepulture, eam expensis dicti Collegii facere teneantur, arbitrio dictorum Consulum, et Sapientum. Et si quis requisitus fuerit, et ire, ut supra, recusaverit, incurrat penam soldorum duorum qualibet vice, et pro expensa, que, ut supra, fieret per dictos Consules de denariis dicti Collegii, non possint syndicari.

De ordine observando in sessionibus publicis.

28. Item quia senectus, et scientia semper sunt venerande, Statutum est, quod Consules ipsi teneantur fieri, et scribi facere per Camerarium dicti Collegii unam listam, seu cedulam, que affixa sit dicte Cathedre, in qua sint scripta nomina, et pronomina Notariorum dicti Collegii commorantium in dicta Civitate graduatim, secundum quod eis Consulibus videbitur, et placuerit debere observari per ipsos Notarios in sedendo in ipsis Consiliis et in eundo ad oblationes, et obsequia defunctorum Notariorum, quem ordinem cedule quilibet Notarius teneatur observare. Premissis in ordine suprascripto suprascriptis Dominis Consulibus, et Sapientibus, in penam soldorum duorum plac. pro qualibet vice in quam incurrat ipso facto, et Consules ipsi cogere teneantur, ut supra, sub pena dupli, ut supra.

De interrogationibus corrigendis.

29. Item Statutum est. Quod nullus Notarius, Procurator, et Causidicus Civitatis Placentie audeat, vel presumat dare ad corrigendum aliquas contraquestiones, seu interrogationes fiendas aliquibus testibus producendis in causis vertendis per, et inter partes aliquas, alicui persone preterquam Notariis dicti Collegii ex confidentibus partium, vel aliter, per partes eligendis. Et ille due prime interrogationes de scientia, et de ratione dicti testis, fiant iuxta consuetum. Et si aliter fierent corrector teneatur eas scribere, iuxta consuetum in interrogationibus manu sua propria.

EXPLICIT PRIMUS LIBER.

10052142

SECUNDUS LIBER

De thematibus fiendis.

30. Dictum est de electione Consulum, et aliorum, ut supra scriptum est. Nunc qualiter quis debeat approbari dicemus. Statutum est igitur, quod, ut volentes in Notarios recipi, et Collegium Notariorum intrare possint examinari, teneantur Consules, et Sapientes antedicti infra dies octo mensis Ianuarii, et introitus sui, conficere in scriptis themata duo, vel tria, mediocria pro quolibet eorum, antequam recedant de Consilio, et se separent de palatio, vel loco, ubi congregati fuerint, que themata commisceantur, et ponantur in una bussola, que sit sigillata sigillis quatuor dictorum Consulum, aut, que claudatur in una casseta clavanda cum quatuor clavibus, quarum singulam singulus Consul teneat; dictam vero cassetam teneat Camerarius, si eam Consules construi ordinaverint, et fecerint.

De forma observanda circa approbationem Notariorum.

31. Nullus, qui non sit oriundus Civitatis, vel episcopatus Placentie, et qui sit clericus, spurius, vel bastardus, scutifer, vel familiaris alicuius, sed qui sit homo bone conditionis, et fame, et qui sit legitimus, et de legitimo matrimonio procreatus, et qui excesserit etatem annorum decem et octo; salvo quod si fuerit filius, vel frater ex eodem patre, vel abiaticus ex latere patris tantum alicuius Notarii, et excesserit etatem aunorum sexdecim, investitus fuerit de officio Notarie a Comite palatino

per publicum instrumentum, de quibus omnibus Consules, et Sapientes dicti Collegii summatim fidem suscipiant, et eam per Notarium scribi faciant, antequam quis approbetur, possit, et debeat recipi in Notarium, et in Collegio Notariorum poni, et scribi, facta prius de eo examinatione sufficienti de bona grammatica, et bona scriptura per Consules, et Sapientes, ac Consiliarios dicti Collegii insimul congregatos, vel maiorem partem eorum, inter quos non sit pater, vel frater, vel affinis, vel Magister eligendus ipsius approbandi, et in presentia, audientia, et intelligentia Domini Vicarii Domini Potestatis Placentie, dando eidem sic approbando, themata duo, alterum post alterius latinum, non procedendo, ad dationem secundi thematis, si primum componere, et manutenere nesciverit, que in bonam grammaticam, et latine redigat, reducat, et scribat non permittendo quempiam penes eum, ne ipsum edoceret, et sibi dicta themata latine reduceret, et que vulgariter, et postea latine ipse talis coram Vicario, Consulibus, et Sapientibus dicat, et legat, et ipsa themata vulgariter, et latine scripta in manibus Consulum det, et consignet, ut ipsa videre, et examinare possint. Qui Consules ipsum talem interrogare debeant, quod est verbum principale, quod est suppositum, et quod appositum, et ex qua natura reguntur, et quare loco nominativi non possit poni accusativus, et e converso, et ipsum aliter examinare debeant de grammatica, secundum quod ipsis Consulibus videbitur. Et qui in hac examinatione utriusque thematis sufficiens, et idoneus repertus fuerit, approbetur. Qui vero insufficiens reprobetur, et non possit postea approbari, usque ad unum annum, et nisi per ipsum annum ipse redierit, et iverit ad scholas grammatice causa bonam grammaticam addiscendi in idoneo loco, et qui approbatus fuerit solvat in pecunia numerata tantum, et non in alia re Collegio antedicto, seu camerario dicti collegii, si non erit filius, vel frater ex eodem Patre, vel abiaticus ex latere Patris alicuius Notarii, lib. duodecim, et sold. decem plac. filius vero, frater, vel abiaticus, ut supra, alicuius Notarii solvat, ut supra, libras duas, et soldos decem plac. Aliter autem, si que approbatio fieret, sit ipso iure nulla, et nullius valoris, roboris, et momenti. Et de ipsis approbatione, seu reprobatione Instrumenta publica camerarius facere teneatur, et in libro reformationum dicti Collegii ponere, et successori Camerario consignare. Et quod quilibet de Episcopatu Placentie, qui repertus fuerit idoneus, et sufficiens modis suprascriptis,

ante ipsius approbationem teneatur, et debeat prestare ipsis Consulibus, nomine ipsius Collegii, idoneam fideiussionem, etiam respectu conveniendi, que non sit de dicto Collegio, commorantem in civitate, de sustinendo omnia onera incumbentia dicto collegio, et de observando statuta predicti Collegii, et unumquodcunque ipsorum, et prout in eis, et quolibet eorum continetur. Et si aliter factum fuerit in casibus suprascriptis, vel aliquo eorum, non valeat, nec teneat ipso iure. Et nullus notarius audeat procurare, aut contravenire, ut aliquis contra predicta, vel aliquod predictorum approbetur sub pena ducatorum quinquaginta auri Ducali camere applicandorum. Teneaturque ibidem quilibet approbatus iurare in manibus dictorum Consulum, quod erit obediens Consulibus dicti Collegii presentibus, et futuris, et quod observabit precepta ipsorum Consulum, ac Statuta, et ordinamenta dicti Collegii, et provisiones, si que de cetero fierent, presentibus Statutis non obviantes. Et ibidem ante dationem dictorum thematum eligere teneatur unum Magistrum in Civitate Placentie, cum quo teneatur morari pro discipulo causa addiscendi officium Notarie tribus annis, ad minus, continuis tunc proxime futuris. Et qui non possit conficere aliqua instrumenta pro primo anno dictorum annorum, nisi instrumenta procurationum ad lites tantum. Et transacto primo anno, possit ipse Notarius conficere quecunque instrumenta, et etiam quecunque acta, et alias scripturas publicas, et scribere, et exemplare, tamen cum consensu dicti magistri sui, et non aliter, a quo magistro, vel ab aliqua alia persona discipulus ipse nil causa alicuius scripture, vel instrumenti percipiat, nisi arbitrio dicti magistri sui, cuius magistri commodi sit pro dimidia, si eidem magistro suo placuerit: possit tamen quandocunque extrahere, authenticare, et scribere quecunque instrumenta, et scripturas publicas, cum consensu ut supra.

De matricula notariorum.

32. Ut semper videri per quoscunque possit qui sint in Notarios approbati, et qui non. Statutum est, quod de novo, propter novitates occursas, et scripturas et instrumenta deperdita, condantur, et fiant Matricule tres dicti Collegii, videlicet. Quod quilibet Notarius scribatur, et ponatur in ipsis Matriculis tanquam Civis, et Notarius de civitate, et in civitate habitans. Et Notarius Episcopatus tanquam habitans in

Episcopatu. Que matricule fiant de cinnabari, et in charta, quarum una reponatur, et remaneat in Sacrastia maioris Ecclesie, et alia in Archivio publico Communis Placentie, et alia in fine voluminis Statutorum presentis Collegii; fiatque alia scripta de atramento, que penes camerarium, qui pro temporibus fuerit, remaneat. Matriculas teneantur Consules per camerarium scribi facere cinnabari, et atramento in dictis matriculis, ut supra, singula singulis referendo, nomen, et cognomen cuiuslibet Notarii, cum millesimo, Indictione, et die, quo approbatus fuit, et cum nomine ipsius Camerarii, qui de eius approbatione instrumentum confecit. In qua matricula ponantur omnia nomina, et cognomina Notariorum defunctorum, qui reperiuntur in matriculis novis, et veteribus, et etiam nomina, et cognomina Notariorum vivorum, et etiam nomina, et cognomina illorum Notariorum defunctorum, qui non reperiuntur in dictis matriculis, nec non approbationibus, dummodo manifeste sciatur, et sciri possit eos fuisse Notarios, et publice exercuisse Officium tabellionatus in civitate, et Episcopatu Placentie. Attento maxime, quod propter novitates occursas in civitate, et eius Episcopatu deperdita reperitur maior pars approbationum.

De modo observando, circa officia Notariorum.

33. Quoniam Dei gratia, et munificentie, ac liberalitate prelibati Illusstrissimi D. D. Nostri Collegium ipsum restitutum est ad quasi possessionem officiorum Notarie Civitatis Placentie, de quibus infra, qua per certum tempus Collegium ipsum spoliatum remansit, ad hoc ut quilibet, si quid commodi est in ipsis, participet, Statutum est, quod bis in anno, et tempore Consiliorum generalium singula nomina Notariorum in Civitate cum familia sua habitantium, et exercentium officium Notarie publice in platea Communis, et mansionem tenentium in stationibus circa plateam situatis, ubi communiter officium Notarie exercentes conversantur, in singulis cedulis scribantur, et non aliorum, dummodo non exerceant aliud Notarie officium, ut puta D. Episcopi, dictarie Communis, ac dicti Communis, provisiones in capella, rationaria mercantie, thesaurarie, et similium, et non exrcentes aliam artem, preterquam officium Notarie. Qui tales sint penitus exclusi a dictis officiis, et ipsis privati, et quorum nequaquam nomina scribantur, et nequaquam in bussola commisceantur,

et recondantur ut infra. Ceduleque ipse in Consilio generali dicti Collegii, quam melius fieri poterit commisceantur, et recondantur in una bussola, fiantque cedule singulorum officiorum, que in alia bussola commisceantur, et recondantur, et postmodum fortuito de bussola ubi erunt cedule officiorum extrahatur per Consules una cedula officii, et deinde de alia bussola extrahantur tot cedule nominum Notariorum quot opportebit, pro dicto officio extracto. Et quibus sors advenerit dictum officium exercere debeant, et prout in Statutis presentis Collegii continetur facere, si ipsimet exercere nollent, et observare. Observare teneantur, que presentibus ordinamentis, ut infra statuta sunt, et similiter in ceteris procedatur, donec quibuscunque officiis provisum fuerit. Et quia erunt plures cedule nominum Notarium, quam officiorum, et in bussola cedularum nominum Notariorum plurium restabunt cedule, ne fraus aliqua committi possit, sigillare teneantur Consules dictam bussolam, ut postmodum ipse cedule sine fraude extrahi possint, ut infra, et que bussole reponantur in capsa dicti Collegii clavata quatuor clavibus, quarum unusquisque ipsorum Consulum teneant penes se unam ex eis. Et qui ad officia, ut supra, deputati fuerint ipsa exercere debeant, aut exerceri facere, iuxta formam presentium Statutorum per sex menses tantum tunc proxime futuros. Et elapsis dictis sex mensibus extrahantur iterum de bussola officiorum fortuito, ut supra, singule cedule officiorum una post alteram, ad alterius semestris provisionem. Que cedule officiorum iterum, ut prius, in dicta bussola commisceantur, et recondantur, et de alia bussola fortuito extrahantur cedule nominum Notariorum, qui in ipsa bussola restaverint, et ipsis cedulis nominum Notariorum finitis, et extractis omnibus, principietur iterum ad dandum dicta officia modo predicto. Et aliter quicquid factum fuerit sit irritum, et inane. Et quisquis aliter electus ad aliqnod officium fuerit per Consules, omnïbus iuris remediis amoveatur, et dicto officio, seu officiis modo predicto provideatur. Et quisquis Consulibus, et eorum mandatis renitens, et inobediens in predictis fuerit, ipso iure sit privatus, omni iure, et honore dicti Collegii, et condemnatus sine alia condemnatione, et processu in libris decem plac.

De eodem.

34. Item Statutum est, quod Notarii, quibus sors alicuius dictorum officiorum advenerit, possint ipsa officia exercere, et exerceri facere per quemcunque alium Notarium, quem ad hoc deputaverint, dummodo ipse talis per dictum Notarium, qui ipsum officium habuerit, ad ipsum officium deputandus sit sufficiens, et pro sufficiente approbetur a dictis Consulibus, et sit homo bone conditionis, et fame, et iuret in manibus Consulum ut infra: non possit tamen aliquis plusquam unum officium exercere, sub pena de qua Consulibus videbitur.

De eodem.

35. Item Statutum est. Quod illi quibus alicuius dictorum officiorum sors advenerit, non possint unus invito altero alium socium assumere, sed lucrum, quod ex officiis, et unoquoque ipsorum percipietur sit communiter illorum quibus sors ipsorum advenerit, et inter eos dividatur. Et si quis contrafecerit ipso iure sit condemnatus in libris decem plac. pro qualibet vice, et ipso iure sit privatus per triennium omni iure, et honore, et commoditatibus, et officiis dicti Collegii. Et nihilominus teneantur Consules cogere quemlibet contrafacientem ad dandum portionem suam socio conquerenti. Et credatur illi, qui de socio querimoniam faceret sine sacramento, et sine aliqua alia probatione, nisi inter eos aliter providerent.

De eodem.

36. Teneatur iurare suo sacramento in manibus Consulum quilibet Notarius, cui sors alicuius dictorum officiorum advenerit, si ipsum officium exercere voluerit. Et si noluerit exercere, teneatur facere, quod ille, cui dictum officium ad exercendum dederit, iuret, et sic ipse talis, qui ipsum officium exercere debuerit iurare teneatur antequam quispiam ipsorum accedat ad officium predictum exercendum, in manibus Consulum, quod dictum officium bene, et legaliter bona fide, et sine fraude exercebit, et faciet quicquid in dicto suo officio fieri debet, et hactenus consuevit per quoscunque probos viros, et legales Notarios, in pena, et

sub pena librarum quinque Placentie pro quolibet contrafaciente; in quam penam quilibet contrafaciens, ipso iure incurrat, et sine alio processu, et condemnatione condemnatus sit. Quodque D. Potestas Placentie, eius Vicarius, et Iudices neminem ad dicta officia recipiant, nisi prius habeant literas Consulum predictorum, quibus iis pateat unumquemque Notariorum ad tale officium deputandum. Et si qnis ex dictis Notariis accesserit, seu intraverit ad aliquod dictorum officiorum, absque dictis literis, privatus sit ipso iure per triennium omni beneficio possendi habere, et exercere aliquod ex dictis officiis Notariorum, et a bussola exclusus stet per dictum triennium. Et debeant presens Statutum, et suprascripta tria precedentia in suprascripto tempore dationis dictorum officiorum legi ibidem, ad omnium ibidem tunc astantium plenam audientiam, et intelligentiam.

De eo, quod solvere debent Notarii pro quolibet officio.
Et de deputatione Notariorum ad dicta officia.

37. Teneantur solvere Notarii, quibus dictorum officiorum sors advenerit tempore iuramenti sui, sub pena dupli, in quam incurrant, et sine condemnatione ipso iure, et ut supra, collegio Notariorum Placentie, aut dicti Collegii camerario, quilibet ipsorum pro officio suo, ut infra. Et deputentur unicuique dictorum officiorum Notarii, de quibus infra, videlicet.

Primo officio dictarie ad civilia deputentur tres Notarii, qui solvere debeant in totum unusquisque ipsorum tertiam partem, et sic de singulis congrue, et debite referendo lib. tres plac. lib. 3. s. d.

Item pro officio maleficiorum duo Notarii, qui ut supra solvere debeant, lib. 2. s. d.

Item pro officio Cervi unus Notarius, qui solvere teneatur, lib. s. 16. d.

Item officio Griffonis Notarius unus, qui solvere teneatur, lib. s. 16. d.

Item officio gabellarum Notarii duo, qui solvere teneantur, lib 1. s. 12. d.

Item officio victualium Notarius unus, qui solvere teneatur, lib. 1. s. d.

Item officio aquarum Notarius unus qui solvere teneatur, lib. 1. s. d.

Item officio approbationum deputetur unus Notarius, qui solvere teneatur nihil.

Item officio camere pignorum deputetur unus Notarius, qui solvat ut supra nihil.

Item officio salis unus Notarius, qui solvat ut supra nihil.

Item officio pontium et viarum Notarius unus, qui solvat ut supra nihil.

Qui omnes Notarii sunt numero quindecim. Et nemo alterius officium impediat. Et nemo possit eodem tempore aliud officium preter suum exercere, postquam ipsum iuraverit, et acceptaverit, et quod renuere, nec refutare possit, sub pena librarum decem plac., in quam quilibet contrafaciens ipso iure sit condemnatus. Et aliud officium non iuratus teneantur Consules facere quod relaxet, sub dicta pena toties quoties renuerit. Nec quispiam possit aliud officium exercere, nec aliquas scripturas, aut instrumenta, in quibus presentia, et auctoritas alicuius officialis communis Placentie requiritur, conficere, nisi dictum officium habuerit modis de quibus supra, sub pena predicta, et in quam quilibet contrafaciens sit, ut supra, condemnatus. Et de cetero dicta officia Griffonis, et Cervi non possint dari coniunctim cum dictaria, sed divisim. Declarando, quod si quo tempore casus accideret, quod aliquis ipsorum Notariorum recusetur a partibus, vel altera ipsarum, et alius eius loco ponatur, vel eligatur, quod ille talis sic electus habeat mercedem pro scribendo semel, vel pluries acta, instrumenta, vel scripturas, ac testes, et ultra id, tertiam partem alterius lucri, quod consequetur ex premissis, et quod omnes processus, qui fient coram Potestate, vel Vicario in executione literarum Ducalium, vel aliorumcunque, spectent ad ipsos dictatores, nisi talis processus esset inchoatus coram iudicibus cervi, et griffonis, vel alterius Judicis; quo casu Notarius illius Judicis, coram quo erat inchoatus processus, sit Notarius in causa ipsa, et habeat commodum, quod spectet ad talem Notarium.

Quod nullus possit officium exercere pro aliquo, qui non sit approbatus.

38. Statutum est, quod nullus Notarius civitatis, et episcopatus Placentie possit exercere aliquod officium, aliquo casu, vel modo, pro ali-

quo, qui dicatur esse Notarius, et non sit approbatus in Collegio Notariorum, nec qui reperiretur scriptus in matricula dicti Collegii. Et si aliter quam supra continetur, ipsorum officiorum datio fieret, et contrafaciens ipso iure condemnatus sit in libris decem Plac. pro qualibet vice, nihilominus dispositione presentis Statuti firma manente.

Quod nullus Notarius solutionem recipiat a Notariis officii cause etc.

39. Item, quia de longeva et approbata consuetudine inter Notarios consuetum observari, ac teneri, quod Notarii non solvant aliis Notariis pro eorum scripturis, et instrumentis, factis tamen in propriis factis eorum; proinde statutum est. Quod Notarii dictorum officiorum, nec non et Notarii D. episcopi, dictarie, provisionum, communis, mercantie, rationarie, et quorumcunque aliorum officiorum Notarii teneantur scribere ad officia sua quascunque scripturas cuiuslibet alterius Notarii, et non recipere aliquam solutionem dictorum officiorum causa a dicto tali Notario de dictis scripturis, quas ad dicta eorum officia per alium Notarium fieri contigerit pro factis ipsius Notarii propriis, sub pena dupli, in quam ipso iure sint condemnati pro qualibet vice contrafacientes. Similique modo res pertinentes dicto Collegio, et communi Placentie sine ulla solutione scribere teneantur. Teneatur tamen commune Placentie solutionem, que dicto Notario veniret dictorum officiorum causa, vel alicuius eorum dicto Notario dare tantummodo solutionem, que veniret ei, causa mercedis sue pro scriptura tantum. Et illud idem intelligatur in instrumentis, que extra iudicium fiunt spectantibus alicui Notario.

De iis, ad que tenentur Notarii electi ad officia in officiis exercendis.

40. Teneantur Notarii ad dicta officia electi, et quilibet ipsorum singula singulis congrue, et debite referendo, scribere in actis officiorum suorum, et sub examine Iudicum suorum precepta, et alias scripturas, et instrumenta pertinentia ad ipsorum officia, nec non sententias, et condemnationes, prout moris est, et acta, et instrumenta, sententias, et condemnationes fideliter, et testes secrete, donec fuerint publicati, scri-

bere, suscipere, examinare, et partibus requirentibus in publicam formam, ipsa acta, sententias, et instrumenta, et testes post publicationem in scriptis redigere, et dare, habita mercede condigna a partibus ipsis infra tempus, quo verisimiliter ipsa acta, sententie, instrumenta, et testes scribi possint, seu poterunt, de quo tempore si ulla fuerit controversia, stetur decisioni Consulum Collegii predicti, sub pena librarum quinque Placentie pro qualibet vice, in quam quilibet ipso iure incurrat, et condemnatus sit sine alio processu, et condemnatione. Et quia oretenus litigantes interdum comparent, et dicunt se Notariis scripturas notatas portare, ne ulla inde differentia oriatur, teneantur Notarii eas recipere, et scribere eadem die, vel sequenti, dummodo ipsa die sequenti non sit prohibitum per Ecclesiam laborare. Et si prohibitum esset in ipsa die sequenti, quod tunc in alia die prima sequenti, qua non sit prohibitum per Ecclesiam, ut supra, si data fuerint notata per partes, aut per partium procuratores. Aliter ipsas, vel ipsa non recipiant, nec recipere teneantur, nec debeant, ne lapsu temporis cum memoria hominis non sit eterna, aut plus, aut minus quicquam in ipsis scripturis scriptum reperiatur, sub pena antedicta, in quam quilibet incurrat, et condemnatus sit, ut supra. Si vero partes fuerint concordes quandocunque impune recipiat, et recipere possit.

Quod Consules procurent dare Notarios aliquos aliis Officialibus tam Civitatis, quam Episcopatus Placentie.

41. Item Statutum est, quod Consules dicti Collegii toto eorum posse, et si eis videbitur, procurent penes eos ad quos pertinebit, quod alii officiales civitatis, et episcopatus Placentie, de quibus supra facta mentio non est, non recipiant alios Notarios preter eos, quos ipsi Consules pro eorum officiis exercendis elegerint, et pro ipsis deputabunt. Et quod nullus Notarius civitatis, et episcopatus ea exercere debeat, sine licentia, et consensu dictorum Consulum, sub pena librarum decem Placentie, pro qualibet vice.

De signo, et nomine Notariorum ponendo in principio breviaturarum.

42. Item Statutum est, quod quilibet Notarius teneatur in principio cuiuslibet libri, seu quaterni tam breviaturarum, quam officii scribere nomen suum, et apponere signum suum, et instrumenta, scripturasque, que fecerit in dicto quaterno scribere, preter testamenta in scriptis, infra menses duos iusta cessante causa. Et imbreviaturas, quas fecerit coram partibus, et testibus, legere, et exponere, preter dicta testamenta in scriptis. Et ipsa, et ipsum finire, vel finiri facere, si fuerit requisitus ab aliquo, ad quem pertineat, infra octo dies et illi eas finitas tradere, habita mercede condigna, sub pena librarum quinque pro qualibet vice, et amissionis mercedis sue, que sibi pro dicta Imbreviatura scripta, vel instrumento spectaret, et veniret, in quam ipso iure condemnatns sit. Similique pena teneatur quilibet penes quem imbreviature alicuius defuncti fuerint finire, vel finiri facere infra octo dies, postquam requisitus fuerit, instrumenta cuilibet, cui ipsa instrumenta spectarent. Et quilibet Notarius de dicto Collegio continue teneatur, et obligatus sit secum ferre pugilarem, et Protocollum unum in cuius principio sit gruppus suus, cum suo nomine, et cognomine, ac millesimo, et indictione, super quo teneatur scribere substantiam, et effectum quorumcunque Instrumentorum, que breviaverit, cum millesimo, indictione, et die, et testibus, ac loco ante ipsorum instrumentorum recitationem, ne quicquam de recitatis, et actis per contrahentes in dictis instrumentis oblivioni traderetur, sub pena soldorum quinque pro qualibet vice, qua repertus fuerit sine dictis pugilari, et protocollo, et soldorum viginti pro quolibet instrumento, quod recitaverit antequam ipsius effectum scripserit, ut supra.

Quod stetur decisioni Consulum de questionibus mercedum instrumentorum et scripturarum.

43. Quia plerumque inter litigantes, et Notarios officiorum, et etiam inter contrahentes, et Notarios oriuntur differentie circa solutiones instrumentorum, testium, et scripturarum; ut omnis differentie causa amoveatur. Statutum est, quod si ulla de cetero fuerit differentia causa predicta, quod stetur, et stari debeat decisioni, et terminationi Consulum

Collegii, et quod dicte decisioni quilibet Notarius stare debeat, et contentus esse eo, quod sibi dari dicti Consules mandaverint. Et si quis contrafecerit ipso iure sit condemnatus sine alia condemnatione, et processu in duplo eius quod peteret; et illud idem attendere, et solvere teneatur litigans, et contrahens, eamque decisionem, et determinationem exequi facere teneatur D. Potestas Placentie, quibuscunque appellationibus, et gravaminibus reiectis, nullique Notario liceat contra tales decisiones, et determinationes quicquam opponere, vel allegare, sub pena soldorum centum pro qualibet vice, qua contrafecerit.

De manifestando breviaturas Notariorum defunctorum.

44. Item Statutum est, quod quilibet Notarius Civitatis, et episcopatus Placentie teneatur, et debeat breviaturas, seu cartularium alterius Notarii defuncti, vel dedicati, seu absentis, si quas habuerint, vel aliquem sciverint habere, dicere, et manifestare consulibus infra duos menses postquam eis per dictos consules intimatum fuerit, et mandatum, sub pena librarum quinque pro quolibet contrafaciente pro qualibet vice, qua ei mandatum fuerit per consules, in quam penam ipso iure contrafaciens incurrat, et condemnatus sit sine aliqua alia condemnatione, et processu.

De novo registro fiendo.

45. Item statutum est, quod fiat unus liber, sive unum registrum per camerarium dicti Collegii, in quo scribantur omnes Notarii civitatis, et episcopatus Placentie, qui habeant penes se breviaturas alicuius Notarii defuncti, vel dedicati, seu absentis cum millesimis breviaturarum dicti defuncti, dedicati, vel absentis. Quod registrum quelibet persona, cuius intersit, possit videre, et invenire de quo querit. Et quod dictus liber fiat spatiosus inter unum Notarium, et alium, ita quod ibi possit addi, et minui secundum quod breviature mortuorum, et aliorum Notariorum, que propter malas conditiones civitatis, et depopulationem factam deperdite reperiuntur, et secundum quod Notarii vivent, et morientur. Qui liber, ut supra cautum est, per camerarium predecessorem successori camerario consignetur.

Quod aliquis non finiat scripturas, vel instrumenta penes aliquos, qui non sint Notarii, existentia.

46. Item statutum est, quod aliquis Notarius civitatis, et episcopatus Placentie non debeat finire aliquod instrumentum, vel aliquam aliam scripturam publicam ad breviaturam alicuius Notarii defuncti, vel dedicati existentem penes aliquem, qui non sit Notarius, sub pena librarum decem Placentie pro quolibet instrumento, vel scriptura, que finita, seu finitum per aliquem reperiretur, et constaret, in quam ipso iure dictus contrafaciens incurrat, et condemnatus sit sine aliqua alia condemnatione, et processu. Et quilibet possit accusare, et habeat medietatem pene.

Quod nullus recommendet laico non Notario brcviaturas suas.

47. Item statutum est, quod nullus Notarius possit, nec debeat recommendare, vel reponere breviaturas, seu cartularium suum, vel alterius Notarii occasione aliqua, vel modo alicui laico non Notario, sed solummodo alteri Notario, ne dolus, fraus, vel falsitas ulla committi possit, sub pena librarum decem plac. pro quolibet contrafaciente, in quam condemnatus sit sine alia condemnatione, et processu.

De faciendo deponi breviaturas cuiuslibet Notarii defuncti sine filiis, qui non sint Notarii, penes unum Notarium.

48. Item statutum est, quod, consules notariorum teneantur, et debeant, infra quindecim dies, postquam aliquis Notarius mortuus fuerit in civitate Placentie sine filiis, patre, vel fratre Notariis, ire ad domum heredis illius Notarii sic defuncti, et accipere omnes illas scripturas, et breviaturas dicti defuncti, et eas consignare penes unum bonum, et legalem Notarium de voluntate heredis defuncti, habente dicto herede partem lucri, quod ex eis habebitur. Et si quis heres alicuius Notarii, ut supra premittitur, defuncti, retineret, teneatur potestas Placentie omnibus iuris remediis, sub pena librarum quinquaginta Placentie, in quam ipso iure incurrat, et condemnatus sit pro qualibet vice, adimpleri facere, que in presenti statuto continentur, si ei intimatum per dictos Consules de hoc fuerit. Ad domum vero defunctorum in episcopatu mittant ca-

merarium Collegii infra mensem unum, cum uno ex collecteralibus dicti D. Potestatis, qui predicta facere teneantur, ut supra scriptum est.

Quod aliquis Notarius non vendat, impignoret vel celet, aliquas breviaturas.

49. Item Statutum est, quod aliquis Notarius non vendat, vel impignoret, vel celet aliquas breviaturas suas, vel alienas, vel aliquas scripturas publicas, sed eas conservare teneatur, sub pena librarum quinque Placentie, in quam ipso iure sit condemnatus. Et quilibet possit accusare, et habeat medietatem pene.

Quod Rectores faciant coram se venire speciarios, et revenditores.

50. Item Statutum est, quod Consules Notariorum teneantur curare cum effectu quod Potestas Placentie habeat coram se speciarios Placentie, et alios revenditores, qui similibus utantur, et eos faciat omnibus iuris remediis iurare, et sic ipse Potestas facere teneatur, quod non ement ab aliqua persona, nec recipient aliquas breviaturas, vel scripturas publicas alicuius Notarii, sive sit mortuus, vel vivens, nec ipsas abradere, nec radi facere, nec incidere, vel destruere sub pena vigintiquinque librarum Placentie, in quam quilibet contrafaciens incurrat, et condemnatus sit, sine alia condemnatione, et processu ipso iure, et facto camere Illustriss. D. D. Nostri applicanda. Et hoc procurent Consules cridari facere per Civitatem, et si eis videbitur, etiam adire Consules mercantie, qui similiter facere teneantur, prout de Potestate dictum est, et illud idem supplicetur D. Episcopo fieri in clericis.

Quod quilibet Notarius possit accipere XII. *denarios pro circatura cuiuslibet instrumenti alias finiti.*

51. Item Statutum est, quod quilibet Notarius possit, et ei liceat accipere pro circatura cuiuslibet instrumenti, sive sit finitum, sive non, post annum confectionis ipsius instrumenti, et sive ipse breviaverit, vel alius Notarius, cuius breviature sint penes eum, duodecim denarios pro quolibet millesimo imbreviaturarum, et non ultra.

Quod liceat Notario finire instrumenta ad imbreviaturas defunctorum.

52. Item statutum est, quod liceat cuilibet Notario finire, et finiri facere instrumenta ex imbreviaturis Notariorum absentium, et defunctorum, que fuerint, seu steterint penes ipsum, vel aliquem alium Notarium Placentie habente, qui finiet ipsum instrumentum preceptum a D. potestate Placentie, vel aliquo ex iudicibus suis ad iura reddenda civiliter deputatis, sive a D. episcopo, vel eius vicario, si ipsum instrumentum ad episcopum pertinebit, et aliter finitum non valeat, sed sit ipso iure nullum, irritum, et inane.

Quod nemini liceat quomodolibet aliquid impetrare contra Collegium.

53. Item statutum est, quod nullus notarius civitatis, et episcopatus Placentie, cuiusvis gradus, status, preeminentie, et conditionis existat, audeat, vel presumat concionari, vel arengare in aliquo consilio generali, vel speciali Plac. nec audeat quipiam Notariorum impetrare quoquomodo sub aliquo pretextu, vel colore directe, vel indirecte ab aliquo D. Principe, vel Barono, vel communitate, et universitate quicquam, quod sit in diminutionem utilitatis, commoditatis, et honoris Collegii notariorum Placentie, et Notariorum ipsius Collegii, et quod sit contra presentia statuta, et ipsorum formam, sub pena librarum decem, in quam quilibet contrafaciens ipso iure incurrat, et condemnatus sit, sine aliqua alia condemnatione, et processu pro qualibet vice. Et quicquid obtinuisset dicta de causa sit nullum, et nullius valoris, roboris, et momenti, immo ipse talis careat impetratis omnino, et impetrata ipso iure sint irrita, nulla, et inania.

De consulibus, et penis.

54. Item statutum est, quod ubicunque in presentibus statutis continetur, quod consules teneantur etc. intelligatur de consulibus presentibus, et qui pro temporibus erunt, et quod ubicunque mentio fit de aliquibus penis, intelligatur illa talis pena applicari, et applicetur camere Collegii Notariorum Placentie: et ipsos tales, quibus sunt imposite ipse

pene, in ipsas incidisse absque alia condemnatione, vel processu, aut solemnitate fienda contra ipsos delinquentes, nisi per statuta aliter provisum foret, intelligendo semper debite, et recte predicta, et quecunque alia, que in presentibus statutis continentur, que non essent bene declarata in ipsis statutis.

Quod Potestas teneatur prestare auxilium Consulibus.

55. Item Statutum est, quod Potestas Placentie, et eius Iudices, et officiales tanquam meri executores in illa parte teneantur, et debeant dare, et prestare auxilium, consilium, et favorem Consulibus Notariorum Placentie quoties per ipsos Consules fuerint requisiti pro exequendo ea, que presentibus statutis, ut supra ordinata sunt, et pignorare, detinere, et carcerare, seu pignorari, detineri, vel carcerari facere quoscunque Notarios, prout ipsi Consules duxerint ordinandum, absque eo, quod ipsi inspiciant, vel inspicere velint, si talis Notarius iuridice pignorari debeat, detineri, vel carcerari, et ipsos non relaxare sine eorum Consulum licentia speciali, sub pena librarum quinquaginta plac. camere Illustrissimi D. D. applicanda, et auferenda Potestati, et cuilibet ex Iudicibus renuenti, et contrafacienti. In quam penam ipso iure quilibet officialis renuens, et contrafaciens, ut supra, sit condemnatus. Et quod ab his, que requisitione dictorum Consulum Potestas faceret, seu fecerit, nemo Notariorum possit appellare, supplicare, querelare, gravare, petitionem consilii sapientis petere, aut nullitatem interponere quoquomodo, immo precise exequatur Potestas, et eius officiales, que ab eis per dictos Consules requisita fuerint.

De cassatione Statutorum veterum.

56. Item Statutum est, quod Consules Notariorum Placentie presentes, et qui pro temporibus fuerint, et quilibet alius singulus Notarius, sit qui velit, debeant, et teneantur observare, et observari facere presentia Statuta, et in presenti volumine scripta, que sunt numero quinquagintasex, et nulla alia, immo quecunque alia statuta, et provisiones, que in presenti volumine descripta non sunt, sint nulla amodo, cassa, et irrita, et nullius valoris, roboris, et momenti. Provisiones vero, si que fient,

que presentibus Statutis non obvient, observari, presentibus ordinamentis Statutum est, (1) dummodo tales provisiones per nostras etiam literas fuerint confirmate.

De confirmatione Statutorum predictorum, tenor literarum Ducalium sic incipit.

Dux Mediolani etc. Papie Anglerieque Comes ac Cremone Dominus. Presentatis nobis per Stefanum Malclavellum Notarium Placentinum literis Antianorum et Sapientum negociis Comunis civitatis nostre Placencie presidentium, nec non supplicatione Consulum et totius Collegii Notariorum eiusdem nostre civitatis tenoris infrascripti, videlicet — Illustrissime Princeps et excellentissime Domine. Ordinari et compillari fecit noviter Collegium Notariorum Placentie statuta et ordinamenta pro Collegio ipso pulcra, utilia, et notabilia, ut omnes de dicto Collegio sciant sub qua lege vivant, et quid sint acturi pro honore dicti Collegii, et utilitate tocius Reipublice nostre. Que Statuta mittere decrevimus dominationi vestre, ut ea videri et examinari facere possit, et eorum continentiam intelligere. Propterea attente rogamus et supplicamus Dominationem vestram quatenus dignetur pro honore dicti Collegii, et comodo tocius Reipublice ipsa statuta validare, approbare et confirmare in totum et per totum prout in eis continetur, ac mandare et iubere quod ipsa serventur pro lege, aliquibus in contrarium disponentibus non obstantibus etc. prout in dominatione Vestra speramus, cui hanc civitatem recomendamus. Data Placentie, die undecimo Decembris Mcccclquarto. Eiusdem Dominationis vestre fidelissimi servitores Antiani et Sapientes negociis comunis Placentie presidentes. A tergo. Ill. Principi et Exc. Domino domino nostro singularissimo Duci Mediolani etc. Papie Anglerieque Comiti ac Cremone Domino — Illustriss. Princeps et Excellentis.

---

(1) Nella edizione del 1730 le parole *Dummodo etc.* sono in carattere distinto, ed havvi apposta in margine la nota seguente: *Haec sunt verba addita per Principem in confirmatione, non autem statuentium.* Nel che si ravvisa una protesta contra il Principe, ed una prova della indipendenza, in cui tenacemente si tenevano tali Collegii.

Domine. Ducali Dominationi vestre humiliter suplicatur parte eiusdem Dominationis fidelissimorum servitorum Consulum et Sapientum ac tocius collegii Notariorum Placentie. Quod cum per deputatos per dictum Collegium fuerint facta et compillata ac ordinata Statuta pro bono et utilitate dicti Collegii, et pro inobedientibus ipsi Collegio castigandis et corrigendis, et ut omnes de dicto Collegio sciant ad quid obligentur et discant moraliter et sub obedientia vivere. Que statuta per copiam Dominationi Vestre mittere curarunt, ut ea possit videre et diligenter examinare, seu examinari facere. Eapropter Dominatio Vestra dignetur ipsa Statuta affirmare, approbare, et validare et confirmare in totum et per totum prout in eis continetur, aliquibus aliis in contrarium disponentibus non obstantibus, et prout ipsi supplicantes sperant in Domination Vestra quam Altissimus feliciter conservet et augeat ut optant — Nos Statuta in dictis Literis et suplicatione memorata per Spectabiles Consiliarios nostros iusticie diligenter inspici et examinari fecimus. Cum igitur Statuta ipsa convenientia atque honesta visa sint, ac peroptemus et nobis summe placeat ut exercitia quecunque universis in nostris Civitatibus ac locis talibus sub regulis et laudabilibus modis dirigantur et habeantur, ut quicunque ipsis in gerendis exercitiis cum summo virtutis studio insistere possint, enitique in bene agendo unus alium excellere, neque impune a debitis ipsorum exercitiorum moribus posse divertere. Statuta eadem in uno volumine papiri descripta in capitulis quinquagintasex, quorum primum sic incipit. Principio iurium tuendorum expedit in quibuscunque Collegiis Magistratus elligere ipsa qui iura defendant; proinde igitur Statutum est quod Consules Collegii Notariorum Placentie etc. Et ultimum sic finit: Provisiones vero si qui fient que presentibus Statutis non obvient observari presentibus ordinamentis statutum est. Cui tamen ultimo Statuto addatur et addi volumus, ac addita esse intelligimus hec verba, videlicet = Dummodo tales provisiones per nostras etiam literas fuerint confirmate, = tenore presentium approbamus et confirmamus, volentes et mandantes Locumtenentibus, Potestatibus, Refferendariis, Antianisque et Sapientibus presidentibus negociis Comunis, Consulibus Collegii Notariorum, ceterisque officialibus eiusdem nostre civitatis Placentie presentibus et futuris, ac aliis ad quos spectabit, quatenus Statuta ipsa cum additione predicta prout iacent ad literam servent et inviolabiliter observari faciant. Eorum tamen emenda-

tionem, correctionem, reformationem, mutationem, additionem, diminutionem, declarationem, et interpretationem nobis et arbitrio nostro reservantes. In quorum testimonium presentes fieri iussimus et registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Datum Mediolani, die decimonono decembris Mcccc. quinquagesimoquarto.

Signat. FRANCISCUS.

Ego Leonardus Luschus Imperiali autoritate notarius publicus Placentinus suprascripta Statuta et suprascriptas literas Ducales in quibus continetur ut supra, vidi et legi, ipsaque et ipsas ex eorum originalibus existentibus penes Camerarium Venerabilis Collegii Notariorum civitatis Placentie extraxi, exemplavi, et ita scripsi, et me subscripsi, signumque meum apposui consuetum in fidem et testimonium premissorum.

EXPLICIUNT STATUTA NOTARIORUM.

10052142

10052142

STATUTA CLERICORUM PLACENTIAE

AB EPISCOPO ALBERICO CONDITA

ANN. 1297.

EX AUTHENTICA MEMBRANA BIBLIOTHECAE R. PARMENSIS

10052142

STATUTA CLERICORUM (1)

Nos Albricus permissione divina placent. Episcopus, ad honorem dei et beate Virginis Marie et venerande martiris beate Iustine, licet actenus multis et variis occupacionibus impedicti, non potuerimus commode ad hanc sollicitudinem oculos elevare, considerantes tamen utilitatem et reformacionem Clericorum et ecclesiarum Civitatis et diocesis placent. quasdam constituciones de consilio fratrum nostrorum duximus promulgandas; ne possint ulli de cetero quasi per ignorantiam excusari, et trasgressores penas effugere in eisdem constitucionibus ordinatas: cassantes omnes constituciones et omnia statuta predecessorum nostrorum, et decernentes ipsas et ipsa penitus nullius esse momenti.

In primis statuimus quod omnes Clerici civitatis et diocesis placent. residentes in ecclesiis suis, et qui beneficium ecclesiasticum percipiunt, intersint, et perseverent utiliter et decenter horis canonicis scilicet matutinis, prime, Missis, Tercie, sexte, none, Vesperis, et completorio; nisi pro manifesta, et ractionabili causa, seu licentia prelati sui, potuerint escussari, in quibus divinum officium expleant sine strepitu, motu, confabulacione et rixu.

Item statuimus quod Clerici civitatis et diocesis placent. in minoribus ordinibus sive infra sacerdocium constituti, sacerdotibus suis ministrent honeste in choro, necessaria circa altare. Qui vero ea, que in duobus

(1) Sono messi di nuovo a stampa questi Statuti (esemplati sull' originale), perchè nell' edizione del Campi (v. Stor. Eccles. di Piacenza part. III, pag. 270-72) mostrano difetti e interpolazioni non lievi.

capitulis supradictis continentur adimplere neglexerit, nihil de proventibus ipsius ecclesiae pro vitualibus ipsa die percipiat, si vivant in communi: si vero fratres non vivant in communi, liceat ministro de parte ipsius, qui hec non adimpleverit, quociens contra venerit vel fecerit, retinere tantum quod bene valeat duos denarios; et hec in ecclesiis conventualibus, in Capellis vero unum denarium qui in utilitate fratrum et ecclesie convertantur; prelatis vero talium iniungimus sub pena excommunicacionis, ut dictam quantitatem retineant sive ab eis exigant, et si dare noluerint ad nos referant.

Item statuimus quod ecclesie civitatis et diocesis plac. ordinem nostre matricis ecclesie in divinis officiis observent secundum facultates earum et personarum possibilitatem commorancium in eisdem, nisi sit Monasterium val canonica regularis.

Item statuimus quod omnes Clerici civitatis et diocesis plac. tonsuram cum corona habeant competentem iuxta suum ordinem, et statum, et iuxta formam et debitum ordinis clericalis, et vestibus utantur compositis et honestis absque deformi varietate, et calciamentis, atque manicis non consuticiis, alioquin eos ex nunc suspendimus a percepcione beneficii donec resipuerint et coronam habuerint cum tonsura. Iniungimus nichilominus sub pena excommunicacionis prelatis talium, quod partem ipsorum in utilitatem fratrum et ecclesie convertant.

Item statuimus ne Clerici aut ecclesiastice persone aleis, seu ludis taxillorum ludant vel ludentibus adsistant, vel ludentibus ad açarum mutuent: quod si quis contra fecerit condempnetur qualibet vice in tribus libris et decem sol. imper. solvendis in pecunia numerata.

Item statuimus sub pena excommunicacionis quod clerici et ecclesiastice persone civitatis et diocesis placent. non intrent domos suspectas, neque tabernas, nisi necessitate cogente.

Item statuimus quod nullus Clericus, vel ecclesiastica persona exerceat usuras, vel natas faciat, aut socidas ad capud saluum: et qui contra hoc fecerit, sit suspensus ab officio et beneficio quousque resipuerit, et satisfecerit.

Item statuimus quod archipresbiteri, et aliarum ecclesiarum Prelati curam animarum habentes in civitate, incedant cum capa clausa, vel pellibus honestis, nisi prohibuerit ecclesiarum suarum paupertas.

Item statuimus quod archipresbiteri, et alii clerici civitatis et dioce-

sis plac. curam animarum habentes, a publicacione huius statuti usque ad unum annum ad sacerdocium sint promoti nisi aliquem ipsorum racionabilis et necessaria causa excussaverit. Alioquin noscant se suspensos a percepcione beneficiorum. que habent racione dictorum personatuum, quo usque promoti fuerint ad ordinem supradictum.

Item statuimus quod quilibet sacerdos civitatis plac. in decenti habitu, scilicet in capa clausa, vel cota, ante pectus portet eucharistiam ad infirmum superposito mondo velamine, precedente lumine et tintinabulo, quod pulsetur cum omni reverencia et timore. Et qui contrafecerit infra mensem a publicacione huius statuti, ab officio sit suspensus.

Item statuimus quod clerici concubinarii civitatis et diocesis placent. usque ad octo dies post publicacionem huius statuti folcarias(*sic*) suas habiciant, et eas penitus a cohabitacione sua removeant, nec filios secum teneant. Et qui contrafecerit, sentenciam excommunicacionis incurrat quam, si contempserit, ipso iure beneficio ecclesie sit privatus.

Item statuimus quod Clerici non teneant neque secum habeant in domibus suis, seu in eis, quas tenent ad pensionem, aliquas mulieres, nisi sint tales de quibus humana fragilitas nihil sinistri suspicari permittat: alioquin ex nunc ipsos per sentenciam excommunicamus in scriptis.

Item statuimus quod Clerici in sacris ordinibus constituti de cetero non advocent, nec suum patrochinium prestent in foro seculari. Quod si fecerint, et non cessaverint infra mensem a publicacione huius statuti, noscant se suspensos a percepcione beneficii sui per duos menses; nisi pro Ecclesiis suis et miserabilibus personis suum patrochinium prestiterint.

Item statuimus quod nullus Clericus in eadem civitate, seu plebatu duo beneficia obtineat, nisi sint cappele tenues in redditibus, vel anexe plebi. Et si qui habuerint, infra mensem eligant quod maluerint. Quod si tenere presumpserint, noverint se ex tunc suspensos a percepcione benefici utriusque, donec alterum illorum elegerint; nisi cum eis per sedem apostolicam, vel legatos eiusdem, fuerit dispensatum.

Item statuimus quod omnes prelati ecclesiarum conventualium quolibet anno unum, del duos, de Fratribus suis faciant massarium vel massarios, qui suis prelatis et capitulis teneantur et debeant de proventibus et expensis quolibet mense, et in fine anni reddere ractionem.

Item statuimus sub pena excommunicacionis quod nullus Clericus se immisceat secularibus negociis, nec recipiat consulatum iusticie, vel potestariam, seu tutelam, vel curam, nec aliquod aliud officium, quod a laicis laico conferatur.

Item precipimus sub pena excommunicacionis quod omnes ecclesie civitatis placent. Monasteriis, predicatoribus, minoribus et heremitanis exceptis, sequantur matricem ecclesiam in pulsacione horarum.

Item statuimus quod omnes Clerici civitatis et diocesis Placen. qui habent locum et beneficium in quibus eorum predecessor fuit sacerdos, usque ad unum annum sint ad sacerdotium promoti; alioquin noscant se suspensos a perceptione beneficii.

Item precipimus quod nullus presbiter, seu rector Ecclesiarum Civitatis et diocesis plac. debeat portare infulas sub biretis,

Prohibemus insuper ne clerici trahere audeant clericos ad forum seculare. Qui contra hoc fecerit, ab officio sit suspensus; et nihilominus solvat viginti sol. qualibet vice; et si facti qualitas exegerit alias graviter puniatur.

Item prohibemus ne clerici manifestos usurarios, si in tali crimine decesserint, recipiant ad sepulturas vel oblationem pro eis.

Item prohibemus ne sacerdotes alienos parochianos in Dominicis diebus et aliis solempnibus diebus, contempta sua ecclesia, scienter recipiant ad divina officia, neque falcem mittant in alienam messem.

Item statuimus circa ordinacionem Clericorum ut Archipresbiteri temporibus ordinacionis in propriis personis ordinandos quarta feria representent, nisi manifesto impedimento excusentur, et tunc mittant sacerdotem bonum et discreptum, qui de ordinandorum vita, scientia et moribus testimonium reddere sciat, ne irregularem et non idoneum contingat ad ordinem promoveri.

Item prohibemus ne aliquem sine titulo ad sacros ordines representent quod si quis contrafecerit, compellatur secundum canones sibi in necessariis providere, donec sufficiens beneficium habuerit.

Item precipimus quod nullus presbiter extraneus admittatur ad celebracionem Misse populo celebrande, nisi habeat litteras testimoniales a suo Episcopo, vel alias de eo constiterit manifeste.

Item sub excommunicacionis pena precipimus, quod nullus Clericus compatres sive commatres sibi faciat, ut incauta conversacio mulierum

a clericis removeatur, et qui contra fecerit ab officio sit suspensus.

Item prohibemus ne quis Prelatorum nobis subiectus in subditos suos penam pecuniariam audeat exercere; in quo, si quis trasgressor extiterit, sic exacta cum pudore duplicata restituat.

Item omnes illos vel illas, qui vel que falsum testimonium tulerint, vel procuraverint vel consenserint ut feratur, sive scienter in dicendo falsum, sive scienter occultando veritatem: Item et omnes illos qui falsa instrumenta fecerint vel procuraverint vel consenserint fieri: Item et omnes illos qui domos vel ecclesias, sive queconque alia bona, scienter et iniuriose combuxerint, vel procuraverint vel consenserint comburi: Item omnes illos vel illas, qui vel que aliqua maleficia, sive facturas aut incantaciones procurant vel procurari faciunt, vel consenciunt fieri quibus vir et uxor non possint carnaliter commisceri, vel insimul commorari vel ad invicem se diligere: omnes suprascriptas personas excommunicamus et a gremio sancte Matris ecclesie separamus, et si in hoc peccato decesserint, ecclasiastica careant sepultura. Hoc vero statutum volumus et mandamus ad terrorem malefactorum et correctionem, sepius per eeclesias singulas coram populis publicari, unde hoc scriptum specialiter habeant singuli sacerdotes.

Item statuimus quod omnes prepositi, archipresbiteri, et aliarum ecclesiarum prelati, qui nunc sunt presbiteri, vel fuerint in futurum, diebus Dominicis et solempnibus debeant Missarum solemnia celebrare, nisi evidenti necessitate fuerint excusati; cum hoc ex suo officio facere teneantur.

Item statuimus quod omnes clerici, curam animarum habentes, in suis ecclesiis residenciam continuam facere debeant personaliter, et eam incipiant facere infra mensem a die publicacionis constitucionis istius: alioquin sentenciam excommunicacionis incurrant, quam contra contrarium facientes ex nunc in scriptis duximus proferendam, nisi evidens et manifesta necessitas aliquem vel aliquos excusaret. Et illi vel ille, qui necessitate fuerint excusati, remaneant de nostro mandato, et licencia speciali. Si qui vero necessitate fuerint excusati, et de nostra licencia remanserint speciali, ecclesiis suis per ydoneos Vicarios faciant deservi-ri; alioquin predicta sententia excommunicacionis noverint se ligatos.

Item statuimus quod nullus clericus, seu alia quelibet ecclesiastica persona, cuiusconque ordinis, condicionis, aut status existat, debeat por-

tare aliqua arma per civitatem plac. Et si quis de cetero aliqua arma portaverit, et inventus fuerit de nocte, condempnetur in centum sol. placen., si autem de die inventus fuerit, condempnetur in sexaginta sol. pro qualibet armatura, ita quod personaliter detineatur, donec dictam condempnacionem solverit in pecunia numerata, et perdat omnia arma.

Item statuimus sub pena excommunicacionis, quod omnes prelati, et rectores ecclesiarum civitatis et diocesis placent. ab hodie usque ad unum mensem statuta predicta omnia debeant habere in scriptis et suis conventibus, et ecclesiarum suarum Capellanis ea bis in anno legere teneantur.

Lecte et publicate fuerunt predicte constituciones et statuta in generali sinodo plac. in choro maioris ecclesie plac. sollempniter congregata per Egidium crosum notarium ac officialem prefati d. Episcopi placentini et de ipsius domini Episcopi mandato, presentibus venerabilibus viris dominis Aroldo abbate Monasterii sancti Savini, Armano de nicellis archidiacono plac., Iohanne de suçis preposito ecclesie sancte Brigide, Bonifacio de ardenghis archipresbitero plebis de florenciola, Iacobo costasicha archipresbitero capellanorum placent. et aliis pluribus testibus vocatis. Anno vero ab Incarnatione Domini MCCLXXXXvij. Indicione xi. die Mercurii xviiij mensis februarii. Pontificatus domini Bonifacii pape viii. anno quarto.

(L. T.) Ego Iohannes crosus notarius predictas constituciones et statuta a prefato Egidio croso notario breviata eius vice et mandato ita scripsi.

10052142

STATUTA CLERICORUM PLACENTIAE

AB EPISCOPO BERNARDO CONDITA

CIRCA ANN. 1337.

EX COD. MEMBRANACEO ARCHIV. MUNICIP. PLACENTIAE.

10052142

STATUTA CLERICORUM [1].

1. Nos Bernardus Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Placentinus et Comes ad honorem Dei et Beate Virginis Marie et Venerande Martiris Beate Iustine. Licet hactenus multis et variis occupationibus impediti non potuerimus ad hanc solicitudinem oculos elevare: considerantes demum utilitatem et reformationem Clericorum et Ecclesiarum Civitatis et Diocesis Placentie quasdam constitutiones de consilio fratrum nostrorum duximus promulgandas, ne possint ulli de cetero per ignorantiam excusari, et transgressores penas effugere in eisdem constitutionibus ordinatas: cassantes et irritantes omnes constitutiones et omnia Statuta predecessorum nostrorum, et decernentes ipsas et ipsa nullius fore momenti.

Quod Clerici intersint divinis officiis.

2. In primis statuimus quod omnes Clerici Civitatis et Diocesis Placentie residentes in Ecclesiis suis, et qui beneficium Ecclesiasticum obtinent, intersint et perseverent et decenter horis canonicis, scilicet matutinis, prime, Misse, tertie, sexte, none, vesperis et completorio, nisi

(1) Queste Costituzioni Sinodali del Vescovo Bernardo del Cario concordano in molta parte colle precedenti del Vescovo Alberico Visconti. L' unico apografo che di esse ne resta, sta nel *Liber Dominici*. E così era anche a tempi del Campi perchè allegando le Costituzioni del Vesc. Bernardo dice trovarsi solamente nel prefato Cod. dell' Archivio Municipale.

pro manifesta et racionabili causa seu licentia Prelati sui poterint excusari. In quibus divinum Officium compleant sine strepitu, turpi motu, confabulatione, et risu.

Quod Clerici ministrent Sacerdotibus.

3. Item statuimus quod omnes Clerici Civitatis et Diocesis Placentie in minoribus ordinibus infra Sacerdotium constituti, Sacerdotibus suis ministrent honeste in Choro necessaria circa Altare. Qui vero ea que in hoc capitulo continentur adimplere neglexerint, nihil de proventibus ipsius Ecclesie pro victualibus ipsa die percipiant, sed veniant in comuni. Si vero non veniant in comuni liceat ministro de parte illius qui hoc non impleverit, quotiens contravenerit vel fecerit, retinere tantum quod bene valeat duos denarios. Et hoc in Ecclesiis Conventualibus: in capellis vero denarium unum, qui in utilitatem Fractrum Ecclesie convertantur. Prelatis vero talium iniungimus sub pena excomunicationis ut dictam quantitatem retineant sive ab eis exigant, et si dare noluerint ad nos referant.

Quod Ecclesie servent ordinem matricis Ecclesie.

4. Item statuimus quod Ecclesie civitatis et Diocesis Placentie ordinem nostre matris Ecclesie in divinis officiis observent secundum facultates earum et personarum possibilitatem commorantium in eisdem, nisi sit Monasterium vel Canonica Regularis.

De habitu Clericorum.

5. Item statuimus quod omnes Clerici Civitatis et Diocesis Placentie tonsuram cum corona habeant competente iuxta suum ordinem et statum, secundum formam et debitum ordinis Clericalis, et vestibus utantur compositis et honestis absque deformi varietate, et calzamentis atque manicis non consutitiis. Alioquin eos suspendimus a perceptione beneficii, donec resipiscuerint et coronam cum tonsura habuerint competentem iniungentes nihilominus sub pena excomunicationis Prelatis talium quod partem eorum in utilitatem Ecclesie et fratrum convertant.

Quod Clerici non intrent domos suspectas.

6. Item statuimus sub peua excomunicationis quod Clerici et Ecclesiastice persone civitatis et Diocesis Placentie, non intrent domos suspectas, neque tabernas nisi necessitate cogente.

Quod Clerici non exerceant usuras.

7. Item statuimus quod nullus Clericus vel Ecclesiastica persona exerceat usuras.

De habitu Clericorum.

8. Item statuimus quod Archipresbiteri et alii Ecclesiarum prelati curam habentes, per civitatem incendant cum capa clausa vel pellibus honestis, nisi prohibuerit Ecclesiarum suarum paupertas.

Quod habentes curam sint promoti ad Sacerdotium.

9. Item statuimus quod Archipresbiteri et alii clerici Civitatis et diocesis Placentie curam animarum habentes, a publicatione Statuti usque ad uuum annum ad Sacerdotium sint promoti, nisi aliquem ipsorum rationabilis et necessaria causa excusaverit. Alioquin noscant se suspensos a perceptione fructuum beneficiorum que habent ratione dictorum personatuum quousque promoti fuerint ad ordinem supradictum.

De habitu deferentis Eucaristiam.

10. Item statuimus quod quilibet Sacerdos civitatis et Diocesis in decenti habitu et in capa clausa vel cota portet Eucaristiam ad infirmum, semper posito mundo velamine, precedente lumine et tintinnabulo, quod pulsetur cum omni reverentia et timore. Qui vero contrafecerit puniatur in soldis XL. (1).

---

(1) Lo Statuto di Alberico Visconti in luogo della pena pecuniaria ha la sospensione dall' officio: *Sit ab officio suspensus.*

Quod Clerici abiiciant focarias et filios.

11. Item statuimus quod Clerici concubinarii Civitatis et Diocesis Placentie usque ad octo dies post publicationem huius Statuti focarias suas abiciant, et eas penitus a cohabitatione sua removeant, nec filios secum teneant. Et qui contrafecerit cadat in pena xxv. librarum, quam penam nisi solverit infra mensem, incurrat ipso facto in sententiam excomunicationis. Quandoquidem si per mensem substinuerit animo indurato, ipso facto beneficio sit privatus.

Quod Clerici non teneant mulieres in domo.

12. Item statuimus quod Clerici non habeant, nec teneant in domibus suis sive in eis quas tenent ad pensionem aliquas mulieres, nisi tales sint de quibus humana fragilitas nihil sinistri suspicari permittat. Et qui contrafecerit cadat in penam decem librarum.

Quod Clerici non prestent patrocinium in Foro Seculari.

13. Item statuimus quod Clerici in Sacris Ordinibus constituti de cetero non advocent, nec suum patrocinium prestent in Foro seculari. Quod si fecerint, et non cessaverint infra mensem a publicatione huius Statuti, noscant se suspensos a perceptione beneficii per duos menses, nisi pro Ecclesiis suis vel necessariis et miserabilibus personis suum patrocinium prestiterint.

Quod Clericus non teneat duo beneficia.

14. Item statuimus quod nullus Clericus in eadem civitate seu plebatu duo beneficia obtineat, nisi sint capelle tenues in redditibus vel annexe plebi: et si qui habuerint infra mensem eligant quod maluerint. Quod si tenere presumpserint, noverint se ex tunc suspensos a perceptione beneficii utriusque, donec alterum illorum ellegerint, nisi cum eisdem per Sedem Apostolicam vel Legatos eiusdem vel per nos fuerit dispensatum.

Quod Prelati faciant massarium.

15. Item statuimus quod omnes Prelati Ecclesiarum Conventualium quolibet anno unum vel duos de fratribus suis faciant massarium seu massarios, qui suis prelatis de capitulo teneantur et debeant de proventibus et expensis quolibet mense et in fine anni reddere rationem. Et hoc faciant de consilio capituli sui: nec aliquem seu aliquos faciant qui non faciant residentiam, nec ipse prelatus massarius esse possit nec debeat.

Quod nullus Clericus se immisceat secularibus negotiis.

16. Item statuimus quod nullus Clericus se immisceat secularibus negotiis, nec recipiat consulatum iusticie, potestariam seu tutelam, vel curam, nec aliquod officium quod a layco laycis conferatur. Et qui contrafecerit ex nunc a protectione nostra sit exemptus (1).

Quod Clerici sequantur in pulsatione horarum matricem Ecclesiam.

17. Item sub pena excomunicationis precipimus quod omnes Ecclesie civitatis Placentie, monasteria, predicatoribus et Minoribus Heremitanis et Carmeletis exceptis, matricem Ecclesiam in horarum pulsatione sequantur.

Quod Clerici habentes locum et beneficium sint promoti ad Sacerdotium.

18. Item statuimus quod omnes Clerici Civitatis et Diocesis Placentie qui habent locum et beneficium Sacerdotale, usque ad unum annum sint ad Sacerdotium promoti. Alioquin noscant se a perceptione beneficii suspensos.

Quod Clericus non audeat portare infulam.

19. Item statuimus quod nullus Clericus Civitatis et Diocesis Placentie

---

(1) Lo Statuto del Vescovo Visconti non si contenta di negar protezione ai mancatori, ma aggiunge la scomunica: *Item statuimus sub pena excomunicationis etc.*

portare debeat infulam, sub pena viginti soldorum pro qualibet vice qua inventus fuerit eam portare.

Quod Presbiteri non recipiant ad sepolturam usurarios sine licentia Episcopi.

20. Item prohibemus ne presbiteri usurarios manifestos, si in tali crimine decesserint, ad sepolturam recipiant.

Quod Sacerdos non recipiat ad penitentiam usurarios sine licentia Episcopi.

21. Item prohibemus ne Presbiteri usurarios manifestos in egritudine constitutos, recipiant ad penitentiam, nec absolvant eos absque nostra seu Vicarii nostri licentia speciali. Et qui contrafecerit condempnetur in decem libris placentie.

Quod Sacerdos non recipiat ad Divina Officia non parochianum.

22. Item prohibemus ne Sacerdotes alienos parochianos in diebus Dominicis et aliis solemnibus contenta sua Ecclesia scienter recipiant ad divina officia, neque falcem in messem mittant alienam. Et hoc sub pena nostro arbitrio inferenda.

De presentandis Ordinandis.

23. Item statuimus circa ordinationem Clericorum ut Archipresbiteri, et aliarum Ecclesiarum ministri, temporibus ordinationum in propriis personis ordinandos quarta feria representent, nisi manifesto impedimento excusentur: et tunc mittant Sacerdotem bonum et idoneum qui de ordinandorum iuribus et moribus et etate testimonium reddat: vel hoc faciant Prelati cum litteris suis sigillis sigillatis, ne irregularem et non idoneum contingat ad ordinem promoveri.

De presentatione ad Sacros Ordines fienda.

24. Item prohibemus ne aliquis sine sufficienti titulo ad Sacros Ordines representetur. Et si quis contrafecerit compellatur secundum Canones in necessaria provideri, donec sufficiens beneficium habuerit.

De Presbitero extraneo non admittendo ad Missam.

25. Item precipimus quod nullus Presbiter extraneus admittatur ad celebrationem Misse populo celebrande, nisi habeat litteras testimoniales a suo Episcopo, etiam a nobis.

Quod Clerici non faciant comatres.

26. Item sub pena excomunicationis precipimus quod nullus Clericus comatres sibi faciat, ut incauta conversatio mulierum a Clericis amoveatur. Et hoc sub pena nostro arbitrio inferenda.

De falsariis et maleficiis.

27. Item omnes illos et illas qui vel que falsum testimonium tulerint vel procuraverint vel consenserint ut feratur, sive scienter in dicendo falsum, sive scienter occultando veritatem. Item illos qui falsa fecerint instrumenta, inserta, vel fieri fecerint vel procuraverint vel consenserint fieri. Item omnes illos qui domos vel Ecclesias sive quecunque alia bona Ecclesiastica scienter et iniuriose combusserint vel procuraverint vel consenserint comburi. Item omnes illos vel illas qui vel que aliqua maleficia sive facturas aut incantationes procurent, vel procurari faciunt vel consenserint fieri: omnes suprascriptas personas excomunicamus, et a gremio Sancte Matris Ecclesie separamus. Et si in hoc peccato decesserint, Ecclesiastica careant sepoltura. Hoc vero Statutum volumus et mandamus ad terrorem et correptionem malefactorum sepius per Ecclesias singulas coram populo publicari. Unde hoc scriptum habeant singuli Sacerdotes.

De Missis celebrandis per Prelatos.

28. Item statuimus quod Prepositi, Archipresbiteri, et aliarum Ecclesiarum Prelati qui nunc sunt Presbiteri vel fuerint in futurum diebus Dominicis et solempnitatibus debeant Missarum Solempnia celebrare, nisi evidenti necessitate fuerint excusati, cum et hoc ex officio suo facere teneantur. Et hoc sub pena suspensionis beneficii, et ulterius ad nostre arbitrium voluntatis.

De residentia fienda per Curatos.

29. Item statuimus quod Clerici curam animarum habentes in suis Ecclesiis residentiam continuam facere debeant personalem, et eam incipiant facere infra mensem a die publicationis huius constitutionis. Alioquin sententiam excomunicationis incurrant, nisi evidens vel manifesta necessitas aliquem vel aliquos excusaret. Et tunc predicti remaneant de nostra speciali licentia. Et tunc illi qui taliter remanserint Ecclesiis suis per idoneos Vicarios faciant deserviri. Alioquin in excomunicationis sententiam cadant ipso iure.

De Clericis portantibus arma.

30. Item statuimus quod nullus Clericus seu Ecclesiastica persona cuiuscumque conditionis et status existat, debeat portare aliqua arma per civitatem Placentie. Et si quis de cetero aliqua arma portaverit, et inventus fuerit de nocte, condempnetur in centum soldis Placentie. Si autem de die inventus fuerit, condempnetur in sexaginta soldis Placentie pro qualibet armatura, et perdat arma.

Quod Clericus non se obliget coram aliquo Iudice.

31. Item statuimus quod nullus Clericus civitatis et Diocesis Placentie cuiuscunque conditionis existat obliget se sub aliquo Iudice seculari, Consulibus merchandie, vel aliquo alio rectore seu Potestate, terminos accipiendo, vel fideiussiones faciendo, seu aliquo alio modo se obligando. Et si contrafecerit per nos non defendatur, ut ubi delinquerit ibi puniatur.

Et nihilominus in tribus libris Plac. vice qualibet puniatur et condempnetur.

Quod nullus Clericus vadat ad mercata.

32. Item statuimus quod nullus Clericus civitatis et Diocesis Plac. vadat ad mercata causa emendi porcos vel alia victualia, vel eos vel ea ducat extra districtum Placentie. Et qui contrafecerit in decem soldis Plac. qualibet vice condempnetur.

Quod Clericus debeat portare tonsuram.

33. Item statuimus quod quilibet Clericus civitatis et Diocesis Placentie debeat defferre et portare tonsuram et vestes competentes. Et si contrafecerit, et inventus fuerit iu aliquo delicto, condemnetur in XL. soldis. Et nihilominus de delicto ipso puniatur secundum qualitatem et quantitatem ipsius excessus.

Quod nullus Clericus seu Prelatus conferat tonsuram alicui.

34. Item statuimus quod nullus Abbas seu Archipresbiter sive Prelatus nostre Diocesis subditus, alicui Ecclesiasticam conferat tonsuram, nisi monasteriorum suorum conversis. Et qui contrafecerit, sit a beneficio suspensus, et taliter titulatus seu tonsuratus pro Clerico non habeatur, nec per nos a laycali potestate defendatur.

Quod nullus admittatur post matutinum in Ecclesia vel cimiterio.

35. Item statuimus quod nullus Prelatus seu Presbiter civitatis vel diocesis Placentie debeat dimittere aliquem hominem vel aliquam mulierem in vigiliis Solempnitatum Ecclesiarum suarum post matutinum in ipsa Ecclesia ubi fuerit dicta Solempnitas: nec ulli homines seu mulieres ipsis rectoribus Ecclesiarum permittentibus stare debeant in ipsa Ecclesia nec in cimiteriis seu plateis Ecclesiarum. Et expleto matutino predicto ipsi rectores debeant hostia Ecclesie claudere, et ipsa clausa tenere usque ad diem claram. Et hoc sub pena excomunicationis

ipsis Ecclesiarum rectoribus, et omnibus laicis in dicta Ecclesia remanentibus, et ulterius puniendi rectores predictos ad nostre arbitrium voluntatis.

Quod nil geratur in Ecclesia.

36. Item cum Ecclesia sicut in Evangelio dicitur sit domus orationis, statuimus ne in Ecclesia aliqua civitatis et diocesis Placentie aliquid geratur vel condatur quam quod Divinis conveniat ministeriis. Et hoc sub excomunicationis pena.

Quod Iudex secularis non trahat coram se Clericum.

37. Item quia nonnulli seculares Potestatis gerentes officium. libertates et immunitatem Ecclesiasticam ledere ac diminuere molientes, tanquam invidi honoris et privilegii Ecclesiastici, coram se personas litigare compellunt contra Canonicas sanctiones, statuimus quod venientes Clerici coram eis, quos fore Clericos habitus et tonsura clericalis demonstrat, et allegato privilegio coram eis, si iuditiarii vel seculares iudices compulsioni nihilominus insisterint, et moniti per nos vel vicarium nostrum non desistant ipso facto, sententiam excomunicationis incurrant, a qua nullatenus absolvantur nisi ab huiusmodi compulsione desisterint. Et de damno, expensis, et interesse que et quas ab hoc sustinuerint per ipsos iudiciarios seu iudices seculares fuerit satisfactum, eorum senten tiis et processibus habitis in huiusmodi questionibus et prolatis nil omnino roboris habituris.

Quod nulla persona Ecclesiastica alienet aliquid.

38. Item presenti constitutione statuimus, quod nulla persona Ecclesiastica nostre civitatis et Diocesis possessiones vel res immobiles ac iura Monasteriorum, Ecclesiarum, et Hospitalium, et aliorum locorum venerabilium, seu thesaurarii libros vel paramenta quocunque titulo distrahat, seu pignori obliget. Quod si contrafactum fuerit, huiusmodi distrationes seu obligationes nulle sint ipso iure, nec per eos emptoribus vel creditoribus ullum ius acquiratur. Et contrafacientes nihilominus cadant in penam nostro arbitrio auferendam.

Quod nulla persona retineat aliquid Ecclesie.

39. Item statuimus quod quicunque habet vel detinet modo illicito Cruces, Calices, paramenta, libros seu alia quecunque bona Divino cultui deputata, Ecclesie vel illi cuius sunt infra duos menses a tempore publicationis huiusmodi restituere debeat et consignare. Et si ignorat cuius Ecclesie sint vel fuerint, aut illam personam cuius fuerint, nobis vel capitulo nostro si Ecclesia vacaret consignet.

De inventario conficiendo per Presbiterum

40. Item statuimus quod omnes Rectores civitatis et diocesis Placentie a tempore institutionis et possessionis adeptus pacifice, infra mensem teneatur et debeat facere inventarium coram duobus vel tribus de parochia de bonis mobilibus ipsius Ecclesie, et ipsum infra unum mensem tradere uni de notariis nostris, qui illud in actis nostre curie infra decem dies redigere teneatur. De immobilibus autem faciant cum cicius comode poterint.

Quod Clerici non ludant aut assistant.

41. Item statuimus ne Clerici aut Ecclesiastice persone aleis seu ludis taxillorum ludant, vel ludentibus assistant, vel ludentibus ad azarum mutuent. Qui vero ludere inventus fuerit, in tribus libris Imperialium pro qualibet vice condempnetur. Qui vero ludentibus assistere seu mutuare inventus fuerit in viginti soldos Placentie vice qualibet condempnetur.

De Monialibus.

42. Quamquam in personis Ecclesiasticis Divino cultui mancipatis expediat mores et actus corrigi et in melius reformari, ut Deo gratum famulatum reddere valeant, et a secularibus notam infamie non incurrant, tanto in monialibus dedicatis convenit observari, quanto periculosius et detestabilius si delinquatur offenditur Iesus Christus, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt. Nos itaque statui Monialium nostre civitatis et Diocesis succurrere salubriter cupientes, presenti con-

stitutione de Fratrum nostrorum Canonicorum Ecclesie Plac. consilio statuimus et ordinavimus universas et singulas moniales, et Deo dedicatas cuiuscunque religionis et ordinis sub perpetua in suis monasteriis debere de cetero permanere clausura. Ita quod nulli earum Religionem tacite vel expresse professe sit vel esse valeat quacunque ratione vel causa, nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo vel scandalo commorari, ipsa deinceps egrediendi facultas. Nullique aliquatenus inhoneste persone, nec etiam honeste nisi rationabilis et manifesta existat, ac de nostra seu de vicarii nostri speciali licentia ingressus vel accessus pateat ad easdem, ut sic a publicis et mundanis conspectibus separate, servire Deo liberius omnino valeant, et lassiuiendi opportunitate sublata eisdem corda sua et corpora in omni sanctimonia custodire. Si qua autem Monaca vel Deo dedicata seu persona alia nostre iurisdictionis contra hanc constitutionem venire presumpserit, sententiam excomunicationis ipso iure incurrat, cui absolutionem nobis seu vicario nostro specialiter reservamus.

Quod Presbiteri non dicant nisi unam missam in die.

43. Quum iusta canonicas sanctiones felix plurimum dici possit qui Missam unam meretur die quolibet celebrare, propter ipsius maximum Sacramentum, presenti constitutione in perpetuum valitura iubemus ne quis in Sacerdotio constitutus cuiuscunque status et conditionis existat, nostre iurisdictioni subiectus, de cetero audeat vel presumat in die ultra Missam unicam celebrare, et precipue pro pecuniis et adulationibus secularium personarum. Exceptis casibus in quibus iura plures in die missas permittunt celebrari, videlicet in Solempnitate Sancte Nativitatis Domini, et quandocunque causa necessitatis vel utilitatis honeste duas Missas in die suaserit celebrari. Si quis autem contra hanc nostram constitutionem aliter celebrare presumpserit, in libris quatuor imperialium condempnetur.

De usurariis.

44. Usurarum voraginem utriusque Testamenti pagina reprobatam in nostra civitate et Diocesi reprimere cupientes, denuntiamus seu de-

claramus, hac Sacra Synodo approbante, omnes usurarios manifestos donec de usuris prout patiuntur facultates eorum plenarie satisfecerint, vel de satisfacendo pro suarum viribus facultatum ydoneam prestiterint cauptionem, fore Comunione altaris et Ecclesiastica sepultura privatos, eorum oblationes recipi non debere nec ipsos absolvi posse, testamenta quoque ipsorum non valere, sed esse irrita ipso iure. Omnes qui etiam huiusmodi usurariis, Communionem altaris ac Corpus Christi tradiderint, aut eos ad Ecclesiasticam admiserint sepulturam donec ad arbitrium nostrum seu vicarii nostri licentiam habuerint, ab officii sui executione decernimus seu declaramus esse suspensos, adiicentes ut pene huiusmodi subiaceant omnes qui tales usurarios absolverint, aut ad communionem altaris admisserint, sive testamentis aut sepulture interfuerint eorundem. Ceterum in recipienda ab usurariis penitentibus de usuris restituendis cautione predicta, hanc haberi volumus et observari cautelam: ut ante omnia per confessionem usurarii, vel librum seu libros rationum, aut per testes sive instrumenta, vel aliquo alio modo fiat certa et manifesta si poterit receptarum quantitas usurarum, non earum tantum que ab incertis, verum etiam que a certis sunt universitatibus et personis extorte. Si vero id non sit possibile, arbitretur et moderetur quantitas huius hiis qui ex vigore presentis constitutionis recepturi fuerint cauptionem secundum rectam conscientiam, ex fama seu vicinorum testimoniis, aut ex coniecturis aliis similibus informandam. Ubi vero per postas libri usurarii non apparuerit pro petente usuras sibi restitui de usuris solutis, si petens habuerit instrumenta originalia vel extracta de ipsis originalibus, et instrumentum solutionis seu liberationis vel confessionis solutio usurarum, presumatur et iudicetur ex ipso mutuo vel obligatione usque ad diem confecti instrumenti solutionis ab illo extorsisse usuras tot denarios pro libra mensibus singulis, quot declarare voluerimus si ipse uxurarius in dicta cauptione non declaraverit et dixerit quot denarios pro libra mensibus singulis. Quando autem solutionis instrumentum aut scriptura non apparuerit, tunc iudicet usuras per sex menses usurarium extorsisse ab illo ex illo mutuo seu obligatione secundum rationem et taxationem predictam pro mense quolibet, dummodo appareat per postas libri vel alio modo legiptimo mutuum vel obligationem fuisse contractam: quo facto promittat solemniter et iuret usurarius ei qui ut premittitur hanc receperit cauptionem curie nostre et omnium quibus

intererit nomine, quod ipse si potuerit per se ipsum; vel per alium seu per alios et in presentia Vicarii nostri vel notarii nostri, vel alterius de curia nostra sine dificultate quibuslibet de usuris a se receptis, et a patre suo ceterisque personis quorum hereditas ad ipsum pervenerit, et de aliis male ablatis et illicite aquisitis per usurariam pravitatem usque in quantitatem extimatam et etiam maiorem si de maiori constiterit, satisfaciat eis a quibus eas ipse vel illi receperunt, aut eorum heredibus si potuerunt reperiri. Et residuum de quo illi cui restitui debeat non constabit, nobis vel vicario nostro libere assignabit pauperibus arogandum iuxta nostrum arbitrium, sine strepitu iuditii et figura, et quod nihil dicet vel allegabit vel faciet per se sive per alium propter quod ipsius curie processus, sententie vel precepta impediantur, aut quomodolibet retardentur expense ipsarum usurarum, et illicite acquisitorum, modo predicto restitutionis speciali pacto se et suos heredes et bona obligans ad predicta. Et renuntians expresse specialiter et generaliter omnibus iuribus et defensionibus secundum libitum et expressionem recipientis huiusmodi cauptionem. Et pro his attendendis, et restitutione et assignatione ut premittitur facienda, obliget omnia bona sua, illa se constituens precario nomine nostre curie possidere, omnimodam licentiam concedens et liberam potestatem nostre curie, et recipiendi cauptionem predictam pro ea apprehendendi distrahendi et alienandi de ipsius bonis libere et impune auctoritate propria et contraditione non obstante cuiuscunque, quidquid quantum et ubi voluerimus usque ad integram restitutionem et satisfactionem predictorum, et eorum occasione renuntiet etiam usuris et sibi promissas remittat ac iuramenta sibi pro eis solvendis vel non recipiendis seu repetendis, prestita relaxet, reddat, aut saltem reddere promittat et iuret quod libros et quaternos rationum suarum, instrumenta usuraria que habebit vel habere poterit absque dolo vel fraude, diminutione seu subtractione nobis vel vicario nostro, seu certo nuntio dabit vel consignabit per se vel alios pro eodem assignet, et pecuniam quam habet vel faciat depositum si potuerit ad arbitrium nostrum seu vicarii, quod quidam in cautione ipsa venire censemus, denuntiet etiam heredes suos futuros sub pena hereditatis amittende et eadem faciendi. Et ipsi heredes si presentes fuerint eadem se facturos sub pena et sub obligatione promittant et iurent. Detur preterea si poterit pignora vel saltem fideiussores idoneos qui ad predicta eodem

modo sub eisdem tenoribus et penis obligent principaliter se et bona sua: constituentes se principales debitores in predictis, et renunciantes Epistole Divi Adriani, beneficio novarum constitutionum et fideiussionum, et omni alie deffensioni et iuri ad arbitrium recipientis cauptionem eandem ex pacto speciali prestantes simile iuramentum. Hec autem fieri precepimus coram parochiali Sacerdote et testibus fide dignis, ac notario publico Curie nostre, de nostro vel Vicarii nostri mandato qui recipiat dictas promissionem et obligationem, renunciationem et cauptionem et cetera predicta, de iis conficiens instrumentum. Denique per cauptionem ipsam per nostram civitatem et Diocesim quando non possemus adesse, vel Vicarius noster adesse non posset, recipiat, Rector Parochialis Ecclesie in qua usurarius habitat cum notario Curie nostre, vel ipse notarius in Sacerdotis defectu, qui infra mensem teneatur hec denuntiare nobis vel Vicario nostro. In civitate vero nullus omnino absque nostra vel Vicarii nostri licentia speciali, nisi forte Parochialis Sacerdos ubi non poterit ad hoc requiri Curia, supervenienti subito mortis casu, de illa recipienda intromittere se presumat. Alioquin penam librarum decem incurrat absque satisfactione debita minime relaxanda: illos namque quo ad predicta declaramus usurarios manifestos, de quibus per parochiam quam inhabitaverint vel ubi morentur, fama fuerit extorsisse usuras, vel ipsorum confessione, aut per ydonea argumenta, seu alio modo legiptime aparebit. Constitutionem quoque presentem omnes Parochialium Ecclesiarum rectores etiam si colegiate fuerint habeant, legant, et intelligantur, usurariorum penas predictas frequentibus in suis Ecclesiis publicantes, et suas cautius trutantes si Divinam et nostram effugere capiunt ultionem.

De occupantibus bona Ecclesie et prestantibus auxilium.

45. Item statuimus quod nulla persona Ecclesiastica, Secularis ac cuiuscunque ordinis status et conditionis aut dignitatis existat, Ecclesias Ecclesiarumque possessiones, iurisdiciones, vassallos, earum feudum sive bona et iura quecunque ad illas spectantia invadere, occupare, usurpare, aut capere seu detinere, vel occupantibus invasoribus detentoribus et usurpatoribus et capientibus auxilium consilium vel favorem publicum vel occultum per se vel alium prestare presumat scienter. Et si quas

Ecclesiarum possessiones, domos, iurisditiones aut vassallos eorum, feudum seu bona et iura quecunque ad illas spectantia invaserit, occupaverit, seu invasit vel detinet occupatas, seu invasas aut capere seu detinere presumpserit Ecclesias et ipsarum iura, possessiones et bona superius nominata infra duos menses a publicatione presentis constitutionis in civitate Placentie seu Diocesi libere et absolute dimittat, reddat, restituat, rellaxet, ut ipsis Ecclesiis per illos ad quos de iure in eisdem electio vel collatio aut presentatio seu provisio pertinet de personis idoneis valeat provideri. Qui vero contra nostre huiusmodi constitutionis tenorem facere vel venire presumpserit, si fuerit Ecclesiastica persona que Ecclesiam talem occupaverit vel detinuerit, non solum Ecclesia taliter occupata vel detenta, verum et omnibus beneficiis Ecclesiasticis que infra nostram Civitatem vel Diocesim obtinet huius presentis constitutionis auctoritate privamus. Si vero eadem persona Ecclesiastica non Ecclesiam sed iura premissa vel aliquid premissorum detinet occupata, infra tempus premissum libere et absolute non dimiserit aut de cetero occupaverit, excomunicationis vinculo sit abstricta, quam si spatio duorum mensium substinere animo indurato presumpserit, omnibus beneficiis que infra nostram civitatem vel Diocesim obtinet sit privata. Laycus autem feudum si quod ab Ecclesia tenet, perdat, et excomunicationis vinculo sit adstrictus, a qua nisi satisfecerit competenter non valeat absolvi nec beneficium obtinere. Quam si per tres menses sub (1) animo indurato presumpserit per iniuriam passam requisitus inter eundem terminum libere et absolute non restituerit. Vel si demum detentorem requirere non audebit post denuntiationem factam per ipsum in loco publico quo ad eum invasorem possit dicta denuntiatio pervenire. Ecclesiarum bona occupata vel invasa qui non restituerit, quamvis in mortis articulo, non sit ei si penituerit absolutio vel communio deneganda: tamen Ecclesiastica careat sepultura, donec Ecclesia occupata vel detenta per eum, aut iura et bona premissa absolute et libere dimittat, ac de fructibus eiusdem ad mandatum nostrum vel vicarii nostri fuerit satisfactum. Omnesque relligiossos et Ecclesiasticos tales scienter ad Ecclesiasticam sepulturam recipientes ab officio et beneficio per annum decernimus fore suspensos.

---

(1) *Sub.* Un Manoscritto delle Costituzioni del Vesc. Marliani del 1477, e che reca identico questo capitolo, in luogo di *sub*, ha *substinere*.

Quod Medicus debeat notificare infirmo de Confessione.

46. Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat, vade et noli amplius peccare ne deterius aliquid tibi contingat, presenti edito sub excomunicationis pena mandamus omnibus medicis civitatis et Diocesis Placentie, quod cum ipsos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia admoneant ut medicos advocent animarum, de quibus de peccatis per eos commissis confiteantur, ut postquam fuerit ipsi infirmo de spirituali remedio provissum, ad corporeum medicine remedium salubrius procedatur. Iniungentes eisdem medicis corporis, ne quid infirmo suadeant quod in periculum anime convertatur. Volumus autem et precipimus omnibus et singulis Rectoribus Ecclesiarum civitatis et Diocesis PIacentie, ut predictam nostram constitutionem et preceptum singulis annis et bis in anno videlicet in Festo Nativitatis Domini et Resurrectionis in Missarum solempniis cum maior populi adstiterit multitudo, publicent et in vulgari declarent. Et hoc sub pena quadraginta soldorum.

De casibus reservatis Episcopo.

47. Cnm a iure sit permissum Episcopis casus sibi certos posse reservare, a quibus nequeat inferior sine eorum licentia absolvere. Nos casus quos nobis et penitentiariis nostris per hanc nostram constitutionem reservamus, ut omnibus pateat duximus declarandos, videlicet. Cum quis petit absolvi ab excomunicatione maiori lata vel inducta ab homine vel a iure. Item incendio et crimine publico sicut in blasfemando Deum et Sanctos. Item in voto qualitercunque omisso. Et in iis qui opresserunt filios ex proposito vel ex casu. Et quibuslibet homicidiis, sacrilegiis, falsariis, violatoribus Ecclesiarum et Ecclesiastice libertatis, sortilegiis. Et cum hiis qui cum brutis libidine polluuntur. Item incestuosis. Item cum corruptoribus Monialium et sororum Deo dedicatarum. Item in occupatione, usurpatione, et detentione rei aliene, ubi sciri non poterit quibus de illis male ablatis sit restitutio fienda. Item cum periuriis et clandestine contrahentibus matrimonium, de quo possit dubitatio suboriri. Inhibentes ne quis aliquos de aliquo casu predictorum quos nobis reservamus presumat absolvere, sed illos nobis seu Penitentiario nostro

remittat. Si quis vero contrarium fecerit, et eius absolutionem velit animo suo iudice factam, nullam esse decernimus, et taliter absolventes si est Presbiter secularis per mensem suspendimus a Divinis, si vero Religiosus existat penam quam constitutio Clementina et in Consilio Viennensi edicta inclusos in carcere eos declaramus. Ut autem hec constitutio universis plenius inculcetur precepimus quod omnes Prelati et Rectores Ecclesiarum Placentie eam sibi conscribi faciant infra mensem: Diocesis vero infra spatium trium mensium. Si quis autem inventus fuerit eam non habere in sexaginta solid. condempnetur.

Quod habens Beneficium teneatur celebrare.

48. Item statuimus quod quilibet habens Beneficium aliquod cum cura sive per titulum sive in comenda vel aliter, teneatur omni die celebrare seu celebrari facere in Ecclesia in qua obtinuit tale beneficium, si talis Ecclesia habet parochianos seu vicinos, et si careat vicinis seu parochianis teneatur omni die solempni et bis in qualibet ebdomada ad minus celebrare seu celebrari facere in illa Ecclesia ubi tale obtinet beneficium ad honorem Dei pro remedio illorum qui talem beneficium constituerunt sub pena privationis ipsorum beneficiorum.

Quod habens beneficium teneatur expendere in Ecclesia medietatem.

49. Item statuimus quod quilibet habens beneficium in acomanda vel aliter sine titulo teneatur expendere seu convertere in utilitatem ipsius beneficii medietatem fructuum quos exigerit ex dicto tali beneficio in refectione illius Ecclesie ubi tale beneficium obtinet seu libris, calicibus, paramentis vel aliis necessariis ipsi beneficio seu Ecclesie, deductis expensis quas fecerit in faciendo deserviri ipsi tali beneficio sub pena predicta.

Quod Abbatissa non permittat aliquem in monasterio de nocte.

50. Item statuimus quod nulla Abbatissa vel Monialis alicuius monasterii civitatis Placentie nostre iurisditioni subdite a pulsatione Ave Marie

de sero usque ad pulsationem alterius Ave Marie de mane inclusive permittat aliquem vel aliquos homines seu personas intrare, pernotare, stare, vel vigilias facere in eorum monasteriis sine licentia nostri sub pena excomunicationis et trium librarum denariorum placentie.

Quod sciens aliquem contravenire suprascriptis debeat notificare.

51. Item statuimus quod quelibet persona utriusque sexus sciens aliquem vel aliquos non paruisse seu contrafecisse suprascriptis constitutionibus vel alicui ipsarum, teneatur et debeat a noticia habita per notarium infra decem dies proxime subsequentes nobis seu vicario nostro notificare sub pena excomunicationis et soldorum quadraginta denariorum placentie applicanda camere Domini Domini nostri si fuerit secularis persona. Et si fuerit persona Ecclesiastica applicandorum camere nostre.

EXPLICIUNT STATUTA CLERICORUM.

10052142

10052142

STATUTA ANTIQUA

COLLEGII DD. ARTIUM ET MEDICINAE DOCT. PLAC.

EX COD. MEMBRANACEO BIBLIOTH. MUNICIP. PLACENTIAE.

10052142

10052142

STATUTA

COLLEGII MAGNIF. DD. MEDICORUM PLACENTIAE (1)

Cum ob diuturnam multorum preteritae aetatis Medicorum incuriam et negligentiam, leges et instituta Dominorum Artium et Medicinae Doctorum paruifacta jamdiu et despecta jacuissent, ac penitus fere abolita fuissent: nam illa etiam mendis vitiisque prorsus non carebant, ex quibus postea Collegii eorundem Medicorum autoritas et amplitudo in dies magis conuellebatur et imminuebatur, aegrotantibus vero hujus almae urbis Placentiae hand spernendum nec leve detrimentum sequebatur. Haec enim jam supina conniventia ansam praebuit ut multi imperiti Sycophantae et impostores nulla cohibiti lege passim hac Divina arte abuterentur, et solo Medici nomine arrepto in nostram civitatem conuolarent, confluerentque cum maxima profecto quamplurimorum civium tum pecuniae tum vitae jactura. Quamobrem D. Prior una cum omnibus Medicis physicis nunc de Collegio, publicae utilitati ac ipsorumet privatae dignitati consulere cupientes, praedicta sua Statuta ubi obscura erant, ne ex hoc errandi occasio in posterum daretur, declarare, quaeve man-

(1) Statuti Medici Piacentini più antichi di questi del 1568 non fu possibile rinvenire. E puossi presumere che più non esistano, perchè in una stampa che si fece in Piacenza di essi Statuti Medici nel 1673 havvi un capitolo, ed è il 40°, avente per titolo *De Archivio Collegii,* il quale comincia colle seguenti parole = *Cum temporum injuria, dispersa fuerint omnia Collegia acta in maximum damnum et prejudicium universitatis praedictae,* ecc. I presenti sono tratti da un Cod. della Biblioteca Municipale Piacentina.

cha et imperfecta, vel depravata et inconcinna essent colligere, ordinare, supplere, ac pro temporis ratione immutare decreverunt. Quippe juxta proverbium, quae nova emergunt, novo indigent consilio. Convocatis igitur omnibus Artium et Medicinae Doctoribus nempe Domino. Io. Paulo de Modoetia anni presentis 1358 dignissimo Priore, D. Francesco Villa, D. Alberto Gazio, D. Io. Baptista Ardizono, D. Antonello Fasolo, D. Riciardo Villa, D. Leonida Mentuato, D. Tiberio Urso, D. Josepho Ceredo, D. Lelio Rebufo, D. Carolo Petra alba, D. Petro Carreno, D. Petro Philippo Malchiodo, et D. Io. Baptista Cerro, cunctis in unam et eandem sententiam conspirantibus, haec infra dicenda inviolabiliter servari constituerunt et sanxerunt, non obstantibus quibuscunque Decretis, ordinibus, statutis, et consuetudinibus in contrarium facientibus.

De electione Prioris et ejus officio.

1. Primo statuerunt et ordinaverunt quod omni et singulo anno ante Festum Sanctae Catherinae per diem unum ad minus, Prior Collegii Artistarum et Medicorum civitatis Placentiae congregari faciat totum Collegium in Ecclesia majori vel Sancti Donini Placentiae, et ipsi Collegio proponere quod instat tempus electonis novi Prioris. Postea eligatur Prior hoc ordine. Quod incipiat electio primum ab antiquiore, scilicet prius collegiato aut Medicinae solum aut artium et Medicinae Doctore. Deinde anno sequenti deveniatur ad sequentem antiquiorem Doctorem prius tamen Collegiatum, et sic usque ad juniorem procedendo. Postea iterum incipiat electio ab antiquiore. Die vero B. Catherinae Virginis et Martyris, scilicet vigesima quinta Novembris, congregatis Doctoribus in Ecclesia majori aut alibi pro oblatione fienda ad reverentiam Dei et B. Catherinae, detur possessio Prioratus et sacramentum Priori novo de servandis pro posse statutis tam factis quam fiendis pro honore et utilitate Collegii etc. Die vero sequenti, videlicet vigesima sexta Novembris, teneatur Prior novus congregari facere Collegium in Ecclesia S. Donini Placentiae, et ibi praestare sacramentum omnibus collegiatis de statutis servandis, et quod sibi Priori ac successoribus suis pro tempore obediet quilibet eorum in licitis et honestis. Nullus tamen in Priorem eligi debeat nec possit, nisi sit Doctor de Collegio aut Medicinae tantum, aut Artium et Medicinae, sive sit numerarius sive supranumerarius, ita tamen

quod nullus possit esse Prior nisi sit Doctor Medicinae et Civis Placentinus originarius. Si vero casus accideret quod aliquis de Collegio esset absens a Civitate Placentiae ad quem perveniret electio Prioratus, si praesens esset, et sit longam moram facturus extra Placentiam, ita quod non esset conveniens propter longam absentiam ipsum eligere in Priorem, eligatur de praesentibus doctoribus ille ad quem electio successive perveniret, ac si ille de Collegio non foret amplius reversurus; et si postea in tempore prioratus illius alterius veniret ille absens ad morandum in Civitate Placentiae completo anno Prioris tunc existentis, eligatur ille qui fuerat absens, et venit ad morandum. Postea perfecto ejus anno fiat electio illius ad quem spectasset si absens non venisset; quod si contingat vel brevi absentia, vel quovis alio impedimento Priorem Collegii negotiis non posse interesse, tunc senior Collegiatus praesentium Doctorum in omnibus Viceprioris fungatur. Prioris autem officium sit omnes Collegiatos congregare ad Collegium, condemnandos condemnare, in factis Collegii discordes concordare pro posse, vota et sententias omnium ordinate colligere, jus unicuique reddere, et omnibus atque singulis precipere in omnibus licitis et honestis pro Collegii honore et utilitate servandis.

De electione Thesaurarii et ejus officio.

2. Item statuerunt et ordinaverunt quod eligatur post electionem novi Prioris unus de Doctoribus de Collegio, incipiendo a juniore usque ad seniorem procedendo in Thesaurarium sive depositarium, penes quem reponatur tota pecunia pertinens Collegio si qua fuerit, ita tamen quod pecuniae examinum, conventuum, et introitus in Collegium per eundem distribui et dispensari debeant inter doctores, ut infra dicetur. Reliquae vero pecuniae quae aliis occasionibus colliguntur non possint expendi vel dividi absque licentia duarum partium de tribus Collegii. Item teneatur habere librum, et in eo scribere rationes pecuniarum Collegii quae ad suas manus pervenerint. Quod officium duret per annum tantum. Et si casu contingeret quod in fine officii reperiretur junior doctor de Collegio, qui scilicet ingressus fuisset Collegium post ipsum, eligatur ille junior in Thesaurarium, finito praecedentis Officio. Si vero accideret cadere in eandem personam ambo officia, scilicet Prioratus et Thesau-

rarii, eligatur in Thesaurarium Prior antiquus, et postea transacto anno eligatur in Thesaurarium ille qui fuisset electus nisi Prioratus officium impedisset, et ulterius procedendo in electione depositarii ordine retrogrado ordini electionis Prioris.

De sindicatu Prioris et Thesaurarii.

3. Item statuerunt et ordinaverunt quod novus Prior post electionem ipsius et Thesaurarii infra dies octo teneatur congregare Collegium et proponere si aliquis voluerit obiicere aliquid contra Priorem et Thesaurarium antiquos aut contra aliquem eorum. Quia aut facta fuerit per aliquem eorum iniuria alicui de Collegio, aut quia non sint servata Statuta, aut quia sit fraus in pecuniis Collegii, aut quomodocumque in his que pertinent ad Collegium. Quod si aliquod erratum deprehenderit ac diligenter intellexerit Prior novus aut contra Priorem aut Thesaurarium antiquos, teneatur infra quindecim dies eos absolvere, aut condemnare. Poena autem erit secundum rei et iuris exigentiam.

De electione Bidelli et Notarii et ejus officio.

4. Item statuerunt et ordinaverunt quod eligatur unus Bidellus et unus Notarius vel confirmentur electi alias, cuius Bidelli officium sit ire personaliter ad domum Prioris, et ei obedire in licitis et honestis, et pariter ire ad domos omnium Doctorum de Collegio vel aliter eos convenire, ac eis et cuilibet eorum notificare examina, congregationes, funeralia, et universaliter actus omnes et singulos tam privatos quam publicos, quibus actibus praesentes esse debeant Doctores Collegii sive omnes, sive aliqui ex eis, ubi eis per Bidellum fuerit notificatum. Et si Bidellus neglexerit Priori obedire, possit Prior et debeat ipsum condemnare usque ad quantitatem solidorum quinque. Si autem non fuerit praesens actibus, disputationibus, examinibus, conventibus etc., privetur et condemnetur salario sibi contingente. Si vero non notificaverit alicui aut aliquibus de Collegio ex parte D. Prioris id quod notificare debuit, condemnetur Bidellus in poena in qua Collegiatus vel Collegiati essent condemnandi si notificationi non paruissent. Notarii vero officium sit facere instrumenta, et si expediens fuerit omnes actus causidicos ipsi

Collegio, aut aliquibus Collegiatis in factis Collegii dumtaxat pertinentes. In examinibus vero parare cartam albam pro scribendis approbationibus et reprobationibus examinatorum in Artibus et Medicina. Possit in casu necessitatis D. Prior committere notario vices Bidelli, et e converso, altero eorum causa licita absente.

De oblationibus fiendis.

5. Item statuerunt et ordinaverunt, quod omni anno portentur duo luminaria cerea honorabilia in die Festivitatis Domini Iesu Christi a principio processionis usque ad finem, cuius rei expensa solui debeat per omnes Collegiatos sive Artistas sive Physicos, et hoc aequali portione, scilicet quod tantum solvat unus quam alter. Item in omni anno in die Festivitatis S. Donini fieri faciat Prior qui pro tunc fuerit unum aut duo luminaria caerea ponderis quatuor librarum cerae ad minus solvenda aequaliter per omnes collegiatos. Et praecipi faciat omnibus Collegiatis sub poena solidorum quinque pro quolibet quod debeant simul collegiatim interesse uni Missae celebrandae in die prefatae Festivitatis S. Donini, et offerre praedictas libras quatuor cerae, et aliquid ultra si voluerit. Item omni anno teneatur Prior Collegii facere fieri caereum unum librarum quatuor solvendum aequaliter per omnes collegiatos tam numerarios quam supernumerarios, tam Artistas quam Physicos portandum ad Ecclesiam Sancti Antonini Martyris in die Festivitatis eiusdem, scilicet die quarta Iulii. Teneaturque Prior congregari facere totum Collegium ad offerendum dictum caereum, et audiendum unam Missam, sicut in Festo S. Donini. Item omni anno in Festo S. Catherinae Virginis et Martyris fieri faciat Prior antiquus unum luminare caereum ponderis librarum quatuor ad minus offerendum Ecclesiae maiori ad Altare S. Catherinae simul cum aliis Doctoribus Iuristis, ad quam oblationem citentur omnes Doctores Collegiati sub poena solidorum quinque pro quolibet qui non interfuerit, legitima causa non obstante: quem quidem caereum teneantur solvere Doctores Collegiati dumtaxat sive Artium tantum, sive Medicinae tantum, sive Artium et Medicinae tam numerarii quam supernumerarii, divisa aequaliter expensa per omnes et quemlibet eorum.

De eis qui volunt subire examen.

6. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus possit acceptari ad ingressum examinis sive Artium, sive Medicinae, sive omnium simul, nisi fecerit unam disputationem publicam in Studio Generali, quod possit probare suo Sacramento, et uno testo ad minus, aut in civitate Placentiae, ad quem actum fuerit convocatum Collegium Doctorum illius facultatis in qua vult doctorari, si vult examinari in Artibus, studuerit per tres annos ad minus, et militaverit illis tribus annis sub approbato Doctore in studio publico. In Medicina vero studuerit et audierit quatuor annis ad minus, praticaveritque cum approbato Doctore, vel aliquibus per annum ad minus in civitate Placentiae, ante vel post eius doctoratum, de quibus omnibus praedictis stetur examinandi sacramento, nisi manifeste appareret contrarium. Teneatur quilibet promovendus in aliqua praedictarum facultatum sive Artium sive Medicinae, sive Artium et Medicinae simul subire duo examina unum privatum et aliud publicum sive rigorosum, et accipere, tantum duos promotores numerarios de Collegio illius facultatis in qua vult examinari. Qui autem examinandi sunt in Artibus et Medicina persolvere debent centum et decem libras Imperiales, nisi iuraverint de paupertate, et tunc persolvant sexaginta duas libras et solidos decem, quae pecuniae solvendae sunt ante introitum examinis rigorosi thesaurario, sive Bidello, postea dividendae hoc modo. Pro conventu privato aureum unum sive scutum iusti ponderis pro quolibet promotore. Pro conventu publico cuilibet promotori aureos duos boni ponderis. Item pro conventu privato teneatur solvere Bidello libram unam et solidos quatuor, pro conventu publico florenum unum in moneta. Item D. Priori Collegii libras duas. Item pro oblatione Missae Spiritus Sancti solidos quinque, et pro pulsanda campana solidos octo. Pro oratione Domini Vicecancellarii solidos sexdecim. Pro apparatu salae solidos octo. Pro notario solidos octo. Item pro D. Canzellario Studii, sive Domino Episcopo florenos quatuor in moneta. Item notario sive canzellario Episcopalis Curiae florenos duos pro privilegio finito cum sigillo pendente, quos duos florenos dandos suprascripto notario teneat penes se Bidellus aut thesaurarius Collegii quousque datum fuerit privilegium finitum cum sigillo. Quod residuum est pecuniarum dividatur inter Doctores numerarios de Collegio actui praesentes. Si aliquis tamen in Civitate

Placentiae fuerit impeditus vel gravi infirmitate, vel alia urgente ex causa, eius ratio habeatur ac si praesens esset.

De modo praesentandi, punctandi, et examinandi.

7. Item statuerunt et ordinaverunt quod publice examinandus in die praecedenti praesentari debeat per suos promotores Domino Canzellario aut Viccanzellario civitatis Placentiae, Rectori vel Vicerectori si fuerint, Priori vel Vicepriori, et aliis Collegii Doctoribus. Postea D. Canzellarius vel Vicecanzellarius det sacramentum examinando quod studuerit tempore et loco legitimo, et actus necessarios fecerit. Det etiam omnibus promotoribus sacramentum de sufficentia examinandi, et assignet diem et horam audiendae Missae Spiritus Sancti, punctorum assumendorum, et examinis subuendi. Examinando in Artibus dentur puncta in libro Posteriorum Aristotelis, et in libro Physicorum eiusdem. In Medicina vero dentur puncta in libro Artis Parve Galeni, et in libro Aphorismorum Hyppocratis. Puncta sic assignari debent: portet unus promotorum ante D. Canzellarium vel Vicecanzellarium librum clausum in quo assignari debent puncta. Dominus autem Canzellarius ipsum aperiat ubi vult, deinde mittat uni ex doctoribus Collegii de iunioribus qui non sit pro tunc promotor, et ille Doctor nominet punctum quem vult, deinde sic fiat de puncto alterius libri: quae puncta scribantur per Bidellum in caedulis, et postea dentur Doctoribus Collegii. Examinandus sic legere debet: primo incipiendo a puncto sibi assignato, et continue punctualiter legendo quousque D. Prior vel Viceprior dixerit, sufficiat pro tunc. Postea iterum redeat ad principium puncti, ipsamque literam continuet si opus fuerit ad praecedentia, deinde dividat in partes et particulas prout opus fuerit. Exponat praeterea sine notatis et sine dubiis, sententiam declarando uniuscuiusque partis, et cum declaraverit unam partem legat textum illius partis, et sic ultra procedat quousque D. Prior dixerit, sufficiat. In Aphorismis vero solum legitur et exponitur Aphorismus unus, comentum vero Domini Galeni super illo Aphorismo dividitur, et uniuscuiusque partis sententia declaratur sine lectione illius comenti. Modus arguendi talis servari debet: primo si D. Rector vel Vicerector fuerit, ipse incipere debet, vel eo deficiente D. Prior aut Viceprior, deinde iunior Doctor de Collegio de tunc existentibus, deinde alter

iunior, deinde iterum alter tertius iunior, et ad plus quartus qui etiam sit ultimus. Contra quemlibet punctum argui possit per quemlibet duobus mediis ad plus pertinentibus, et duobus impertinentibus solum sive questionibus sive problematibus, sive una questione et uno problemate. Contra responsiones impertinentium replicare non liceat. Contra vero responsiones pertinentium sola una replicatione pro qualibet responsione quatuor argumentorum liceat replicare, ita ut in summa quatuor argumenta pertinentia, et quatuor replicationes ad plus, et duo impertinentia sufficiant pro quolibet arguente. Ultimo autem arguenti moris est non respondere. Finito examine exburset pecunias depositarius D. Canzellario sine Vicecanzellario, et D. Promotoribus, D. Doctoribus de Collegio et caeteris quibus obvenient secundum portiones suas. Reservatis tamen illis Canzellarii Curiae Episcopalis, quae exbursari debent post finitum privilegium cum sigillo. Deinde surgant et examinatores et examinatus a loco in quo sedebant dum fiebat examen. Notarius vero Collegii praeparet caedulas albas, super quibus quilibet Doctor Collegii scribat aut approbo, aut reprobo, et si plures fuerint cedulae approbatoriae, examinatus erit approbandus a D. Canzellario Studii; si vero plures fuerint cedulae reprobatoriae ab eodem reprobabitur. Si quis vellet examinari in una artium, ut puta in Gramatica, punctetur in Prisciano maiori vel minori. Si in Rethorica, punctetur in Rethorica Aristotelis aut in nova sive veteri Rethorica Ciceronis. Si in Astrologia, punctetur aut in libro Celi, aut Metheororum Aristotelis, aut in Centiloquio Ptolomei. Si in Geometria punctetur in uno primorum sex librorum Euclidis. Si vero in Musica punctetur in Musica Domini Boetii, servatis modo tamen et forma ut in aliis. Et quod studuerit per duos annos ad minus in praedictis scientiis. Disputaveritque generaliter, aut suum fecerit examen privatum, et ipso solvente pro quolibet promotore libras tres, et Collegio Doctorum Artium libras duodecim, Bidello solidos viginti, Notario solidos quatuor, D. Episcopo libras tres et solidos quatuor, Notario D. Episcopi pro privilegio finito cum sigillo libras tres et solidos quattuor, pro apparatu salae solidos octo, pro oblatione in Missa solidos quinque. In modo punctandi, arguendi, legendi, et approbandi et omnibus aliis, servetur ut supra.

Qui admitti possint in Collegium. De numerariis, et supernumerariis.

8. Item statuerunt quod nullus possit ingredi Collegium DD. Artium et Medicinae Doctorum, nisi ipse et eius pater sit civis originarius ex Civitate vel districtu Placentiae, et nisi sit Doctoratus in civitate Placentiae, ibique omnia doctoratus insignia sumpserit, et nisi sit natus ex legitimo matrimonio, vel saltem legitimatus sit per subsequens matrimonium. Nullus etiam admittatur qui ipse aut eius pater artem manualem, vilem, vel sordidam exercuerit vel manibus suis composuerit aut opus fecerit. Omnes autem Doctores qui nunc sunt de Collegio habeantur pro legitime admissis, ac si haberent omnes conditionis requisitas. Si vero aliquis post ingressum Collegii aliquam artem vilem exercere coeperit sit ipso iure et facto exclusus a Collegio, nec ad honores aut emolumenta eiusdem amplius admittatur. Item statuerunt quod numerarii de Collegio non sint plures quatuordecim, supernumerarii vero possint esse quotquot reperientur dummodo habeant supradictas qualitates requisitas, et si aliquis ex numerariis decederet e vita, tunc in demortui locum succedat ille de supernumerariis qui primo fuerit admissus in Collegium. Teneatur autem quilibet ingrediens Collegium, sive fuerit Doctor Artium vel Medicinae tantum, sive Artium et Medicinae simul, solvere florenum unum, sive solidos triginta duos pro quolibet Doctore de Collegio numerariorum et praesentium actui, exceptis filiis vel nepotibus ex filio masculo Doctorum de Collegio, qui sunt penitus immunes a predicta solutione, si tamen habuerint conditiones requisitas. Teneatur tamen quilibet ingrediens Collegium cuiuscunque conditionis fuerit, solvere Bidello quatuor asses denariorum Placentiae. Qui Bidellus obligetur scribere vel scribi facere nomen cuiuslibet Doctoris qui tunc in Collegium recipitur prope nomina reliquorum Doctorum de Collegio in matricula consueta scriptorum. Antequam autem quis ingrediatur Collegium, legantur ei omnia Statuta Collegii, ne sub ignorantiae clypeo ea violare praesumat.

De examinandis et approbandis in Chirurgia.

9. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus possit examinari et

approbari in Chirurgia, nisi studuerit in studio publico, et audierit Chirurgiam a Doctore approbato ipsam legente duobus annis ad minus, praticaveritque cum approbato et famoso Chirurgo annis duobus, de quorum probatione stetur sacramento examinandi, nisi manifeste constaret oppositum, feceritque unum actum publicum in Chirurgia in Generali Studio, de cuius probatione stetur ipsius examinandi et unius testis sacramento, vel faciat unum examen privatum in presentia Doctorum Medicinae Collegii Placentie, aut disputationem unam publicam ad quam vocati sint Doctores Medicinae Collegiati, et vocati etiam sint scholares tam Artium quam Medicine si qui tunc fuerint. Postea accipiat examinandus duos Medicinae Doctores de Collegio Medicorum numerarios in promotores, qui debent ipsum examinandum presentare in Ecclesia S. Donini in die precedenti diem examinis D. Rectori sive Vicerectori si fuerit, D. Priori vel Vicepriori Collegii Artistarum et Medicorum Placentiae, et Dominis Medicinae Doctoribus. Qua presentatione facta D. Prior sive D. Rector, vel eorum vicesgerens det sacramentum examinando quod studuerit et praticaverit tempore debito, et ut supra, et quod suos fecerit actus necessarios, nec non det sacramentum promotoribus de sufficentia, assignetque diem et horam audiendae Missae Spiritus Sancti in Ecclesia S. Donini. Posquam Missam ingrediatur D. Prior cum promotoribus Doctoribus Collegii, et examinandus aulam sive cameram aut locum aliquem idoneum ipsius Ecclesiae, ibique aperiatur liber per D. Priorem in quo punctus debet assignari examinando, deinde liber apertus detur alicui ex iunioribus Doctorum Collegii, qui aut in eo loco aperto, vel per duas cartas ante vel post assignet unum punctum solummodo aut in Chirurgia Avicenne que continetur in duabus Fen, scilicet tertia et quarta quarti, aut in Chirurgia Galeni quae continetur in tertio methodi medendi. Legatque examinandus, et omnino faciat ut dictum est in Statuto precedente quod loquitur de modo examinandi in Artibus sive Medicina. Doctores vero arguere debentes a iuniore incipiendo non possint uti nisi duobus argumentis pertinentibus, et una replicatione tantum pro quolibet pertinente, et duobus solummodo impertinentibus sine replicatione. Solvat ante introitum examinis examinandus depositario sive Bidello lib. 30. et sol. 5. imperiales dividendas ut infra. Primo pro D. Priore Collegii florenum unum in moneta. Pro notario Collegii et privilegio finito cum sigillo Collegii Medicorum libram unam et sol. 12.

Pro bidello solidos sexdecim. Pro apparatu salae solidos octo. Pro collatione in examine, sive post examen libram unam et solidos 12. Pro duobus promotoribus libras decem. Pro Collegio libras quatuordecim. Pro oblatione in Missa solidos quinque. In omnibus aliis teneatur modus ut in superiori continetur Statuto: hoc excepto quod D. Prior sive Viceprior post approbationem debet aut facere aut fieri facere orationem, et auctoritate Collegii dare licentiam illi approbato in Chirurgia praticandi, aurum portandi, et dare licentiam notario Collegii de uno aut pluribus instrumentis publicis conficiendis: nulla autem alia insignia dari debent.

De officio Chirurgorum, et de Chirurgis licentiatis.

10. Cum tanta sit nonnullorum Chirurgorum temeritas nedum legitime approbatorum, quibus haec civitas iamdiu caruit, sed etiam omnino imperitorum, ut nulla habita ratione medendi nec authoritate, non contenti sua manuali arte passim audeant veri Physici Medici omnia obire munia cum maxima pauperum et ignorantium pernicie: idcirco statuerunt et ordinaverunt, ut nullus merus Chirurgus sive Barbitonsor post hac Chirurgiae limites excedere praesumant, idest quod non possint aliud morbi genus curare praeter illos qui sunt in superficie corporis, et quando egent opera manuali vel aliquibus medicamentis localibus, neque audeant absque consensu Physici flobotomare et mittere sanguinem, vel haec fieri iubere, nec ex se urere, idest cauteria vulgo fontanellas dicta facere, aut exhibere decoctum ligni indici, sive ungere quemquam morbo gallico laborantem sine consilio alicuius physici Doctoris. Demum ullo modo iidem praesumant cuique ordinare decocta, syrupos, medicamenta ulla sive elective, ut dicitur, educentia, sive lenientia, trociscos, confectiones interius assumendas, medicamenta narcotica idest somnifera, clysteria fortia et acria, nisi repentina necessitate coacti id fecerint. Et tunc teneantur quamprimum medicum physicum illius languentis certiorem facere, vel eo deficiente D. Priorem Collegii, ut si in aliquo erratum fuerit, id quam citius corrigi possit. Quod si praedictis absque memorata causa contravenerint, vel ea subsistente notificationem supra requisitam omiserint, tunc et ipso iure incurrant poenam aureorum decem pro qualibet vice applicandorum fisco Ill. Ducis pro dimidia et pro alia

dimidia Collegio D. D. Artium et Medicinae Doctorum. Et ne Chirurgi huic ordinationi contravenire possint sub praetextu inopiae aegrotantium, quos minori mercede quam Physici curare profitentur, idcirco statuerunt quod D. Prior vel Viceprior Collegii debeat visitare praedictos infirmos semel et bis et pluries si opus fuerit, et illis quae fuerint necessaria gratis et amore Dei ordinare. Concesserunt tamen licentiam Chirurgis Dogmaticis et approbatis exercendi omnia ingenia curativa necessario insequentia curam morborum manualium. Item statuerunt quod quilibet Chirurgiam exercens, si non fuerit legitime approbatus, ut in superiore statuto, debeat saltem habere licentiam a Collegio D. D. Medicorum, vel ab aliquo eorundem una cum D. Priore, qui ex mandato Collegii illum si dignum invenerint licentiare possint, et licentia ipsa redigatur in scriptis una cum sigillo Collegii. Nec tales Chirurgi togas talares, nec breves sericas gestare possint, nec palium supra equos sive mulas. Ut autem hoc munus a Collegio agnoscere videantur, teneantur dare unum par chirothecarum cuilibet Doctori de Collegio. Si vero aliquis ausus fuerit Chirurgiae actus exercere non observato praesenti Statuto, incurrat poenam aureorum decem modo et forma de quibus supra. Addendo quod nullus possit in Chirurgia licentiari, nisi praticaverit prius per sex annos ad minus cum altero approbato Chirurgo: idque suo sacramento, et duobus idoneis testibus probari teneatur, nisi manifeste contrarium deprehendatur.

Ad tollenda scandala imperitorum.

11. Item ad evitanda quae saepissime occurrunt pericula propter arrogantiam et imperitiam multorum qui falso medicinam profitentur, statuerunt et ordinaverunt quod nulla sit persona cuiuscunque gradus et conditionis quae etiam si legitime alibi approbata fuerit possit in civitate Placentiae, neque in eius districtu seu comitatu ullo modo, medicinam neque eius partem aliquam exercere nisi licentiata fuerit a Collegio D. D. Medicorum Placentiae his modis et forma de quibus iu praecedentibus Statutis, et si non fuerit legitime et per examina ut decet Collegiatorum proborum approbata, nisi et quousque approbationem a Collegio praedictorum D. D. Medicorum Placentiae iuxta modum et formam in Statutis praedictis contentam fuerit consecuta, exceptis tamen illis de quibus in Statuto etc. sub poena de qua in capitulo praecedenti toties exigenda quoties

in praedictis seu aliquo praedictorum fuerit contrafactum seu contraventum etc. Et etiam si aliquis Aromatarius vel Speciarius a se vel alterius personae consilio det medicamenta aliqua, quae persona non sit de Collegio D. D. Medicorum Placentinorum, aut a Collegio ipsorum licentiata, vel approbata modo quo supra, sive talis Aromatarius vel Speciarius dederit vel dare modo aliquo tentaverit medicinas solutivas, narcoticas, clysteria fortia, aut res aliquas venenosas, sive iusserit mitti sanguinem, nullus de Collegio, neque aliquis de eis quibus data est medendi licentia possit ordinare aliquid ad apothecam illius aromatarii sub poena privationis ingressus Collegii, et emolumentorum et honorum eiusdem si fuerit de Collegio: si vero non fuerit de Collegio intelligatur ipso iure amisisse licentiam medendi, nec facultas ingrediendi Collegium, aut medendi possit eis restitui, nisi prius solutis ducatis decem auri reponendis prope thesaurarium Collegii, applicandis et expendendis ad libitum totius aut duarum partium ex tribus Collegii. Huiusmodi tamen excessus Aromatariorum prius notificati sint D. Priori vel Vicepriori, qui de praedictis informationes sumere debeat ab optimis vel fidedignis testibus, ad hoc ut praecipere possit, aut praecipi facere cuilibet Doctori sive de Collegio sive non, ne debeant ordinare ad apothecam delinquentium ut supra. Si vero Aromatarius aliquis qui erraverit voluerit in gratiam Collegii praefati redire, non admittatur etc., nisi prius solutis ducatis quinque auri, et postea stet per mensem quilibet Medicus antequam aliquid ordinet ad apothecam illius delinquentis, qui mensis incipiat a die et hora solutionis etc., sub poena eisdem superius apposita: et omnia quae Chirurgis vetita fuere, in aromatarios etiam referantur.

Qualiter debent esse Aromatarii.

12. Item quia per imperitiam Aromatariorum multa fiunt quae inferunt maximum eorum conscientiis detrimentum, infirmis vero mortis periculum, et Medicis damnum et dedecus. Statuerunt quod nullus Medicus possit aliquid ordinare ad apothecam alicuius aromatarii, nisi ille apothecarius sit examinatus et approbatus ab aliis aromatariis approbatis iuxta modum et formam sibi alias consuetam. Quod quidem examen fieri debeat in presentia D. Prioris Medicorum, aut alicuius de Collegio Medicorum electi ab ipsis vel a maiori parte ipsorum. Qui aromatarius

sic approbatus postea reponatur in matricula eorum qui possunt medicinalia componere, et ad quorum apothecas possunt Medici res medicinales ordinare. Et quod nullus de Aromatariis componere praesumat aliquod solutivum longo tempore duraturum, neque aliquod stupefactivum sine praesentia alicuius medici, et teneatur D. pro illo tempore Prior ire ad videndum, aut alium sic ut supra electum mittere ad videndum si res ad compositionem fiendam ingredientes sunt bonae et iusti ponderis. Quas res sic ordinatas Medicus tunc ibi praesens faciat in mortario miscere taliter quod nulla res possit extirpari neque falsificari, et postea re perfecta ponatur scriptum anni, diei, et horae illius compositionis, et nomen Medici in cuius praesentia id actum est. Si vero reperiretur aliquis aromatarius renitens aut rebellis etc. nullus de Collegio Medicorum Placentiae vel etiam approbatus ab eo possit ire ad ordinandum aliquod medicinale in officina ipsius rebellis, sub pena solidorum viginti pro quolibet de duabus prima et secunda vicibus. Et si scienter Medicus aliquis de Collegio perseveraret ultra secundam vicem citatus et praemonitus a D. Priore vel vicepriore, sit ipso facto Collegio privatus. Si vero non fuerit de Collegio, sit privatus licentia medendi. Quod si voluerit iterum Collegium ingredi vel recuperare respective licentiam medendi, teneatur solvere ducatos duos auri boni et iusti ponderis, reponendos prope thesaurarium Collegii, et ad placitum maioris partis Collegii expendendos.

De controversiis inter Collegiatos.

13. Item quia aliquando occurruut aliquae controversiae inter illos de Collegio in factis pertinentibus ad Collegium. Statuerunt quod controversiae tales omnino removeantur per D. tunc Priorem aut vicepriorem, et unum alium de Collegio ab ipso Collegio electum. Si vero inter D. Priorem aut Vicepriorem et alium vel alios de Collegio verteretur discordia in factis Collegii, fiat electio ad tempus per Collegium unius Viceprioris et alicuius de Collegio qui debeant determinare eam controversiam citra tres dies ad summum. A die notificationis similiter usque ad tres dies fiat terminatio controversiarum a D. Priore Collegii, et ab alio electo, si inter Dominos de Collegio intercedat ranchor, odium, aut controversia aliqua; quae si fuerit (quod Deus avertat) multo me-

lius est quod amoveatur per illos de Collegio Medicorum, quam quod transeat per alias manus, et alia iudicia in dedecus illorum de Collegio Medicorum Placentiae.

De modo praticandi.

14. Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus Physicus cum alio physico neque Chirurgo, neque chirurgus cum chirurgo, neque cum physico possint praticare, nisi omnes tales fuerint, aut de Collegio, aut ab eo approbati, aut saltem licentiati, sub poena privationis Collegii si fuerint de Collegio, et sub poena auferendae sibi licentiae praticandi cum aliis, et medendi si fuerint de his quibus data est per Collegium licentia praticandi et medendi. Si vero voluerit aliquis eorum restitui ad Collegium, vel ad licentiam praticandi, solvere teneatur ducatos duos boni et iusti ponderis pro quolibet Doctore de Collegio. Si vero acciderit quod aliquis forensis Physicus aut Chirurgus bonae tamen conditionis et famae, vocatus ad curam alicuius personae existentis in Civitate Placentiae, possint tam illi de Collegio quam habentes licentiam praticam exercere cum illis talibus forensibus. Si vero unus Medicorum Collegii aut plures fuerit vocatus vel vocati ad curam alicuius infirmi, postea supervocatus fuerit unus alius vel alii medici de Collegio, aut de quibus sit data licentia praticandi, non praesumat aliquid ordinare, neque pronosticum facere, nisi prius alloquutus fuerit illum vel illos qui prius visitaverunt infirmum. Et hoc ubi necessitas non urgeat: nam si immineret periculum infirmi in expectando alium vel alios D. priores medicos, tunc vocatus ordinet iuxta necessitatem ut sibi videbitur, semper tamen servando honorem prioris medici. Teneantur etiam Medici supervocati, completo collegio, prolata sua sententia, et tandem facta agendorum conclusione, sumere licentiam ab aegrotante, vel ab affinibus, vel ab assistentibus, et relinquere provinciam sive curam, nisi aliter eis placuerit, primo medico: ita enim conservatur honos Medicinae, et inter Medicos fovetur illa caritas quam D. noster Iesus Christus praecepit Apostolis suis dicens: hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem

---

(1) *Conditionis et famae.* Per il retto contesto dopo quest' ultima voce è da aggiungersi un *sit*, che manca nel Cod.

sicut dilexi vox etc. Sed quia aliqui scioli ac temerarii aliquando reperiuntur qui et honorem et caritatem parvifaciunt, ideo statuerunt et ordinaverunt quod deficientes in aliquo horum solvant pro unaquaque vice aureum unum. Si vero illi moniti a D. Priore pluries ac sepius peccaverint, tunc Collegio et aliorum Medicorum consortio tanquam pertinaces, temerarii, incorrigibiles, parumque honoris et charitatis amatores priventur, aut facultate medendi si non sint de Collegio: nec possint admitti amplius in collegium, aut recuperare licentiam medendi, nisi prius solutis decem aureis thesaurario Collegii. Insuper ad tuendam Medicorum dignitatem, ne quandoque diversae apparentes eorundem sententiae imperitos offendant, neve timor aegrotantibus incuntiatur, statuerunt et ordinaverunt, ut Medici qui supervocati fuerint ad aliquem infirmum una cum ordinario medico debeant inter se et seorsum ab aliis et praesertim ab aegrotante collegiare, ita tamen ut detur locus seniori de Collegio proferendi ea quae in congressu fuerint conclusa, primo vero Medico qui erat in cura scribendi ordinata sive receptas. Ordo enim ut attestatur Galenus secundo de causis pulsuum cap. 14, naturae si quid aliud familiaris est.

De modo servando per Medicos in visitando Medicos aegrotantes.

15. Item statuerunt et ordinaverunt quod quilibet Medicus de Collegio Placen. vocatus seu requisitus ad curam alterius Medici, vel alterius de familia propinqua Medicorum de Collegio tenetur ire, et caritate et ea solicitudine ut decet mederi, nullo praemio desiderato. Sic enim fraterna ac divina caritas iubet.

De funeralibus illorum de Collegio.

16. Item statuerunt et ordinaverunt quod cum aliquis moritur de Collegio, aut persona aliqua arcta cognatione coniuncta alicui de Collegio, et secum cohabitans, facta notitia per propinquos defuncti illis de Collegio, teneantur tunc D. Prior vel viceprior collegiatim ire, aut saltem cum Collegio adesse in loco debito et hora debita funeralium. Et si defunctus fuerit unus ex illis de Collegio, teneatur ille cui iniunxerit D. Prior vel viceprior habere orationem aliquam funeralem.

De dispensationibus.

17. Item statuerunt et ordinaverunt quod si accideret aliquam fieri dispensationem contra aliqua in his statutis contenta, seu diminutionem expensarum, quod id ponatur ad calculos sive ballotas inter Doctores numerarios de Collegio illius facultatis ad quam pertinet talis provincia, vel ambarum facultatum si ad ambas facultates pertinebit. Et D. Prior habeat duo vota. Alii vero tantum unum: et si maior pars Collegii affirmabit negotium affirmativum, obtineatur. Si vero negabit, sit totum negatum, et aliter non disponatur.

De forma sacramenti dandi in ingressu Collegii.

18. Item quia multoties non intelligitur sacramenti forma in ingressu Collegii, statuerunt et ordinaverunt quod quilibet ingrediens Collegium iuret primum non tractare aliquid quod sit contra statum neque personam Illustrissimi et Excellentissimi D. D. Octavii Farnesii Placentiae Ducis, et eius successorum, et obedire D. Priori et successoribus suis in licitis et honestis, servare statuta tam edita quam edenda, et nunquam tractare aliquid quod sit contra hoc Collegium, immo ipsum ubique pro viribus defendere et extollere.

De evitando periurio.

19. Item quia periculum videtur de animarum illaqueatione in accipiendis sacramentis. Statuerunt et ordinaverunt quod cum aliquis iurat servare statuta etc. ipso postea non servante ex fragilitate humana, sicuti plurimis hominum saepissime accidit peccare, non habeatur pro periuro ubi requisitus per D. Priorem aut vicepriorem Collegii Medicorum solvat solidos decem monetae.

De poena vocati et non venientis ad Collegium.

20. Item statuerunt et ordinaverunt quod advocatis Doctoribus de Collegio per bidellum, aut alterum eius nomine ad Collegium, ipsis seu aliquibus eorum non accedentibus tempore statuto a D. Priore ad con-

gregationem, pro singulo teneantur solvere solidos quinque pro qualibet vice, nisi urgente legitimaque causa impediti fuerint, quam D. Priori pandere debeant nisi ex se elucescat, sicuti e morbo laborantes et ab urbe absentes; quae pecuniae penes thesaurarium collocentur, ipseque absentium nomina pro qualibet congregatione annotet, vel alter Doctor de Collegio, cui hoc onus a D. Priore ascribatur.

De poenis sive mulctis inferendis.

21. Postremo statuerunt et ordinaverunt quod si contigeret aliquem ex Doctoribus de Collegio incurrere in aliquam poenam pecuniariam, de quibus in superioribus statutis, cuius solutio malitiose differatur, tunc thesaurarius teneatur retinere pecunias conventuum sive ingressus Collegii contingentes delinquenti ad eam summam ad quam ascendit poena. Et si dictus thesaurarius aliter facere praesumpserit, de suo teneatur in duplum, et suo privetur officio. Eius autem successor dictam poenam dupli retineat ex portione eidem contingenti ut supra. Si vero aliquis delinquens Medicus non fuerit de Collegio, et noluerit solvere poenam pecuniarum per eum incursam tunc post primam et secundam monitionem D. Prioris vel viceprioris ei factam in presentia duorum de Collegio, privetur facultate et licentia medendi, nec ad eam restitui possit, nisi solutis prius aureis decem auri boni et iusti ponderis; et haec quo ad poenas applicandas Collegio. In aliis vero applicandis partim Fisco, partim Collegio, D. Prioris officium sit vel viceprioris una cum alio Doctore de Collegio per eum eligendo instare penes Principem vel Iusdicentes ab illo deputatos pro eorum executione, et consequutione pecuniarum Collegio spectantium.

Qualiter Medici debeant facere circa infirmos ut confiteantur.

22. Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, vale et noli amplius peccare ne deterius aliquid tibi contingat, praesenti decreto statuimus et districte praecipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant et inducant ut medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae

remedium salubrius procedatur, cum cessante causa cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in aegritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suaderetur ut de animarum salute disponant, in desperationis vinculum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt. Si quis autem medicorum huius nostrae constitutionis postquam per Praelatos locorum fuerit publicata traasgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiae arceatur ad arbitrium ipsorum RR. Praelatorum, et sub poena in Bullis Summorum Pontificum contenta mulctetur. Cae terum cum anima sit multo pretiosor corpore, prohibemus sub poena decem aureorum applicandorum iuxta Decretum Excell. Ducis in statutis, praeter poenam a RR. Praelatis assignandam et inferendam, ne quis Medicorum pro corporali salute aliqnid aegrotis suadeat, quod iu periculum animae convertatur.

23. Item (1) statuerunt quod si casus acciderit Placentiae iterum legatur, et vigeat studium generale, tunc quilibet Doctor publice actu legens possit Collegium ingredi in illa facultate in qua legerit. non obstantibus in alio Statuto statutis.

Ad evitandas imposturas, et adulterationes quae a seplasiariis in componendis medicamentis committuntur.

24. Quoniam notum est aliquos Pharmacopolas partim ob simplicium medicamentorum ignorantiam, huic enim rei pauci eorum nostra tempestate sunt intenti, partim etiam propter eorundem malitiam in componendis medicamentis et caeteris vendendis saepissime a scopo et intentione medicorum, et a veritate et aequitate deviare cum aegrotantium et indigentium damno, et medicorum dedecore: ideo statuerunt et ordinaverunt ut illi aromatarii sive sint in civitate Placentiae, sive in eius districtu et comitatu habitantes, qui in componendis medicamentis cuiuscunque fuerint conditionis, sive in quibusvis aliis simplicibus vel compositis ab ipsis quomodolibet vendendis, a debita et propria rerum qualitate, quidditate, numero, mensura, pondere, ordine, et proportione defecerint seu deviaverint, puniri debeant in scutis decem auri pro vice, fisco pro dimidia, et pro altera dimidia Collegio dictorum DD. Physi-

(1) Il presente Statuto 23.° manca di titolo nel Codice.

corum Collegii Placentiae applicandis, et etiam ultra id quod nullus de dicto Collegio aliquid ordinet ad apothecam illius per sex menses proxime venturos sub poena privationis singulorum emolumentorum dicti Collegii: nec possit ille aromatarius qui in aliquo praedictorum aberraverit gratiam dicti Collegii recuperare, nisi prius solutis scutis duobus auri pro singulo doctore dicti Collegii: et hoc statutum locum sibi etiam vindicet in duodecimo et undecimo statuto.

Octavius Farnesius Placentiae et Parmae Dux II. etc. Exhibitae nobis fuere pro parte Collegii DD. Artium et Medicinae Doctorum huius nostrae civitatis sanctiones et Statuta in praesenti volumine descripta, ab ipso Collegio nuperrime condita seu potius correcta et in melius reformata, nobisque suppliciter petitum ut illa approbare et confirmare vellemus. Nos autem eis visis, et habito etiam superinde voto Consilii nostri Placentini a quo illa considerari mandavimus, instituta huiusmodi utpote publicae utilitatis ac etiam ipsiusmet Collegii dignitati prospicientia, approbatione nostra digna censuimus.

Idcirco praesentium tenore illa prout iacent ex certa scientia, et de plenitudine nostrae potestatis confirmamus et approbamus, ac robur perpetuae firmitatis adiicimus, et ab omnibus ad quos spectat observari mandamus, contrariis non obstantibus quibuscunque. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Dat. Placentiae die quinta Ianuarii 1560. Octavius Farnesius. Io. Baptista Picus Secr. (1).

---

(1) Lo Statuto del 1673. ha diversi capitoli aggiunti fra i quali uno *De Stario Salis* che è bensì antico, ma forse era andato in desuetudine. È osservabile che il prefato Statuto Medico del 1673. stampato in Piacenza dal Sirena non fu, nè so per quali cause, edito per intero, e tutti gli esemplari da me veduti portano i due fogli ultimi suppliti a penna. Il Capitolo *de Stario Salis* è il XXXIX. e sta così = *Egregia sane Serenissimorum Principum nostrorum liberalitate non dissimili illa Regiae Maiestatis Francisci Primi Francorum Regis Mediolanique Ducis munificentia, tam D. D. Iurisconsultorum, quam Artium et Medicinae Doctorum Collegio Placentiae, illiusque Doctores ab onore hospitandorum militum, ac in casu pestis a custodia portarum huius nostrae civitatis, ac ab omnibus oneribus personalibus exempta voluit. Pariter privilegio huic Civitati concesso starium salis unicuique ipsorum dandum singulo anno a Regulatoribus salis Placentiae permissum fuit, illud que continuata ducentum annorum serie et ultra Doctoribus omnibus de dictis Collegiis fuerit concessum, ut pariter in praesentia conceditur, ex publico instrumento Concessionum predictarum accepto per quondam D. Georgium Artemium Ruinagium Comunitatis Placentie Cancellarium anno 1520. indict. octava, die 18. Decem. Placentiae, et antea ex sententia lata per quondam D. Ziliolum Aldovinium Cremonensem Vicarium, et Commissarium Generalem Ducis Mediolani 1460. die 9. Augusti Placentiae. Idem D. D. Prior et Collegium decreverunt, ut omnes*

Artium et Medicinae Doctores de dicto Collegio talium exemptionum et Privilegiorum memores, semper singulo anno post Festum S. Catherinae Virg. et Mart. a D. D. Regulatoribus salis Placentiae dictum starium salis exigere debeant iuxta solitum, facta recepti üsdem regulatoribus in scriptis confessione = Il mentovato Statuto del 1673. reca pure il Decreto di Ottavio Farnese onde por fine alla famosa controversia del 1568. fra' Giureconsulti e Medici intorno al portare il baldacchino nelle solennità. Eccolo intero = *Octavius Farnesius Plac. et Parmae Dux II. etc. Audivimus controversiam inter carissima nobis Collegia D. D. Iurisconsultorum et Iudicum civitatis nostrae Placentiae ex una parte, et D. D. Medicorum ex altera in deferendo umbraculo, seu baldachino in quocunque adventu atque ingressu Principum Dominorum suorum, aut quorumvis aliorum Principum; cupientesque ut nostrae sunt partes hanc dirimere controversiam, hac nostra perpetuo atque inviolabiliter valitura lege decernimus, ut posthac in defferendo umbraculo baldachinove, in omnibus adventibus, ingressibus eiusdem civitatis nostrae Placentiae quorumcunque Principum, vel aliarum quarumvis personarum Ecclesiastica etiam dignitate fulgentium, quae tali honore dignari consueverunt, et etiam in quibuslibet aliis occasionibus quibus contingat umbraculum defferri, haec forma isque ordo perpetuo servetur, ut anteriores hastae seu baculi ipsius baldachini assignentur et assignati esse intelligantur Collegio D. D. Iurisconsultorum et Iudicum, posteriores vero duo baculi in qualibet portatione usque ad finem itineris assignentnr, concessique et assignati esse intelligantur Collegio D. D. Medicorum, et ita hoc modo, ordine et forma ab utroque Collegio (sicuti in ingressu Illustrissimae Principis nurus nostrae factum est) deinceps deferri umbraculum semper volumus et mandamus absque alia penitus controversia sub poena indignationis nostrae. Datum Placen. Die 2. Martii* 1568. *Octavius Dux. Io. Bapt. Picus Secretar.*

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

FINIS.

10052142

10052142

INDEX STATUTORUM ET CAPITULORUM

STATUTA ANTIQUA MERCATORUM PLACENTIAE

Ne quis faciat sacramentum contra Rectores nuxii. . . . . *pag.* 4
Si quis noluerit iurare sacramentum nuxii . . » 5
Ne quis vitet aliquod preceptum rectorum nuxii . . . . . » *ib.*
De petendo consilio legaliter pro parte utraque . » *ib.*
Ne placitum excedens summam xx solidorum finiatur etc . . . . . » 6
Quod consules non recipiant aliquid ultra feodum suum . . . . . » *ib.*
Si aliquis consulum preteritorum receperit etc. » *ib.*
Ne de banno vel laudagio fiat ulli gratia vel remissa . . . . . » *ib.*
De manutenendis bonis usanciis Burgi . . . » *ib.*
De sacramento calumnie . . . . . » 7
De pignoribus consignandis futuris consulibus . » *ib.*
De pignoribus vendendis . . . . . » *ib.*
Quod pignus sufficiens pro laudagio et banno tollatur . . . . . » *ib.*
De terminis statuendis debitoribus et fideiussoribus . . . . . » *ib.*
Quod terminus non detur alicui etc . . . . » 8
Quod mercedes incontinenti solvantur . . . » *ib.*
De soluctionibus post terminum faciendis. . . » 9
De pena suis bonis cedentis. . . . . » *ib.*
De ammittenda denunciatione a debentibus etc. » *ib.*
De pena dicentis se nolle terminum recipere etc. » *ib.*
De illo qui pecuniam alicui extra placentiam et eius districtum promisit. . . . . » 10
De duobus denariis de libra solvendis pro debito cambii seu mercati . . . . . » *ib.*
Quod non cogatur ad solvendum mutuum ad ludum factum . . . . . » *ib.*
Ne debitor artetur ad solvendum, si post terminum vel infra se concordaverit cum creditore . . . . . » 11
De statuendo terminum pignori insolutum dato. » *ib.*
De dato facto alicui de Iurisdictione Nuxii per aliquem forensem. . . . . » *ib.*
De sentenciis transactionibus et terminis consulum preteritorum ractis habendis . . . . » *ib.*
Quod Consules Nuxii ad palacium venire tenentur. . . . . » 12
Quod duo ex Consulibus nuxii statutis horis sint apud palacium nuxii pro causis audiendis . » *ib.*
Quod debent esse ad recipiendum testes unus ex consulibus nuxii in causis que summam xx solidorum excedant . . . . . *pag.* 12
Quod consilium nuxii per Consules teneatur privatim . . . . . » 13
Ne nulli de consilio detur parabola generalis . » *ib.*
De cogendo quempiam quodlibet consilium nuxii ratum habere . . . . . » *ib.*
Quod consules in consilio denuncient id de quo parabolam petent. . . . . » *ib.*
De banno illius qui requisitus ante Consules non venerit . . . . . » *ib.*
De non recipiendo feudo plus quam aliis sociis. » 14
De pena Consulis dimittentis se perdere tenutam seu possessionem comunis nuxii . . . » *ib.*
De manutenendis paraticis nuxii in suo honore. » *ib.*
De tollendis bannis per Consilium nuxii missis. » *ib.*
De viaticis et ambaxatis conscilii nuxii et expensis eorum . . . . . » *ib.*
Quod Consules nuxii breve cuiuslibet paratici faciant in sua virtute adduci . . . . . » 15
Ne aliquis paraticus nuxii habeat Regimen vel masaricium sine parabola consulum nuxii . » 16
Ne Rassa seu conspiratio in placencia fiat . . » *ib.*
De responsione facienda potestati placencie per Consules nuxii. . . . . » 17
Quod Consules nuxii non faciant mutuum neque taliam . . . . . » *ib.*
Ne prohibeatur merchadandia quocunque portare . . . . . » *ib.*
Ut civitas placencie reformetur ad pacem . . » *ib.*
Ut granum placencie secure ducatur . . . . » 18
Ne impediatur caminus vel strata . . . . . » *ib.*
Sacramentum nuxii. . . . . » *ib.*
Quod quando sacramentum nuxii fiet cousules paraticorum nuxii facient iurare etc. . . . » *ib.*
Capitulum levandi officiales . . . . . » 19
De pena officialium nuxii. . . . . » *ib.*
De mercatis in quibus palmata fuerit data, vel denarius Dei ratis habendis . . . . . » 20
De emendatoribus brevis nusii elligendis. . . » *ib.*
De forma consulum elligendorum . . . . . » 21
Quod platea burgi non impediatur. . . . . » 22
De Merzariis . . . . . » *ib.*
Quod non inchantentur banche, volte, seu domus extra civitatem placencie . . . . . » *ib.*
De amittendo minorem ad agendum etc . . . » 23

Quod filius illius qui fecerit aliquam solucionem seu donationem uxori eius in fraude creditorum non admittatur ad merchadandiam . *pag.* 23
De mercato fili quod fit in platea Sancti Andree . . . . . » *ib.*
De illis qui comune creditum habent extra placentinum. . . . . » 24
De adiuvaudo quemlibet qui perdiderit suum avere. . . . . » 25
De adequatione expensarum infra unum mensem . . . . . » 26
De Consulibus nuxii camarario et notario indennibus conservandis . . . . . » *ib.*
Ne quis pedagium vel malosum novum seu revam novam constituat . . . . . » 27
Ne pedagium constituatur de novo. . . . . » *ib.*
Ne quis mercator placencie somam alicuius forasterii faciat suam causa excusandi pedagium. » *ib.*
Ne aliquis paraticus nuxii faciat rasam etc . . » 28
De componendo pacem. . . . . » *ib.*
De saximentis. . . . . » *ib.*
De prohibendo ne rasa seu statutum fiat super mercimoniis alicuius . . . . . » *ib.*
De consulibus eligendis in Ianua . . . . . » 29
De banno . . . . . » *ib.*
De consulibus eligendis ubicumque fuerint tres mercatores . . . . . » *ib.*
Quod non finiatur aliquod consilium quin intersint due partes . . . . . » *ib.*
De illo qui furtum vel dampnum fecerit alicui iurisdictionis nuxii . . . . . » 30
Quod aliquis mercator non debeat locare somam etc. . . . . » *ib.*
Capitula super revenditoribus lini . . . . . » *ib.*
De circhandis marchis campsorum et aliorum . » 31
De staderiis ungendis quolibet die sabato . . » 32
Quod quilibet merces suas ad stateriam nuxii pensari faciat . . . . . » *ib.*
Ne quis teneat stateram nec operet pro emendo aut vendendo . . . . . » *ib.*
De stateriis circandis quolibet mense . . . . » 33
Quod quilibet cordator habeat unam cordam . » *ib.*
Quod consules non recipiant convivium . . . » *ib.*
Quod bannum quinque solidorum accipiatur si statera inventa fuerit alicubi nisi ubi posita fuerit. . . . . » *ib.*
Capitula super stacionariis. . . . . » *ib.*
De peciis sgreciis passandis . . . . . » 34
Quod quilibet dans pecias ad tingendum etc . » 35
Ne quis emat peciam sgreciam aut tonsam ad suam fortunam ad vistam . . . . . » *ib.*
De non dando nec accipiendo aliquam peciam ad condictionem passandi . . . . . » *ib.*
De non emendo vel vendendo peciam contrafactam . . . . . » *ib.*
Ne quis emat seu vendat pecias nisi pro ea terra de qua fuerint. . . . . » 36
Quod nullus teneat disipulum qui emat etc. . » *ib.*
De officialibus passuum . . . . . » *ib.*
Ne quis det minus legali mensura . . . . . » 37
Capitula super caricis piperis Ianuensibus . . » *ib.*
De officialibus ad circandum annullos . . . » 38
De pena vendentibus anullos contrafactos. . . » *ib.*
De recto penso totius mercadandie manutenendo. » *ib.*
De libris marenchis circandis. . . . . » 39
De restituendo damnum etc. . . . . » 40
De pena acipientis aliquod breve etc . . . . » *ib.*
De lucro dividendo inter socios etc. . . . . » *ib.*
Ne quis instrumentum vel breve alicuius sigilatum apperire presumat . . . . . » 41
De non peiorando rem venditam . . . . . » *ib.*
De manutenendo feriam placentinam . . . . » *ib.*
Quod quisquis ligna vel assides subtus bambaxium teneat. . . . . » *ib.*
Ne quis emat cesalias vel retaliaturas alicuius monete . . . . . » *ib.*
Quod nullus retaliet ullam monetam . . . *pag.* 41
Quod nullus tollat mezanos retaliatos puros in fraude. . . . . » 42
Capitula ne ulla moneta falsa vel contrafacta fiat. . . . . » *ib.*
Capitulum officialium candellarum cere etc . . » 43
Ne quis paraticus etc . . . . . » *ib.*
Capitulum passandi pecias longas albas . . . » *ib.*
Capitulum mercedis dande carzatoribus . . . » *ib.*
Capitula capiciorum fili . . . . . » 44
Quod filum plac. non portetur extra eius districtum . . . . . » 45
Ne pecten vel capicium ad vellatas Ianuam vel aliquo defferatur . . . . . » *ib.*
De capicio fili stupe. . . . . » *ib.*
Capitulum vendentium Ruziam . . . . . » *ib.*
De statu peciarum mercaderiarum manutenendo. . . . . » 46
De longitudine et latitudine peciarum fustanei. » *ib.*
De quantitate filorum in capiciis ponendorum . » *ib.*
Capitulum factorum oselatarum et floretarum . » 47
Ne capicium vel filum ematur per foresterios . » *ib.*
De spiis dandis etc . . . . . » *ib.*
Quod nullus faciat fieri extra districtum pecias placentinas . . . . . » 48
Ne laborerium duplum fiat in pecia orolata. . » *ib.*
De statu pectinum . . . . . » *ib.*
Capitula et sacramentum textorum et textricium pignolatorum . . . . . » 49
Capitulum factum super filatricibus . . . . » 51
Capitulum textorum tellarum sclatarum . . . » *ib.*
Capitula massariorum et sacramentum illorum . » 52
Capitula circatorum omnium pensorum et librarum . . . . . » 54
Capitula Formageriorum . . . . . » 55
Ne quis osterius emat ab hospite suo ultra unam somam casei vel olei. . . . . » 56
Capitula batitorum bambaxii . . . . . » *ib.*
Capitula custodum borearum . . . . . » 58
De pena auferenda illi cui inventus fuerit orditorium non habere caviculas statutas . . » 60
De tiratore capiciorum habendo ad Ecclesiam maiorem et ad sanctum Andream . . . . » *ib.*
De pena accipienda ementi capicium non tiratum . . . . . » 61
Capitula custodum borearum. . . . . » *ib.*
Capitula et sacramentum carzatorum . . . . » *ib.*
Capitula de tintoribus et imblanchitoribus . . » 64
Capitula imblanchitorum peciarum fustanei . . » 65
Capitula tintorum drapporum lane. . . . . » 66
De drappis faciendis. . . . . » 67
De batitoribus lane . . . . . » 70
Et batitoribus lane capitula permittam habere etc. . . . . » *ib.*
Item de batitoribus lane . . . . . » *ib.*
De forma mensurandi drapos lane. . . . . » *ib.*
De draperiis . . . . . » 71
Capitulum Sarcitorum . . . . . » 72
Capitulum curateriorum et malosseriorum . . » *ib.*
De non dando maloseriis ultra iustum malosum. » 74
De redendo malosum . . . . . » *ib.*
Item de malosso . . . . . » *ib.*
Item de maloseriis . . . . . » *ib.*
De non emendo pecias sgrecias per hosterios . » 75
Capitula hosteriorum et albergatorum. . . . » *ib.*
Ne quis impediat rivulos labentes per hospicia. » 80
Capitula de factoribus argenti . . . . . » *ib.*
Capitulum camararii nuxii. . . . . » 81
Quod consules legi faciant omnia debita comunis nuxii . . . . . » 82
Capitula cureriorum comunis nuxii. . . . . » *ib.*
Quod eligantur homines ad brevia . . . . . » 83
Quod notarius nuxii non possit esse notarius emendatorum . . . . . » 84
De hosteriis lombardie. . . . . » *ib.*

Quod terminum non publicetur nisi citatus fuerit debitor . . . . . *pag.* 84
Quod staterie primo drizentur quam pensa. . » *ib.*
De pecia magagnata de cinere . . . . . » 85
De longitudine et latitudine peciarum telle. . » *ib.*
Quod telle circhentur per circatores borearum. » *ib.*
De predictis capitulis observandis . . . . » *ib.*
Quod filum sit ligatum de ipso solo fillo. . . » *ib.*
Quod liceat massariis vendere bambaxium . . » 86
De laudagio tollendo partibus litigantibus cum consulibus . . . . . » *ib.*
De banno accipiendo illi qui petierit ultra id quod habere debet . . . . . » *ib.*
Quod talea non imponatur nisi pro negotiis mercadandie . . . . . » *ib.*
De auferendo banno consuli . . . . . » 87
Non possit esse currerius qui habuit aliquod aliud officium . . . . . » *ib.*
Quod maloserii iurari debeant . . . . . » *ib.*
De staderiis . . . . . » 88
Quod pensa stare debeant in palacio nuxii . . » *ib.*
De consulibus elligendis in Ianua . . . . . » *ib.*
De denariis dandis cureriis ad feriam . . . » 89
Quod nullus faciat capicium etc . . . . . » *ib.*
Item capitulum custodum . . . . . » *ib.*
Quod nullus possit tingere fustaneum nisi etc . » *ib.*
Quod campsores possint habere consules. . . » 90
De reva hosteriorum . . . . . » *ib.*
Quod hosterii non albergant aliquem rufianum vel meretricem . . . . . » *ib.*
Quod notarius nuxii habeat totum lucrum . . » *ib.*
Quod omnes retaliantes drapos ad minutum sint de paratico draperiorum . . . . . » 91
Quod qui habet partem in mercadandia compellatur solvere expensas . . . . . » *ib.*
De eo quod facere tenentur consules electi in Janua. . . . . » *ib.*
Quod securitas non recipiatur a vecturale . . » 92
De vecturali invento in forro . . . . . » *ib.*
Quod mercatores permittant vecturalibus pensari somas . . . . . » *ib.*
Quod non solvatur bannum vecturalibus etc. . » 93
De banno auferendo illi qui falsificaverit bullam. » *ib.*
De feodo solvendo curreriis . . . . . » *ib.*
Quod carzatores possunt habere unum batitorem. » *ib.*
Quod si notarius fecerit falsitatem etc. . . . » *ib.*
Quod qui vitaverit venire ad faciendum ractionem socio suo baniatur. . . . . » 94
De eo quod solvere debent illi qui intraverint in paraticis nuxii. . . . . » *ib.*
De expensis . . . . . » *ib.*
Quod hospes teneatur retinere in eius forcia vecturalem et mulos etc. . . . . » 95
De drapperiis. . . . . » *ib.*
Quod si quis dederit falsum denarium etc. . . » *ib.*
De circatoribus pensorum. . . . . » *ib.*
Quod si quis fecerit mercadandiam compellatur ad iurandum. . . . . » 96
De interdictis. . . . . » *ib.*
De banno auferendo illi qui societatem habuerit cum interdicto. . . . . » *ib.*
Quod quilibet faciens anullos suum signum habeat. » *ib.*
Item capitula fabricorum . . . . . » 97
Quod aliquis plac. non colligat pedagium . . » *ib.*
Capitula eligendi sindicum. . . . . » 98
De maloseriis . . . . . » *ib.*
Quod qui fugerit pro debito interdicatur. . . » *ib.*
Quod revenditores teneantur spazare plateam burgi. . . . . » *ib.*
De hosteriis . . . . . » 99
De lectulis palearum . . . . . » *ib.*
De solucione in fraudem creditorum . . . . » *ib.*
De pedagiis in aliis civitatibus . . . . . » *ib.*
De forma solucionis facienda etc. . . . . » 100
Quod ille qui refutaverit mercadandiam etc. . » *ib.*
Quod bannum datum alicui etc . . . . . *pag.* 100
Quod qui emerit filum etc. . . . . » 101
De lino vendendo . . . . . » *ib.*
Non compellatur ad solvendum debitum transactis xx. annis . . . . . » *ib.*
De anullis octonis . . . . . » *ib.*
De forma pensorum formageriorum . . . . » *ib.*
Quod batitores lane etc. . . . . » 102
Ne aliquis teneat parietem inter se et convicinum . . . . . » *ib.*
De eo qui voluerit refutare mercadandiam . . » *ib.*
Quod non ematur filum etc. . . . . » 103
Quod si quis vendiderit drappum vel fustaneum teneatur solvere etc . . . . . » *ib.*
Quod claviga burgi sit coperta . . . . . » *ib.*
Quod foresterii non vendant in civitate plac. drapum etc. . . . . » *ib.*
Quod qui fecerit fustaneos etc . . . . . » 104
De eligendo uno homine qui sindicet etc . . » *ib.*
Quod currerius non possit esse percurrerius alicuius . . . . . » *ib.*
De eo quod solvere debent foresterii pro maloso . . . . . » *ib.*
De reva solvenda hospitibus per foresterios. . » 105
Quod iurent omnes qui faciunt tellas . . . . » *ib.*
De feodo camararii nuxii . . . . . » *ib.*
De eo quod habere debent drizatores marcarum. » *ib.*
Quod qui voluerit adiscere officium peciarum fustanei etc. . . . . » *ib.*
Quod nullus vendat sofranum falsum . . . . » 106
Quod iuret paraticum, qui fecerit aliquid quod pertineat illi paratico. . . . . » *ib.*
Quod hosterii qui vendunt caseum et oleum non pensent etc. . . . . » *ib.*
De ratione facienda de illis qui terminum recipiunt etc . . . . . » *ib.*
Quod oliarius non mutuat libram . . . . . » 107
Quod consules ad requisicionem creditorum etc. » *ib.*
Quod qui iverit extra plac. causa faciendi mercadandiam etc . . . . . » 108
Quod consules plac. teneantur recuperare condemnationes etc . . . . . » *ib.*
Quod consules teneantur circare ceram etc . . » *ib.*
De contestacione facienda ante dacionem libelli. » *ib.*
Quod ad muros palacii nuxii non occidantur bestia. . . . . » 109
De sacramento merzariorum . . . . . » *ib.*
Quod pensionarii mercadandie non rumpant muros. . . . . » *ib.*
Quod capicia et filum etc. . . . . » *ib.*
De pensis formageriorum . . . . . » 110
Quod pecia que dantur imblanchitoribus etc . » *ib.*
Quod qui dederit pecias ad imblanchiendum etc. » *ib.*
Quod introitus Ianue etc . . . . . » *ib.*
Quod qui intraverit in paratico draperiorum etc. » 111
Quod statutum si plures socii habeat locum etc. » *ib.*
Quod potestas, et capitaneus et eorum familie etc. . . . . » *ib.*
Quod foresterius qui fecerit cambium de prevenexinis etc . . . . . » *ib.*
Quod pedagium solvatur de fromento, caseo etc. » 112
Ne ponatur in cereo stupulus nisi fuerit de bambaxio . . . . . » *ib.*
Quod consules teneantur circare capitula capitanei . . . . . » *ib.*
De consulibus . . . . . » *ib.*
Quod non doceatur ad texendum bambaxium nisi etc . . . . . » 113
Quod nullus iudex veniat in palacio nuxii nisi etc. » *ib.*
De statutis in cartis pegoriuis ponendis . . . » *ib.*
Quod candidatores ponant in bugatis unum ceneratorem. . . . . » *ib.*
De non emendo filo antequam mercatum fuerit collectum . . . . . » *ib.*
De consulibus textorum et massariorum . . . » 114

Quod ullus portet tosicum vel tiriacam nisi etc. *pag.* 114
Quod capiantur portantes extra capicium . . » *ib.*
Quod precipiatur navarolis etc . . . . . » 115
Quod capitula de capiciis ponantur in statutis. » *ib.*
Quod quilibet admittatur ad agendum et referendum . . . . . » *ib.*
Quod quelibet torta lini etc . . . . . » 116
Quod quelibet societas etc. . . . . » *ib.*
De eo quod recuperaretur ab aliquo debitore etc. » 117
De quemlibet adiuvando qui aliquid perdiderit alicubi . . . . . » *ib.*
Quod quilibet compellatur ad restitutionem dampni etc. . . . . » *ib.*
De circandis candellis, dobreriis cere, et aliis. » *ib.*
De duobus sindacatoribus elligendis etc. . . . » 118
Quod quilibet retaliator drapporum etc. . . . » *ib.*
Quod potestas et capitaneus teneantur dare forciam etc. . . . . » *ib.*
Quod nullus teneat aliquam staderiam etc . . » 119
Ne conqueratur de aliquo debitore iurisdictionis nnxii nisi etc . . . . . » *ib.*
De non faciendo rixa coram consulibus . . . » 120
De redditibus comunis nuxii recuperandis etc . » *ib.*
Quod quinque consules elligantur . . . . . » *ib.*
Quod aliquis non faciat claudendam etc . . . » *ib.*
Quod liceat mercatoribus et campsoribus vendere ceram etc. . . . . » 121
Quod consules compellant currerium etc. . . » *ib.*
Quod currerii non habeant aliquod aliud officium. » *ib.*
Quod non proiiciatur aliquid ad bucam rivi etc. » *ib.*
Quod non ematur liber neque paperius scriptus. » *ib.*
Quod non ligetur aliqua bestia ad puteum . . » 122
De redditibus nuxii recuperandis . . . . . » *ib.*
Quod consules non possint impegnare redditus. » *ib.*
Quod qui fecerit mercadandiam tencatur solvere extimum . . . . . » 123
De reva solvenda per foresterios . . . . . » *ib.*
Quod nulla femina personaliter detineatur nisi etc. . . . . » *ib.*
De honore mercadandie . . . . . » *ib.*
Quod qui facit paliolos etc. . . . . » 124
Quod liceat dare ad laborandum foresterio . . » *ib.*
Quod nullus mutuat pecuniam supra libram bambaxii . . . . . » *ib.*
Quod consules non faciant officiales nisi etc. . » *ib.*
Non possit esse officialis qui non facit mercadandiam . . . . . » 125
De eo qui fecerit liquidum seu sepum . . . » *ib.*
Quod qui emerit mercadandiam in saco etc. . » *ib.*
Quod consules defendant paraticos . . . . . » *ib.*
Quod consules defendant paraticos a raspis. . » 126
Quod qui tenuerit falsum pensum etc. . . . » *ib.*
Quod non faciant rationem mutuatori ludis azardi . . . . . » *ib.*
Qui possit vendere ferramenta foresteria. . . » *ib.*
Quod consules non bibant in tabernis. . . . » 127
Quod currerii ad festum nativitatis habeant quinque sol. . . . . » *ib.*
Quod fabri teneantur facere laborerium argenti etc. . . . . » *ib.*
Quod safirus non ponatur etc. . . . . » *ib.*
De laboreriis auri . . . . . » *ib.*
Item de fabricis . . . . . » 128
Quod consules circantur fabricos . . . . . » 129
Item de fabricis . . . . . » *ib.*
De penis tollendis fabricis. . . . . » *ib.*
Quod consules non descendant de palacio etc . » *ib.*
Quod aliqua femina non ducatur in palacio causa adulterandi . . . . . » 130
Quod mercator teneatur solvere debitum etc . » *ib.*
Quod notarius mercadandie etc . . . . . » *ib.*
Quod unus de tintoribus etc . . . . . » *ib.*
Quod currerii teneantur facere ambaxatas etc . » 131
De eo quod currerii habere debent pro venditura pignorum. . . . . » *ib.*
Quod currerii qui fuerint cum consulibus ad domum alicuius etc . . . . . *pag.* 131
De sex mercatoribus eligendis ad aprobandum consilium. . . . . » *ib.*
Quod selarii possint etc. . . . . » 132
Quod albergator non ponat ante domum suam aliquod signum etc . . . . . » *ib.*
De non vendendis peciis fustaneorum etc. . . » *ib.*
Quod nullus massarius det aliquas pecias imblanchitori etc. . . . . » *ib.*
Quod iurent qui emunt pecias fuestanei etc . » 133
Quod stacionarii iurent infrascripto modo . . » *ib.*
Quod palioli sint longi x. brachia . . . . . » *ib.*
Quod custodes borearum predicta circhent . . » *ib.*
Quod imblanchitores bullent pecias etc. . . . » 134
Quod cridetur nullus faciat aliquam peciam etc. » *ib.*
Quod cimatores etc . . . . . » *ib.*
Quod eligatur consul loco illius etc. . . . . » *ib.*
Quod qui non fuit usus mercadaudia per v. annos etc. . . . . » 135
Quod quilibet qui est de paratico formaiariorum etc . . . . . » *ib.*
De curreriis induendis . . . . . » *ib.*
Quod quilibet teneatur consignare consulibus librum etc . . . . . » *ib.*
Quod campsores euntes ad mercata etc . . . . » 136
Quod consules compellant fabricos consignare signa . . . . . » *ib.*
Quod heredes mercatoris defunti etc . . . . . » *ib.*
Quod filii illius defunti qui recepisset terminum etc . . . . . » 137
Quod si quis fuerit de aliquo paratico, filii eius sint de eodem . . . . . » *ib.*
De camino Ianue preparando. . . . . » *ib.*
De ractione reddenda per camararium et sindicum » *ib.*
Quod consules et camararius paraticorum etc . » 138
Quod pensatores staderiarum etc . . . . . » *ib.*
Non possit esse consul qui non fuerit mercator. » *ib.*
De camarario mercadandie elligendo . . . . » 139
De banno auferendo qui extra tecta aliquid tenuerit etc. . . . . » *ib.*
Non sit de consilio nuxii qui fuit condempnatus de furto . . . . . » *ib.*
Quod qui venerit ad batendum bambaxium etc. » *ib.*
Quod questiones finiantur usque ad quatuor menses . . . . . » *ib.*
Quod apellaciones non recipiantur per consules. » 140
De securitate danda per imblanchitores . . . » *ib.*
De sindico faciendo . . . . . » *ib.*
Capitula curerii nuxii . . . . . » *ib.*
Quod ultra tres menses pignora etc. . . . . » 142
Quod si quis receperit primum et secundum bannum etc . . . . . » *ib.*
Quod formagiarii de burgo possint tenere serandas . . . . . » *ib.*
Quod quilibet de iurisdic. nuxii possit venire ad causandum . . . . . » 143
Cogantur domini qui habent denarios staderiarum etc . . . . . » *ib.*
Quod banche piscium etc . . . . . » 144
Quod currerii non possint ire extra districtum etc . . . . . » *ib.*
Quod quilibet qui causaverit coram consulibus etc. . . . . » *ib.*
Quod non vendatur anulus auri etc . . . . . » *ib.*
Quod formagiarii possint ire in platea maiori etc. » *ib.*
Ne ligna venalia teneantur per burgum etc. . » 145
Quod socii teneantur in solidum etc . . . . » *ib.*
Quod draperii plac. tempore ferie etc. . . . » *ib.*
Quod non solvat intraticham qui etc . . . . » *ib.*
Quod nullus linarolus etc . . . . . » *ib.*
Quod pedagerii compellantur manifestare etc . » 146
De banno auferendo illi qui non dederit iustam mensuram . . . . . » *ib.*
Quod non exeant consules de civitate etc. . . » *ib.*

De solucione facienda illi etc. . . . . *pag.* 146
Quod si aliquis stetit extra placenciam etc . . » 147
Qui se excusaverit de taleis mercadandie etc. . » *ib.*
De conventionibus Ianue . . . . . » *ib.*
Non teneantur consules expellere rubaldos . . » *ib.*
De guado . . . . . » 148
Quod qui vendunt fustaneos etc. . . . . » *ib.*
Quod albergatores sint de iurisdicione nuxii etc. » *ib.*
Quod illi qui habent redditus nuxii etc. . . . » *ib.*
Quod qui vendit oleum etc. . . . . » *ib.*
Quod quilibet massarius possit habere bambaxium . . . . . » 149
Quod discipulus batendi bambaxium etc . . . » *ib.*
Quod laborator foresterius etc. . . . . » *ib.*
De eo quod tenentur facere pensatores staderie. » *ib.*
Quod possint esset consules filii et fratres consulum . . . . . » *ib.*
Quod batitor bambaxii etc . . . . . » 150
Procuretur per consules quod strata de guardamilio etc . . . . . » *ib.*
Quod consules elligant tempore ferie duos homines etc. . . . . » *ib.*
Quod foresterii vendentes drappum etc. . . . » *ib.*
Quod formagiarii non vadant per malgas etc. . » 151
Quod inter laboratorem et dominum habentem texeras etc . . . . . » *ib.*
Quod liceat formagiariis etc . . . . . » *ib.*
Quod hosterius non possit esse maloserius . . » *ib.*
De banno tollendo albergatori etc . . . . . » *ib.*
Quod soluciones facte etc . . . . . » 152
Quod filius familias etc. . . . . » *ib.*
De cureriis. . . . . » 153
De ambaxatoribus mittendis Cremonam . . . » *ib.*
Quod qui intraverit in paratico batitorum etc . » *ib.*
Quod staderia de domo non portetur etc. . . » *ib.*
Quod qui vendiderint linum ad minutum etc. . » 154
De racione reddenda per fratres etc. . . . . » *ib.*
Quod fuselus, asides, cazole etc. . . . . » *ib.*
Quod nullus ponat ad bucham abeveratoris etc. » *ib.*
Quod qui est de aliquo paratico etc. . . . . » 155
Quod liceat speciariis vendere lituarium . . . » *ib.*
De banno accipiendo illi qui convenerit debitorem etc . . . . . » *ib.*
De ambaxatoribus mittendis Cremone. . . . » *ib.*
Quod consules alicuius paratici etc. . . . . » 156
De non tenendo aliquam rem apicatam etc . . » *ib.*
De staderia ferariorum . . . . . » *ib.*
De malosaria non fienda per aliquem etc . . » 157
De duobus consulibus pro quolibet paratico . » *ib.*
Quod represalie civitatum Lombardie et Tuscane etc. . . . . » *ib.*
De pedagio solvendo occasione cambii etc. . . » *ib.*
De terminis receptis sub consulibus nuxii etc. . » 158
De canzelatione reformacionis super peciis fustanei . . . . . » *ib.*
De reditibus banitorum . . . . . » *ib.*
De mercedibus dandis imblanchitoribus . . . » *ib.*
De prohibendo ne meretrices etc. . . . . » 159
De circhatoribus borearum . . . . . » *ib.*
De arte tellarum scletarum . . . . . » *ib.*
De feodo paratici textorum . . . . . » *ib.*
De consulibus qui refutaverint vel morientur . » *ib.*
De debitoribus non detinendis nec pignorandis ante etc . . . . . » 160
De modo solvendi feodum consulibus . . . . » *ib.*
Quando intrare debeant consules paraticorum . » *ib.*
De eo quod facere debent consules ut moneta non trabuchetur . . . . . » *ib.*
De eligendo unum pensatorem per consules peciarum. . . . . » 161
Quo die elligi debeantur consules mercadandie. » *ib.*
De licencia vendendi ad credenciam . . . . » *ib.*
De zinellis fiendis . . . . . » *ib.*
De debitoribus detinendis et pignorandis etc. . » *ib.*
De salario dando notario emendatorum . . . » 162
De litigantibus coram consulibus . . . . *pag.* 162
De consulibus ellectis qui refutaverint. . . . » *ib.*
Quod non possit aliquis eligi in consulem etc . » *ib.*
Addicio capituli litium coram consulibus etc. . » 163
Quod nulla persona debeat impetrare literam per quam impediatur officium consulum . . » *ib.*
De solucionibus in bonis alicuius apsentati . . » *ib.*
De fide danda maloserio alicuius mercati etc. . » 164
De laboratoribus bambaxii et tellarum . . . » *ib.*
De burdis et tellis fiendis quinque quartarum. » *ib.*
De oblacionibus non fiendis nisi in festo S. M. Augusti . . . . . » *ib.*
De albergatoribus . . . . . » 165
De sartoribus. . . . . » *ib.*
De recipientibus terminos. . . . . » *ib.*
De reformationibus paraticorum non approbandis. . . . . » *ib.*
De consulibus non elligendis nisi excesserint etatem xxv. annorum . . . . . » 166
De pedagio Ianue recuperando . . . . . » *ib.*
De bambaxio veteri. . . . . » *ib.*
De fustaneis acordolatis fiendis . . . . . » 167
De staderia mercadandie incantanda . . . . » *ib.*
De filis existentibus extra restam fustaneorum . » *ib.*
De denariis laudagiorum et bannorum . . . » *ib.*
De hiis qui compelli possunt iurare sequelam mercatorum. . . . . » *ib.*
De satisdactionibus prestandis per revenditores. » 168
Quod currerii licenciam non habeant faciendi scribere terminum etc. . . . . » *ib.*
De tellis mercaderiis que non sint minus de xxx. etc . . . . . » *ib.*
De ractione reddenda per filios patribus . . » 169
De modo elligendi consules formagiariorum . . » *ib.*
De cessantibus in suo misterio quod non possunt esse consules . . . . . » *ib.*
De fustaneis fiendis cujuslibet maneriei . . . » *ib.*
De opere fiendo per consules quod capitula nuxii observentur. . . . . » 170
De rudere et fango removendo . . . . . » *ib.*
De ractione fienda foresteriis breviter. . . . » *ib.*
De penis impositis consulibus vendentibus bona nuxii . . . . . » *ib.*
De consignacione fienda correriis libri debitorum . . . . . » 171
De mercato fili et capiciorum . . . . . » *ib.*
De emendacione statutorum . . . . . » 172
Quod consules habeant in scriptis omnes represalias . . . . . » *ib.*
De hiis qui esse possunt curatores bonorum . » *ib.*
De libris consiliariorum mercadandie fiendae . » *ib.*
De laudagio solvendo camerario etc . . . . » *ib.*
De filiis mercatorum compellendis . . . . . » 173
De peciis burdorum fiendis . . . . . » *ib.*
De denariis bannorum non recipiendis per currerios . . . . . » *ib.*
De portis palacii nuxii claudendis quando statuta emendantur . . . . . » *ib.*
De modo pigandi burdos et tellas . . . . » *ib.*
De pena ponentibus pecias subtus bastum asinorum . . . . . » 174
De pena imposita tingentibus filum in galeto . » *ib.*
De patribus et fratribus filiorum familias non compellendis etc. . . . . » *ib.*
De emendatoribus statutorum elligendis . . . » *ib.*
De soluctionibus cassandis factis per curatores etc. . . . . » *ib.*
De soluctionibus estimatorum. . . . . » 175
De salario iudicum et sapientum ferencium sentenciam . . . . . » *ib.*
De banno et laudagio non recipiendis per notarium . . . . . » 176
De solucionibus cimatorum drapporum . . . » *ib.*
De penis impositis draperiis vendentibus in diebus Dominicis . . . . . » 177

De compellendis draperiis iurare etc . . . *pag.* 177
De pena imposita facientibus pomellos . . . » *ib.*
De solucionibus curatorum et extimatorum . . » 178
De feodo et salario consulum mercadandie . . » *ib.*
De modo elligendi consules mercadandie. . . » *ib.*
De ellectione extimatorum et eorum feodo . . » 179
De eo quod habere debent curatores non facientes soluciones. . . . . » *ib.*
De inquisicione de debitoribus pedagii Ianue et plac. . . . . » 180
Quod consules preconizari faciant de solucionibus cimatorum . . . . . » *ib.*
Addicio super tellis et fustaneis scavizandis. . » *ib.*
De hiis qui esse possunt consules mercadandie. » *ib.*
De curreriis mercadandie et quod esse possint etc. . . . . » *ib.*
De potestate renunciandi consulatum nuxii . . » 181
De solucione corateriorum et maloseriorum . . » *ib.*
De modo dandi sentencias diffinitivas . . . . » *ib.*
De terminis constitutis iudicibus . . . . . » 182
De consulibus cassandis qui steterint per mensem extra civitatem . . . . . » *ib.*
De pena imposita consulibus non venientibus ad bancum . . . . . » *ib.*
De contrahentibus societatem cum imblanchitoribus . . . . . » *ib.*
De pena imblanchitorum recipientium laboratores alicuius magistri nisi etc . . . . . » 183
Quod consules mercadandie teneantur facere circari pensarolos et alia pensa . . . . . » *ib.*

STATUTA MERCATORUM RECENTIORA

De auxilio dando dominis Rectori et Capitaneo per Consules Mercadandie . . . . . » 186
Nemo possit esse consul mercadandie nisi sit fidelis sacro sancte Ecclesie et amator. . . » *ib.*
Quod nullus possit esse currerius mercadandie qui non sit de parte Ecclesie. . . . . » *ib.*
Scribatur Consilium dactum per sapientes ea die qua dabitur ante quam sol sit stramontatus . . . . . *pag.* 187
Ille consul qui nunquam fuit consul mercadandie teneatur dare aliis consulibus prandium. » *ib.*
De racione reddenda fienda contra et adversus dominos societatum . . . . . » *ib.*
De magistris testarum circhandis . . . . . » 188
Quod nullus possit esse notarius nisi exercuerit officium manu propria . . . . . » *ib.*
Quod qui habet staderiam teneatur scribere totam mercadandiam que pensabitur . . . . » 189
De racione reddenda de quolibet scripto facto manu alicuius mercatoris . . . . . » *ib.*
De sofrano non bagniando . . . . . » *ib.*
Quod consules teneantur scribi facere omnia nomina et pronomina mercatorum . . . . » 190
Quod omnes processus qui fient sub consulibus nuxii teneant et valeant . . . . . » 191
Quod consules teneantur scribi facere hec statuta . . . . . » *ib.*
Quod deinceps tres consules eligantur ad mercadandiam . . . . . » *ib.*
Quod nullus possit esse consul nisi excesserit etatem triginta annorum . . . . . » 192
Quod nullus paraticus nisi duos consules deinceps habere debeat . . . . . » *ib.*
De florinis doratis . . . . . » *ib.*
Quod consules teneantur detineri facere quemlibet debitorem fugitivum . . . . . » 193
Quod consilium mercadandie sit deinceps Centum quinquaginta hominum . . . . . » *ib.*
De festo fiendo ad honorem Dei et Beate Marie Virginis de Augusto . . . . . » *ib.*
Quod staciones mercatorum debeant clauderi in Vigilia Sancte Marie de Augusto. . . . . » 194
Ne aliquis faber audeat dorare aliquam monetam alicui persone . . . . . » 195
Quod pecunia que debet dari mercadandie detur Camerario et non Consulibus . . . . » *ib.*
Capitula de mercatoribus fugitivis . . . . . » 199

STATUTA ANTIQUA COMUNIS PLACENTIE

LIBER PRIMUS

Quod dominus Galeaz sit et intelligatur dominus placentie et cetera . . . . . » 215
Quod in consilio generali eligantur lx. ad brevia. . . . . » 216
De sindico mittendo potestati. . . . . » 217
De sacramento potestatis et familie sue et sindicatu ipsorum . . . . . » *ib.*
De sacramento iudicum. . . . . » 222
De officio potestatis eius iudicum et familie sue. » *ib.*
De equis potestatis estimandis . . . . . » *ib.*
De officio camerarii . . . . . » 223
De ratione camerarii reddenda . . . . . » *ib.*
De revisamentis contra comune plac . . . . » *ib.*
De alienatione camerarii de re comunis prohibita . . . . . » 224
De compensatione non fienda contra comune placen. . . . . » *ib.*
De recuperatione bonorum et debitorum comunis. » *ib.*
De roba tubatorum . . . . . » *ib.*
De condemnationibus consignandis camerario . » *ib.*
De rebus comunis consignandis camerario . . » 225
De nominibus potestatum et eorum familie scribendis in libro. . . . . » *ib.*
De buleta potestatis . . . . . » *ib.*
De hospitibus non molestandis . . . . . » 226
De confessione potestatis . . . . . » *ib.*
De electione sindicatorum potestatis . . . . » *ib.*
De officio iudicum rationis. . . . . » *ib.*
De his ad que spetialiter potestates tenentur . » 227
De absentia eius sive potestatis sive alterius, de cuius preiudicio tractatur . . . . . » *ib.*
Quod nullus iudex valeat se intromittere de alterius officio. . . . . » *ib.*
Quod milites potestatis teneantur eorum favorem dicto potestati tradere. . . . . » 228
Quod potestas nec non eius milites non teneantur aliquem percutere . . . . . » *ib.*
De emptione rei comunis prohibita . . . . » *ib.*
De portis potestatis tenendis apertis . . . . » 229
Quod iudices horis congruis ius reddere teneantur. . . . . » *ib.*
Quod potestas non possit arbitrium petere in aliquo consilio . . . . . » *ib.*
De festo beate marie virginis: et beati antonini. » *ib.*
De vacatione regiminis. . . . . » 230
De concordia fienda inter cives per potestatem. » *ib.*
De campana placen. horis congruis pulsanda . » 231
De meretricibus non possentibus habitare intra fossata . . . . . » *ib.*
De processibus maleficiorum fiendis . . . . » *ib.*
De detentione personarum non fienda per potestatem. . . . . » 232
De militibus potestatis ad merchata mittendis . » *ib.*
De electione consilii generalis . . . . . » *ib.*
De fossatis comunis per potestatem videndis . » 234
De statutis et provisionibus comunis observandis. . . . . » *ib.*
De portis civitatis videndis mandato potestatis. » *ib.*

De auxilio dando per potestatem officialibus petentibus . . . . . *pag.* 234
De mittendo unum iudicem vel militem pro maleficiis. . . . . » 235
De officiis notariorum ad brevia dandis . . . » *ib.*
Quod potestas non permittat stare intra baras aliquam personam quando dantur officio . . » *ib.*
Quod nullus notarius possit retinere plura officia . . . . . » *ib.*
Quod nullus notarius ad aliquod officium compellatur . . . . . » *ib.*
Quod notarii teneantur stare horis debitis ad officia . . . . . » *ib.*
Quod duo fratres minores debeant interesse dationi officiorum . . . . . » 236
De notariis eligendis ad officia . . . . . » *ib.*
De vacatione notariorum . . . . . » *ib.*
De notariis constituendis et ponendis in matricula . . . . . » *ib.*
Quod aliquis non possit exercere artem notarie nisi sit in matricula notariorum . . . . . » 237
De electione notariorum quando officia dantur ad brevia . . . . . » *ib.*
Qualiter consules notariorum recomandare habeant . . . . . » 238
Qualiter potestas tenetur dare ordinem de imbreviaturis notariorum recomendandis . . . » *ib.*
Qualiter adhibeatur fides instrumentis finiendis per notarios ad imbreviaturam alterius notarii. » 239
De fide adhibenda instrumentis autenticatis . . » 240
De non possendo finire aliquod instrumentum ad imbreviaturam mortificatam. . . . . » *ib.*
De curreriis . . . . . » 241
Qualiter currerii debent facere citationes. . . » 242
Qualiter currerii debent facere citationes et saximenta referre . . . . . » *ib.*
De limitatione salariorum curreriorum . . . » 243
Quod consules villarum teneantur dare auxilium curreriis . . . . . » 244
De numero tubatorum et eorum sallario. . . » *ib.*
De tubatoribus induendis . . . . . » 245
De salario curreriorum. . . . . » *ib.*
De taxatione tubatorum pro cridis mortuorum. » *ib.*
De cridis tubatorum scribendis . . . . . » 246
De solucione tubatorum . . . . . » *ib.*
De officiis estimatorum et eorum cessatione. . » *ib.*
De potestatibus Vallistarii fiendis etc . . . . » *ib.*
De questionibus terminandis per consules mercatorum . . . . . » 247
De consulibus mercatorum et eorum iurisdictione. . . . . » *ib.*
De his quibus consules mercatorum non habent iurisdictionem . . . . . » *ib.*
De paraticis non facere debentibus aliqua statuta. » 248
Quod nulla provisio valeat si non fuerit aprobata a consilio generali. . . . . » *ib.*
De consulibus paraticorum non imponere debentibus aliquam taleam . . . . . » *ib.*
De condempnationibus exigendis . . . . . » 249

LIBER SECUNDUS

De iudiciis et instanciis causarum . . . . . » 250
De forma libelli servanda . . . . . » 256
De appellationibus . . . . . » *ib.*
De modo et forma appellandi . . . . . » 259
De appellationibus recipiendis . . . . . » 260
De modo procedendi in appellatione . . . . » *ib.*
De diebus feriatis . . . . . » 261
De feriis generalibus . . . . . » 263
De diebus utilibus tenendis per notarios . . . » *ib.*
De curatore dando bonis . . . . . » *ib.*
De inventario per curatorem fiendo . . . . » 266
De solutione facta per curatorem . . . . . » 267
De forma executionis contra debitorem . . . » *ib.*
De sententia danda secundum formam consilii sapientis . . . . . *pag.* 268
Quod nullus officialis possit esse consultor . . » *ib.*
De interrogationibus fiendis . . . . . » *ib.*
De possessione xxx. annorum . . . . . » 269
Quod instrumenta edantur integraliter . . . » *ib.*
De gravaminibus et petitione consilii sapientis et forma eorum servanda . . . . . » *ib.*
De confidentibus dandis et suspectis . . . . » 271
De advocatis dandis non habenti . . . . . » 272
De prohibitione pignoris . . . . . » *ib.*
De hypothecaria et modo procedendi in ea. . » *ib.*
De citationibus et contumatiis . . . . . » 274
De pignoribus recomendandis . . . . . » *ib.*
Quod victus victori intelligatur condemnatus in expensis . . . . . » *ib.*
De saximentis fiendis . . . . . » 275
De saximentis fructuum in campis . . . . . » 276
De re saxita presentanda . . . . . » *ib.*
De saximento non valituro ultra annum . . . » 277
De divisionibus rerum comuninm fiendis. . . » *ib.*
De eisdem et de modo procedendi. . . . . » *ib.*
De compromissis sine termino factis . . . . » *ib.*
De reductionibus ad arbitrium boni viri . . . » 278
Quod officiales non reddant ius concivi suo. . » *ib.*
Quod non utens mercantia non conveniatur coram consulibus mercantie . . . . . » *ib.*
Qui dari tutores et curatores possunt. . . . » *ib.*
De moderatione testium . . . . . » 279
De modo scribendi testes . . . . . » *ib.*
De prosneticis in testes recipiendis . . . . » *ib.*
De mulieribus compellendis ad testificandum . » *ib.*
De citationibus testium. . . . . » 280
De testibus non recipiendis post publicationem testium . . . . . » *ib.*
De dote exigenda per absentiam viri per septennium. . . . . » *ib.*
De questionibus mercedis cibi et potus et de venditione rerum mobilium . . . . . » 281
Quod quis non compellatur ire extra civitatem. » *ib.*
De interdictione bonorum. . . . . » *ib.*
De primo et secundo decreto sublatis. . . . » 282
De modo procedendi in causis summariis . . » *ib.*
De iuramento calumnie. . . . . » 284
De iuramento necessario . . . . . » 285
De testibus ad eternam rei memoriam recipiendis. . . . . » *ib.*
De delegatione causarum . . . . . » 286
De prohibita detentione mulierum . . . . . » *ib.*
De audiendis sine satisdatione. . . . . » *ib.*
De sententiis arbitrorum exequendis . . . . » 287
De decimis . . . . . » *ib.*

LIBER TERTIUS

De prohibita alienatione in non subditum . . » 289
Quod emphitheote teneantur ostendere proprietates dominis . . . . . » *ib.*
De emphyteotis recusantibus solvere ficta . . » 290
De cessatione fictorum . . . . . » 291
Si unus ex pluribus emphitheotis cessaverit in solutione. . . . . » 292
De prescriptione xx. annorum contra non petentes ficta . . . . . » 293
Quod emphitheota non possit incidere arbores. » *ib.*
De deterioratione rei emphitheotice . . . . » *ib.*
De cessatione solutionis ficti per annum . . . » 294
De prohibita alienatione rei emphitheotice . . » *ib.*
De re emphitheoticaria in solutum danda . . » 295
Quod dominus sit potior in fructibus: et quod non possit ius redimendi alienari . . . . » 296
De canone deposito per triennium . . . . . » 297
Quod creditor teneatur facere instrumentum confessionis debiti soluti. . . . . » *ib.*
Quod sententia lata contra dominum noceat

emphitheote et non et contra. . . . . *pag.* 298
Quod domus emphitheotica non possit dirui. . » *ib.*
De estimatione fictorum pro certis annis. . . » *ib.*
De contractibus cum filio familias prohibitis . » 299
De promissione vendendi et retradendi . . . » *ib.*
De clausula de relevando procuratore a satisdatione . . . . . » 300
Quod ubi petitur dos vivente marito quod non possit peti antifactum . . . . . » *ib.*
De fideiussoribus et intercessoribus . . . . » *ib.*
De solvente pro aliquo comunitate. . . . . » 301
De prescriptione XXX. annorum . . . . . » 302
Quod prescriptio non currat contra dotes. . . » *ib.*
De prescriptione quinquennii . . . . . » *ib.*
De cassatione certarum talearum et estimorum. » 303
De venditionibus duobus factis de eadem re . » *ib.*
De donatione et eius insinuatione . . . . . » 304
De donatione causa mortis . . . . . » *ib.*
De prohibita alienatione rerum sancti lazari . » *ib.*
De sacramento minorum et puberum . . . » 305
De confitente se maiorem XXV. annis . . . . » *ib.*
De minore contrahente cum eius tutore vel curatore . . . . . » 306
De mulieribus facientibus fines . . . . . » *ib.*
De obligationibus occasione ludi. . . . . » 307
Quod nullus emat contra comune . . . . . » *ib.*
De vendente et non recipiente precium . . . » *ib.*
De locationibus et inquilinis . . . . . » 308
Quod locator domus non possit expellere inquilinum. . . . . » *ib.*
Quod massarii debeant requirere dominum tempore messium . . . . . » 309
Quod dominus possit adonegare si velit . . . » *ib.*
Quod massarii teneantur conducere blada . . » 310
De repudiatione hereditatis . . . . . » *ib.*
De antifacto et donatione propter nuptias . . » *ib.*
De dote et antifacto lucrandis . . . . . » *ib.*
De alienationibus simulatis . . . . . » 314
De depositis ante terminum non petendis . . » 315
De deposito etc. . . . . » *ib.*
De deposito et modo procedendi . . . . . » *ib.*
Quod vassallus teneatur ostendere rem feudalem domino . . . . . » 315
De confitente se vassallum . . . . . » *ib.*
De feudatariis renunciantibus feudo . . . . » *ib.*
Quod prescriptio non currat in feudis . . . » 316
De feudo dato in solutum . . . . . » *ib.*
Quod emptor non possit petere nisi et prout venditor ipso poterat . . . . . » *ib.*
Quod forensis possit detineri . . . . . » *ib.*
Quod ex alia causa quam depositi quis non detineatur . . . . . » 317
De aditione hereditatis per tutorem . . . . » *ib.*
De legatis et modo procedendi in legatis relictis Ecclesie . . . . . » *ib.*
De clausula domina et dona et usufructuaria . » *ib.*
Quod heres intelligatur possessor bonorum defuncti. . . . . » 318
Quod testes requiruntur in testamentis . . . » *ib.*
De inventariis heredum . . . . . » *ib.*
Quod interfectores non succedant defuncto. . » *ib.*
De imbreviaturis defunctorum . . . . . » *ib.*
Quod sufficiat accipere tenutam in una re pro omnibus . . . . . » 319

LIBER QUARTUS

De spoliatis . . . . . » 320
De oneribus et cui debeant imponi . . . . » 321
De consulibus villarum elligendis . . . . . » 322
De Equalitate onerum realium et personalium . » *ib.*
Quod massarii non teneantur pro vicinis . . » 324
Quod vicinea non teneatur pro vicino . . . » *ib.*
De equis perditis in bello ut emendentur per comune . . . . . » 325
De bubulcis sedentibus super carro seu barotio . . . . . *pag.* 325
De his que pertinent ad iudicem pontium et viarum . . . . . » *ib.*
De refectionibus pontium et viarum . . . . » *ib.*
De ponte trebie reficiendo . . . . . » 328
De legatis et redditibus pontis trebie . . . » 329
De stratis solandis . . . . . » *ib.*
De ponte nurie aptando . . . . . » 330
De iuribus comunis contra domum rochi. . . » *ib.*
De stratis spazandis. . . . . » *ib.*
De sedilibus removendis . . . . . » 331
De ponte arde ad curtem maiorem. . . . . » *ib.*
De pontibus clavene fiendis . . . . . » *ib.*
De viis spazandis et desbozandis . . . . . » *ib.*
De andictis et cloacis spazandis . . . . . » *ib.*
De via cremonensi et clavene aptanda . . . » 332
De boschis iuxta stratam cedendis . . . . . » *ib.*
De fenestris borarum aptandis . . . . . » 333
Quod seglaria et foramina habeant horificia. . » *ib.*
De sedilibus comunis reficiendis . . . . . » *ib.*
De via publica vel vicinali non occupanda . . » *ib*
De banchis bechariorum . . . . . » 334
De impedimentis removendis de via . . . . » *ib.*
De porcis ferrandis in grugno . . . . . » *ib.*
De magistris et discipulis exercentibus artem lane et laboreriurı terrarum ut sint decennio immunes . . . . . » *ib.*
De immunitate hominum de montiselis guaragnorum . . . . . » 336
De immunitate hominum castri sancti ioannis . » *ib.*
De immunitate magistrorum grammatice et doctorum de collegio . . . . . » *ib.*
Quod quilibet possit exercere quamlibet artem mecanicam . . . . . » 237
De campariis eligendis in villis . . . . . » *ib.*
De repressaliis et modo concedendi. . . . . » 338
De questionibus comunis cum consortibus vicinis decidendis per arbitros. . . . . » 339
De putheo comuni spazando . . . . . » 340
De mercato maioris ecclesie . . . . . » *ib.*
De pedagiis non solvendis per cives . . . . » 342
Quod quilibet possit denunciare et requirere potestati . . . . . » *ib.*
De iurisdictione potestatum episcopatus placen. » *ib.*
Quod salaria potestatum solvantur per homines dictarum terrarum. . . . . » 343
Quod habentes loco in platea debeant illa mundare . . . . . » *ib.*
De rivo sancti antonini. . . . . » *ib.*
De arboribus inserendis et plantandis . . . » *ib.*
De arboribus removendis de clavena . . . . » 344
De lignis et arboribus aliorum fluminum. . . » *ib.*
De gurris cedendis in trebia. . . . . » *ib.*
De salicibus lurete incidendis. . . . . » 345
De argino pantani fiendo . . . . . » *ib.*
De rumentis non proiiciendis de balcono . . » *ib.*
Quod via possit mutari. . . . . » *ib.*
De vacatione consulum massariorum et camariorum. . . . . » *ib.*
Quod cuilibet possit aptare pelicias. . . . . » 346
De cavo fluminis regii . . . . . » *ib.*
De decimis et possessionibus earum . . . . » 347
De operis novi nunciatione . . . . . » 348
De clausuris fiendis . . . . . » *ib.*
De via danda non habenti. . . . . » 349
Quod quis compellatur stare cum eo cum quo convenit . . . . . » *ib.*
De ecclesia sancte Marie de bigollis . . . . » *ib.*
Quod potestas baratarie faciat spazari plateam. » *ib.*
De confinibus civitatis . . . . . » 350
Quod ville inhabitate non possint condemnari . » *ib.*
De ponte albarole. . . . . » *ib.*
De solutione magistrorum grammatice . . . » 351
De solutione notariorum pro instrumentis. . . » *ib.*

De solutionibus salariorum iudicum. . . . *pag.* 353
De salario advocatorum et procuratorum. . . » 355
De sapientibus assumptis ad consulendum super questionibus. . . . . » 356
De civibus impetrantibus mandata nundinarum. » 357
De securitate prestanda per consules villarum . » 358
De pena tenentium aliquod impedimentum in stratis publicis . . . . . » 359
De securitate prestanda per castellanos . . . » *ib.*
De forma satisdationis . . . . . » *ib.*
De pena tenentium bannitos in eorum fortalitiis . . . . . » 361
Quod nullus baroarius potestatis possit accipere aliquid in civitate . . . . . » 362
De non ponendo linum ad macerandum . . . » *ib.*
De sale habendo per advocatos . . . . . » *ib.*
De nobilibus simulatis . . . . . » *ib.*
Quod masculinum genus concipiat femininum . » 363

LIBER QUINTUS

De capiendo malefactores . . . . . » 364
De corrumpentibus officiales . . . . . » *ib.*
De arsaleis . . . . . » 365
De terminis . . . . . » *ib.*
De his qui maledixerint . . . . . » *ib.*
De accusis que fiunt de villis . . . . . » 366
De damnis et guastis datis occulte. . . . . » *ib.*
De bestiis dantibus damnum . . . . . » 367
De damnis et guastis . . . . . » *ib.*
De animalibus occisis vel vulneratis . . . . » 368
Quod nullus det damnum vel guastum in fossatis . . . . . » *ib.*
De accusis fiendis. . . . . » *ib.*
Qui accusaverit et non probaverit . . . . . » 369
De conducentibus vinum adaquatum . . . . » 370
De pena ponentium ollegos in vinum. . . . » *ib.*
De accusis et processibus . . . . . » *ib.*
De occupatoribus terrarum . . . . . » 371
De turbatione in possessione. . . . . » *ib.*
Quod occupator et turbator non possit referre questionem adversario . . . . . » *ib.*
De terris non laboratis per minas. . . . . » 372
De pena euntium de nocte . . . . . » *ib.*
De pena tenentium post campanam canevas apertas . . . . . » *ib.*
De matrimoniis clandestinis et non debitis . . » *ib.*
De contestatione litis super accusationibus . . » 373
De ordine habendo contra contumaces. . . . » 374
De pena committentium falsa in scripturis . . » *ib.*
De pena falsi testis in criminalibus . . . . » 375
De ludentibus ad taxillos . . . . . » 376
Quod in omni causa criminali possit iudex maleficiorum procedere per accusam et inquisitionem . . . . . » 377
De pena portantium arma. . . . . » *ib.*
Quod hospites teneantur notificare hospitibus suis ne ferant arma . . . . . » 378
De verbis iniuriosis . . . . . » *ib.*
De pena percutientium . . . . . » *ib.*
De penis committentis vel committi facientis homicidium . . . . . » 379
De pena facientium insultus . . . . . » *ib.*
De adulteriis . . . . . » *ib.*
De raptu mulieris . . . . . » *ib.*
De ille qui contra aliquem emanaverit de manu vel pede . . . . . » 380
De verbis iniuriosis . . . . . » *ib.*
De furibus et latronibus . . . . . » *ib.*
De pena receptantium latrones . . . . . » 381
De assassinis . . . . . » *ib.*
Quod nullus reddat ius in villa nisi qui fuerint deputati . . . . . » *ib.*
De tributis . . . . . » 382
Quod nulla femina carceretur cum viris . . . » *ib.*
Quod nemo prohibeat accipere sabulum . . *pag.* 382
De pena officialium comittentium fraudem in eorum officiis . . . . . » *ib.*
De pena transeuntium super muros civitatis . » *ib.*
De pena currentium equos per civitatem . . » *ib.*
De aquis et rivis. . . . . » 383
De habentibus testam . . . . . » *ib.*
De duplicatione penarum . . . . . » *ib.*
De possentibus ducere rivos . . . . . » *ib.*
De existentibus in possessione seu quasi ducendi aquam per xx. annos . . . . . » 384
De pena non facientium exportari immunditias. » *ib.*
De modo observando quando dividuntur aque trebie . . . . . » 385
De aquis. . . . . » *ib.*
De clusis non fiendis in rivis. . . . . » 388
De hiis qui non solverint partem rivorum suorum . . . . . » *ib.*
Quod potestas compellat consortes rivi ad dividendam aquam . . . . . » *ib.*
De quindenis aquarum . . . . . » 389
De pertinentibus aquarum quindenam. . . . » *ib.*
De accipientibus quindenam non divisam. . . » *ib.*
De habentibus testam iuxta rivos . . . . . » 390
De datis et concessis iuribus aquarum fiendis per camerarium . . . . . » 391
De divisionibus aquarum . . . . . » *ib.*
De rivis civitatis terminandis et mitiplanandis . » *ib.*
De traversis rivorum . . . . . » *ib.*
De ducentibus aquam . . . . . » *ib.*
De impedimentis rivi comunis . . . . . » 392
Quod camararius comunis possit vendere aquas. » *ib.*
De custodibus castrorum . . . . . » *ib.*
De capitaneo qui se absentaverit a custodia castri » 393
De villis non capientibus malefactores. . . . » *ib.*
De pena massariorum non capientium malefactores . . . . . » 394
De pena incurrenda furanti canem. . . . . » 396
De pena fabricantium falsam monetam. . . . » *ib.*
De imbreviaturis non vendendis. . . . . » *ib.*
De pena proditorum. . . . . » 397
De pena prohibentium capi malefactores. . . » 398
De pena talionis . . . . . » *ib.*
Qualiter quis debeat tormentari . . . . . » *ib.*
Da fabricis non observantibus ligam . . . . » 399
Quod quilibet officialis possit accusari durante officio . . . . . » *ib.*
Quod iudex maleficiorum in causis civilibus possit sententiare de consilio sapientis . . . . » 400
De pena capientium columbos . . . . . » *ib.*
Quod non teneantur bestie infra confinia. . . » *ib.*
Infrascripta sunt statuta ordinamenta additiones provisiones et correctiones facta et facte ad reformandum malitias bannitorum . . . . » 401
De feritis in vultu . . . . . » *ib.*
De pena ponentium ignem in aliquibus stipulis et cetera. . . . . » 402
De pena exportantium ligna de nemoribus alicuius absque licentia etc. . . . . » *ib.*
De pena intrantium vineam alicuius tempore uvarum etc. . . . . » 403
De pena dantium damnum et guastum cum eorum bestiis . . . . . » *ib.*
De pena massariorum et aliorum tenentium maiorem quantitatem porcorum . . . . . » 404
De modo observando circa probationes damni et guasti dati et facti . . . . . » 405
De fide danda libris dominorum contra massarios socidanos . . . . . » *ib.*
De observatione suprascriptorum statutorum . » 406

LIBER SEXTUS

De ponderibus mensuris staderis et cetera . . » 407
De agrimensoribus . . . . . » 408

De urnis bullandis . . . . . *pag.* 408
De pena non habentium iusta pondera . . . » *ib.*
De penis bechariorum ponderantium non iuste. » *ib.*
De villis que habere debeant unum starium . » 409
De bladis et leguminibus . . . . . » *ib.*
De mensuris . . . . . » *ib.*
De vendentibus sabulum . . . . . » 410
De fornasariis . . . . . » *ib.*
De revenditoribus cupporum . . . . . » *ib.*
De capientibus perdicem . . . . . » *ib.*
De rebus prohibitis extrahi civitatem vel episcopatum . . . . . » *ib.*
De mulinariis et eorum fanticellis . . . . . » 412
De molinariis . . . . . » *ib.*
De reficientibus carrum feni . . . . . » 413
De barberiis . . . . . » *ib.*
De exigenda a certis villis securitate victualium. » *ib.*
De licentia conducendi vinum . . . . . » 414
De bestiis ducendis . . . . . » 415
De blado emendo et vendendo . . . . . » *ib.*
De non debentibus excoriare bestias in civitate. » *ib.*
De calderariis . . . . . » 416
De revenditoribus . . . . . » *ib.*
De candelis de sepo . . . . . » *ib*
De paraticis. . . . . » 417
De nundinis. . . . . » *ib.*
De victualiis conducendis ad quemlibet exercitum. . . . . » *ib.*
De furnariis. . . . . » 418
De pena affaytantium vinum in platea maioris ecclesie . . . . . » 422
De inquisitione fienda contra facientes canevam casei et carnium salitarum . . . . . » 423
De caseo consignando . . . . . » *ib.*
De sale . . . . . » 425
De incidentibus ligna . . . . . » 436
De victualibus . . . . . » *ib.*
De gabellatoribus . . . . . » 437
De iurisdictione victualium. . . . . » *ib.*
De vendentibus vinum ad minutum . . . *pag.* 438
De bechariis . . . . . » *ib.*
De calmerio fiendo carnibus recentibus salsis, et caseo . . . . . » 439
De prohibita liga et coniuratione artium . . . » 440
De ementibus pisces . . . . . » *ib.*
De piscatoribus . . . . . » 441
De bechariis . . . . . » 445
De ferrariis grossis et minutis . . . . . » *ib.*
De sartoribus . . . . . » 447
De magistris murorum et lignaminis . . . . » 449
De formagiariis . . . . . » *ib.*
De portatoribus . . . . . » *ib.*
De zochulariis. . . . . » 450
De callegariis . . . . . » 451
De fornasariis. . . . . » *ib.*
De cimatoribus . . . . . » 452
De prebendis dandis per hospites . . . . . » *ib.*
De calderariis . . . . . » *ib.*
De notariis et officialis salis . . . . . » 453
De curreriis . . . . . » 454
De inferentibus iniurias advocatis et procuratoribus . . . . . » 455
De scripturis et notariis . . . . . » 456
De consulibus villarum etc. . . . . » *ib.*
De campsoribus . . . . . » 457
De modulis lapidum cupporum et tavellarum . » 458
De fornasariis . . . . . » *ib.*
De donis . . . . . » 459
De domibus non devastandis etc. . . . . » 460
Quod debeat prius conveniri principalis quam fideiussor . . . . . » 461
De alienatione in non subditum. . . . . » *ib.*
De notariis . . . . . » 462
De pena alienantium in non subditos . . . . » *ib.*
Qualiter banniti possint exire de banno . . . » *ib.*
Quod non intelligatur derogatum esse alicui decreto . . . . . » *ib.*

STATUTA COLLEGII IURISCONSULTORUM

De electione et iuramento Prioris, Notarii, et ordine Collegii . . . . . » 468
De ordine et forma recipiendorum in Collegio . » 469
De oblationibus fiendis . . . . . » 471
De honore fiendo. . . . . » *ib.*
De stario salis annuatim habendo . . . . . » *ib.*
De advocato miserabilium personarum et eius sallario. . . . . » 472
De sermone introitu potestatum placencie . . » 473
De intercessionibus, fideiussionibus, et promissionibus . . . . . » *ib.*
De questionibus illorum de Collegio cum aliis . » *ib.*
De questionibus illorum de Collegio inter se se. » 474
De congregatione Collegii . . . . . » *ib.*
De iniuriis factis illis de Collegio . . . . . » 475
De filiis familias existentibus in dicto Collegio. » 475
De baldechino seu palco portando . . . . . » *ib.*
De absentibus causa rei publice. . . . . » 476
De compositione questionum . . . . . » *ib.*
De non allegando in diebus feriatis . . . . » *ib.*
De non eundo ad Bancha Iuris . . . . . » 477
De advocatis forensibus. . . . . » *ib.*
De locis actuum publicorum . . . . . » *ib.*
Si hec Statuta servata non fuerint . . . . . » *ib.*
De expensis. . . . . » *ib.*
De statutis penes Priorem permanendis . . . » 478
De loco Collegii acquirendo . . . . . » *ib.*
Quod collegium possit condere statuta. . . . » *ib.*
De auxilio prestando per officiales . . . . . » *ib.*

STATUTA NOTARIORUM

De Consulibus eligendis . . . . . » 489
De electione Consulum . . . . . » 490
De electione Syndicorum, Consulum, Sapientum et Camerarii. . . . . » 491
De electione Camerarii . . . . . » 493
De iuramento Consulum . . . . . » 495
De repudiantibus Consulatum. . . . . » *ib.*
De iurisdictione, et potestate Consulum . . . » *ib.*
De Consilio generali eligendo. . . . . » 496
De electione Curreriorum . . . . . » 497
De non expendendo de havere Collegii. . . . » *ib.*
Quod consules exigant vel exigi faciant etc. . » 498
De arnixio, et bonis dicti Collegii . . . . . » *ib.*
De Consulibus, Camerario, et Syndicatoribus Collegii indemnibus conservandis . . . . » *ib.*
De observandis preceptis Consulum . . . . » 499
De iis, qui recusaverint obedire Consulibus. . » *ib.*
De verbis iniuriosis adversus Consules . . . » 501
De iniuriis non fiendis in Pallatio Collegii, aut in Consilio generali, vel speciali . . . . . » *ib.*
De solicitudine habenda per Consules, circa palatium Collegii . . . . . » 502

De festo S. Mariae de Augusto celebrando . *pag.* 502
De oblatione S. Protasii . . . . . » *ib.*
De oblatione fienda Hospitalibus . . . . . » 503
De reducendo ad concordiam Notarios . . . » *ib.*
De fide fama, et legalitate notariorum servanda. » *ib.*
De auxilio, et favore prestandis D. Postestati Placentie . . . . . » 504
De recuperandis pignoribus . . . . . » *ib.*
De eundo ad sepolturas Notariorum defunctorum. . . . . » 505
De ordine observando in sessionibus publicis . » *ib.*
De interrogationibus corrigendis, ... » 506

SECUNDUS LIBER

De thematibus fiendis . . . . . » 507
De forma observanda circa approbationem Notariorum . . . . . » *ib.*
De matricula Notariorum . . . . . » 509
De modo observando circa officia Notariorum . » 510
De eo, quod solvere debent Notarii pro quolibet officio. Et de deputatione Notariorum ad dicta officia . . . . . » 513
Quod nullus possit officium exercere pro aliquo, qui non sit approbatus . . . . . » 514
Quod nullus Notarius solutionem recipiat a Notariis officii causae etc. . . . . » 515
De iis, ad que tenentur Notarii electi ad officia in officiis exercendis. . . . . » *ib.*
Quod Consules procurent dare Notarios aliquos aliis Officialibus tam Civitatis, quam Episcopatus Placentie. . . . . » 516
De signo, et nomine Notariorum ponendo in principio breviaturarum. . . . . *pag.* 517
Quod stetur decisioni Consulum de questionibus mercedum instrumentorum et scripturarum . » *ib.*
De manifestando breviaturas Notariorum defunctorum. . . . . » 518
De novo registro fiendo . . . . . » *ib.*
Quod aliquis non finiat scripturas, vel instrumenta penes aliquos qui non sint Notarii, existentia . . . . . » 519
Quod nullus recommendet laico non Notario breviaturas suas. . . . . » *ib.*
De faciendo deponi breviaturas cuiuslibet Notarii defuncti sine filiis qui non sint Notarii, penes unum Notarium . . . . . » *ib.*
Quod aliquis Notarius non vendat, impignoret vel celet, aliquas breviaturas . . . . . » 520
Quod Rectores faciant coram se venire speciarios, et revenditores . . . . . » *ib.*
Quod quilibet Notarius possit accipere XII. denarios pro circatura cuiuslibet instrumenti alias finiti . . . . . » *ib.*
Quod liceat Notario finire instrumenta ad imbreviaturas defunctorum . . . . . » 521
Quod nemini liceat quomodolibet aliquid impetrare contra Collegium . . . . . » *ib.*
De consulibus, et penis. . . . . » *ib.*
Quod Potestas teneatur prestare auxilium Consulibus . . . . . » 522
De cassatione Statutorum veterum. . . . . » *ib.*
De confirmatione Statutorum predictorum, tenor literarum Ducalium sic incipit. . . . . » 523

STATUTA CLERICORUM
AB EPISCOPIS ALBERICO ET BERNARDO CONDITA

Statuta Clericorum ab episcopo Alberico condita . . . . . » 529
Statuta Clericorum ab episcopo Bernardo condita . . . . . » 537
Quod Clerici intersint divinis officiis . . . . » *ib.*
Quod Clerici ministrent Sacerdotibus . . . . » 538
Quod Ecclesie servent ordinem matricis Ecclesie. » *ib.*
De habitu Clericorum . . . . . » *ib.*
Quod Clerici non intrent domos suspectas . . » 539
Quod Clerici non exerceant usuras. . . . . » *ib.*
De habitu Clericorum . . . . . » *ib.*
Quod habentes curam sint promoti ad Sacerdotium . . . . . » *ib.*
De habitu deferentis Eucaristiam . . . . . » *ib.*
Quod Clerici abiiciant focarias et filios . . . » 540
Quod Clerici non teneant mulieres in domo. . » *ib.*
Quod Clerici non prestent patrocinium in Foro Seculari . . . . . » *ib.*
Quod Clericus non teneat duo beneficia . . . » *ib.*
Quod Prelati faciant massarium. . . . . » 541
Quod nullus Clericus se immisceat secularibus negotiis . . . . . » *ib.*
Quod Clerici sequantur in pulsatione horarum matricem Ecclesiam . . . . . » *ib.*
Quod Clerici habentes locum et beneficium sint promoti ad Sacerdotium. . . . . » *ib.*
Quod Clericus non audeat portare infulam . . » *ib.*
Quod Presbiteri non recipiant ad sepolturam usurarios sine licentia Episcopi . . . . . » 542
Quod Sacerdos non recipiat ad penitentiam usurarios sine licentia Episcopi . . . . . » *ib.*
Quod Sacerdos non recipiat ad Divina Officia non parochianum. . . . . » *ib.*
De presentandis Ordinandis . . . . . » *ib.*
De presentatione ad Sacros Ordines fienda . . » 543
De Presbitero extraneo non admittendo ad Missam . . . . . » *ib.*
Quod Clerici non faciant comatres . . . . . » 543
De falsariis et maleficiis . . . . . » *ib.*
De Missis celebrandis per Prelatos. . . . . » 544
De residentia fienda per Curatos . . . . . » *ib.*
De Clericis portantibus arma . . . . . » *ib.*
Quod Clericus non se obliget coram aliquo Iudice . . . . . » *ib.*
Quod nullus Clericus vadat ad mercata . . . » 545
Quod Clericus debeat portare tonsuram . . . » *ib.*
Quod nullus Clericus seu Prelatus conferat tonsuram alicui. . . . . » *ib.*
Quod nullus admittatur post matutinum in Ecclesia vel cimiterio . . . . . » *ib.*
Quod nil geratur in Ecclesia . . . . . » 546
Quod Iudex secularis non trahat coram se Clericum . . . . . » *ib.*
Quod nulla persona Ecclesiastica alienet aliquid. » *ib.*
Quod nulla persona retineat aliquid Ecclesie . » 547
De inventario conficiendo per Presbiterum . . » *ib.*
Quod Clerici non ludant aut assistant. . . . » *ib.*
De Monialibus. . . . . » *ib.*
Quod Presbiteri non dicant nisi unam missam in die. . . . . » 548
De usurariis . . . . . » *ib.*
De occupantibus bona Ecclesie et prestantibus auxilium . . . . . » 551
Quod Medicus debeat notificare infirmo de Confessione . . . . . » 553
De casibus reservatis Episcopo . . . . . » *ib.*
Quod habens beneficium teneatur celebrare. . » 554
Quod habens beneficium teneatur expendere in Ecclesia medietatem . . . . . » *ib.*
Quod Abbatissa non permittat aliquem in monasterio de nocte. . . . . » *ib.*
Quod sciens aliquem contravenire suprascriptis debeat notificare . . . . . » 555

STATUTA ANTIQUA
COLLEGII DD. ARTIUM ET MEDICINAE DOCT. PLACENTIAE

De electione Prioris et ejus officio. . . . *pag.* 560
De electione Thesaurarii et ejus officio . . . » 561
De sindicatu Prioris et Thesaurarii . . . . » 562
De electione Bidelli et Notarii et ejus officio . » *ib.*
De oblationibus fiendis. . . . . » 563
De eis qui volunt subire examen . . . . . » 564
De modo presentandi, punctandi, et examinandi. » 565
Qui admitti possint in Collegium. De numerariis, et supernumerariis . . . . . » 567
De examinandis et approbandis in Chirurgia . » *ib.*
De officio Chirurgorum, et de Chirurgis licentiatis . . . . . » 569
Ad tollenda scandala imperitorum . . . . . » 570
Qualiter debent esse aromatarii . . . . . » 571
De controversiis inter Collegiatos . . . . . » 572
De modo praticandi . . . . . *pag.* 573
De modo servando per Medicos in visitando Medicos aegrotantes . . . . . » 574
De funeralibus illorum de Collegio . . . . . » *ib.*
De dispensationibus . . . . . » 575
De forma sacramenti dandi in ingressu Collegii. » *ib.*
De evitando periurio . . . . . » *ib.*
De poena vocati et non venientis ad Collegium. » *ib.*
De poenis sive muletis inferendis . . . . . » 576
Qualiter Medici, debeant facere circa infirmos ut confiteantur. . . . . » *ib.*
Ad evitandas imposturas, et adulterationes quae a seplasiariis in componendis medicamentis committuntur . . . . . » 577



10052142

Patti per l' Associazione

1°. *La suddetta* ILLUSTRAZIONE, *corredata di tavole incise sul rame, ed uguale in tutto per carta, tipi e sesto al presente programma, sarà di fascicoli dodici circa.*

2°. *Ogni fascicolo, di cinque fogli di stampa, costerà it. lire* 1 *e cent.* 50, (1, 50).

3°. *Ogni tavola, qualunque sia il numero delle figure che contenga, costerà it. lire* 1 *e cent.* 30, (1, 30).

Si avverte poi, dovendo essere quest' edizione di soli 300 *esemplari, che non si considereranno come Associati coloro che si scriveranno dopo raccolte trecento firme, o dopo la pubblicazione del* 2° *fascicolo, la quale avrà luogo nel prossimo mese di luglio.*

Le commissioni possono essere date ai distributori del presente programma ed anche, per lettera, al tipografo sottoscritto, che abita in Parma, Borgo del Gesso, N. 17.

Parma 11 aprile 1861.

PIETRO FIACCADORI.

10052142

MONUMENTA HISTORICA

AD PROVINCIAS

PARMENSEM ET PLACENTINAM

PERTINENTIA

DI QUESTA COLLEZIONE VIDERO, SINO AD ORA, LA LUCE 8 VOLUMI CONTENENTI:

1.° Statuta Communis Parmae digesta anno MCCLV. — 1 vol. di pag. I-LI e 1-493.

2.° Statuta Communis Parmae ab anno MCCLXVI. ad annum circiter MCCCIV. — 1 vol. di pag. I-XXXIV e 1-356.

3.° Statuta Communis Parmae ab anno MCCCXVI. ad MCCCXXV. — 1 vol. di pag. I-XXVI e 1-352.

4.° Statuta Communis Parmae anni MCCCXLVII. Accedunt leges Vicecomitum Parmae imperantium usque ad annum MCCCLXXIV. — 1 vol. di pag. I-XXIII e 1-356.

(I discorsi proemiali e le note sono dell' Editore Cav. Amadio Ronchini).

5.° Statuta Placentina: — 1 vol. di pag. I-IV e 1-592.

STATUTA ANTIQUA MERCATORUM an. circ. MCC.
" MERCATORUM RECENTIORA an. MCCCXXIII.
" ANTIQUA COMMUNIS an. MCCCXCI.
" JURISCONSULTORUM an. MCCCXXXV.
" NOTARIORUM an. MCCCLIV.
" CLERICORUM ab anno MCCXCVII. ad MCCCXXXVII.
" MEDICORUM an. MDLXVIII.

(La prefazione e le note sono dell' Editore prof. Giuseppe Bonora).

6.° Chronica Fr. Salimbene parmensis Ordinis Minorum ex codice Bibliothecae Vaticanae nunc primum edita: — 1 vol. di pag. I-XV e 1-424.

(La prefazione è dell' Editore Cav. Antonio Bertani).

7.° Chronica Parmensia a sec. XI. ad exitum sec. XIV. Accedunt varia quae spectant ad historiam patriae civilem et ecclesiasticam: — 1 vol. di pag. I-XXXVI. e 1-564.

CHRONICON PARMENSE AB ANNO MXXXVIII. USQUE AD ANNUM MCCCXXXVI.
CHRONICA ABREVIATA DE FACTIS CIVITATIS PARMAE.
CHRONICA FR. IOANNIS DE CORNAZZANO O. P.
EXCERPTA E COMPENDIO CHRONICORUM OMNIUM SEC. XIV. QUOD ITALICE CONCINNAVIT A. M. EDOARI DAERBA.
ANALECTA:
Epitaphia Pontificum Ecclesiae Parmensis sec. X. et XI.
Cantus triumphales in Imp. Fridericum II. de Victoria urbe expugnata.
Litterae super liberatione obsidionis civitatis Parmae.
Epistolae Imp. Friderici { quomodo fuit debellatus ante Parmam. / quomodo expugnatus fuit ante Parmam.
APPENDIX COMPLECTENS VITAS SANCTORUM USQUE AD SEC. XV.
Passio S. Domnini martyris.
Vita S. Johannis parmensis Abbatis O. S. B.
Vita S. Bertoldi (latine et italice).
Vitae (tres), latine et italice, S. Bernardi parmensis episcopi.
Vita B. Ursulinae parmensis.
Specimen Revelationum, seu Visionum, ejusdem.
HYMNI ET RHYTMI RARIORES:
Ad S. Domninum.
Ad S. Bernardum episcopum parmensem.
Ad Ursulinam virginem.
Hymni Francisci Marii Grapaldi parmensis.

(La prefazione e le note sono dell' Editore Luigi Barbieri).

8° Chronica tria Placentina: — 1 vol. di pag. I-XXXIV. e 1-442.

CHRONICON PLACENTINUM ab anno MXII. ad annum MCCXXXV. (Auctore Joh. Codagnello).
CHRONICON PLACENTINUM ab anno MCLIV. ad annum MCCLXXXIV. (Scripsit Anonymus).
CHRONICON PLACENTINUM ab anno MCCLXXIX. ad annum MCCCXXII. (Auctore Guerino).

(La prefazione e le note sono dell' Editore Conte Bernardo Pallastrelli).

MONVMENTA HACTENVS EDITA

INFRASCRIPTA SVNT

I. Statuta Comm. Parmae digesta a. MCCLV. — vol. constans pag. I-LI et 1-439, cujus est pretium lib. 28 —

II. Statuta Communis Parmae ab anno MCCLXVI. ad annum circiter MCCCIV. — vol. constans pag. I-XXXIV. et 1-356. . . . . « 19 60

III. Statuta Comm. Parmae ab an. MCCCXVI. ad MCCCXXV. — vol. constans pag. I-XXVI. et 1-352. « 19 —

IV. Statuta Placentina, videlicet: Statuta antiqua mercatorum an. circ. MCC. Statuta mercatorum recentiora an. MCCCXXIII. Statuta antiqua Communis an. MCCXCI. Statuta jurisconsultorum an. MCCCXXXV. Statuta notariorum an. MCCCLIV. Statuta clericorum ab anno MCCXCVII. ad MCCCXXXVII. Statuta medicorum an. MDLXVIII. — vol. constans pag. 1-529. « 29 80

V. Chronica Fr. Salimbene parmensis Ordinis Minorum ex codice Bibliothecae Vaticanae nunc primum edita — vol. constans pag. I-XV. et 1-424. . . . . « 22 —

VI. Chronica Parmensia a sec. XI. ad exitum sec. XIV.: accedunt varia quae spectant ad historiam patriae civilem et ecclesiasticam, videlicet: Chronicon Parmense ab anno MXXXVIII. usque ad annum MCCCXXXVII. Chronica abbreviata de factis civitatis Parmae. Chronica fr. Ioannis de Cornazzano P. O. Excerpta e compendio chronicorum omnium sec. XIV. quod italice concinnavit A. M. Edoari Da-Erba. - Analecta: Epitaphia Pontificum Ecclesiae Parmensis sec. X. et XI. Cantus Triumphales in Imp. Fridericum II. de Victoria urbe expugnata. Litterae super liberatione obsidionis civitatis Parmae. Epistolae Imp. Friderici quomodo fuit debellatus ante Parmam, quomodo expugnatus fuit ante Parmam. - Appendix complectens vitas sanctorum usque ad sec XV. Passio S. Domnini martyris. Vita S. Iohannis parmensis Abbatis O. S. B. Vita S. Bertoldi (latine et italice). Vitae (tres), latine et italice, S. Bernardi parmensis episcopi. Vita B. Ursulinae parmensis. Specimen Revelationum, seu Visionum, ejusdem. - Hymni et rhythmi rariores: Ad S. Domninum. Ad S. Bernardum episcopum parmensem. Ad Ursulinam virginem. Hymni Francisci Marii Grapaldi parmensis — vol. constans pag. I-XXXVI. et 1-564. . . . . « 30 —

VII. Chronica tria Placentina, videlicet: Chronicum Placentinum ab anno MXII. ad annum MCCXXXV. (Auctore Ioh. Codagnello). Chronicon Placentinum ab anno MCLIV. ad annum MCCLXXXIV. (Scripsit Anonymus). Chronicon Placentinum ab anno MCCLXXXIX. ad annum MCCCXXII. (Auctore Guerino) — vol. constans pag. I-XXXIV. et 1-442. . . . . « 24 —

172 40

PARMAE EX OFFICINA PETRI FIACCADORII VI. KAL. JUNII A. MDCCCLX.

10052142

Buchbinder
MÜNCHEN
Herzogspitalgasse Nº 22

10052142